NAZIONALE VITT. EMANUELE BIBLIOTECA
13
17 C
57

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

31-F-40

31. 21
31
F

13-23. e.38

Rom. Sa

Digitized by Google

Bibliothecæ Secretæ Coll. Rom. Soc. Iesu.

DE ORDINE, AC STATV CANONICO LIBRI QVATTVOR.

M.D. IOANNIS BAPTISTAE SIGNII
BONONIENSIS
CANONICI REGVLARIS S. SALVAT.

Nouissimè, ac nunc secundò ab ipsomet recogniti, & summopere additi; iussu vero Reuerendiss. Dom. D. Blasij Bagni à Cento Prioris Generalis Canonicorum Regularium S. Saluatoris in lucem editi.

AD ILLVSTRISS.
ET REVERENDISS. DOM.
D. LANFRANCVM
MARGOTIVM
Sanc. Rom. Eccl. Cardinalem Amplissimum.

BIBL·SEC·COLL·ROM·SOC·IESV

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BONONIAE,
Apud Hæredes Ioannis Rossij. M. DC. XI.
Superiorum permissu.

BIBLIOTECA

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISS. DOM.

D. LANFRANCO MARGOTIO

Sanc. Rom. Eccl. Cardinali Amplissimo, & Patrono Colendissimo.

D. Blasius Bagnus à Cento humilis Prior Generalis Canonicorum Regulariũ S. Saluatoris. Opt. S. D.

VARIA *inter studia, quibus hominum genus detinetur, rerum præteritarum Historia non minus vtilitatis, quàm delectationis afferre solet; hæc etenim, præter quod res gestas longo annorum tractu ab hominum memoria dilapsas, & ab antiquitate, in qua consepultæ manebant auocatas, mira cum delectatione, tanquàm præsentes, & nouas nostro offert obtutui considerandas, & æmulandas, mirabiliter etiam ad sapientiam, & rerum in orbe mirandarum cognitionem præstat, & condu-*

cit. Hæc, vel alia id genus multa mente recolens Magister D. Ioannes Baptista Signius Bononiensis Canonicus noster, vir in omni doctrinarum genere insignis, & singularis eruditionis, prouinciam ab alijs attentatam, Annales nostræ Congregationis describendi, foeliciter compleuit, ac sub titulo de Ordine, ac statu Canonico euulgauit. opus verè dignum tanto viro, & quod non solûm Concanonicis suis ità pergratum fuit, & vtile imò & toto orbi, vt facilè proximis hisce annis nouo studio, noua adhibita diligentia, infinitis hinc indè historijs conquisitis, maximè auctum, & locupletatum reddiderit; ità vt mirabile sit dicere quàm dissertissimè Canonici Ordinis antiquitatem, nobilitatem, propagationem, amplitudinem, & sanctitatem prosequatur; vt vel sic Nostrates Maiorum suorum gloriam repetentes, ad eandem imitandam, & capescendam enixè contenderent. Verùm quia plenus dierum anno præterito morte præuentus typis committere nequiuit; huius ego viri de sua Congregatione benemeriti, nè iteratæ lucubrationes, & vigiliæ diutiùs in obscuro delitescerent in lucem prodire curaui. Debebam hoc ego mortui Viri memoriæ; debebam Congregationi meæ; debebam orbi Vniuerso. Sed cogitanti mihi cui nàm opus hoc præcipuè consecrarem, vt interim beneficia in Congregationem nostram publica, in me priuata reticeam, ipse titulus, & argumentum palàm ad Te ducebant. compareat igitur in publicum opus iam tuo clarissimo Nomine insignitum, & tuis auspicijs, & præsidijs, Amplissime

Car-

Cardinalis, suffultum, & tutatum; in quo certè, si quãdoq; à grauissimis totius orbis negotijs tuæ à S.D.N. Paulo V. prudentiæ commissis, feriare liceat, cognosces facilè Te illam Congregationem patrocinari, quæ orsum trahit suum ab illo Ordine, ex quo tamquàm ex equo Troiano infiniti Pontifices, Cardinales, Patriarchæ Archiepiscopi, Episcopi, ac alij multi in quacunq; dignitate Ecclesiastica Primores exierunt; qui fœliciter Ecclesiam vniuersam, imò totum orbem regerunt, & erexerunt. Durum equidem, ac molestum est hanc nostram rememorari antiquitatem, & amplitudinem penè collapsam, sed temporum hæc iniuria, hæc rerum vicissitudo. Quis scit an sub tua fœlici protectione ad suum pristinum splendorem, & decorem noster ordo reuocetur? faxit Deus faueat benignitas, humanitas, & auctoritas tua, quibus Congregationem meam, imò tuam, & memetipsum valdè commendo. Interim Deum exoro, vt tuam Celsitudinem communi omnium causa quàm diutissimè nobis seruet, & adaugeat incolumen. Vale. Datum Bononiæ in nostra Canonica S. Saluatoris. Kalendis Aprilis. M.DC.XI.

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISS. DOM.
D. LANFRANCO
MARGOTIO

S.R.E. Cardinali Amplissimo, & Can. Regularium S. Saluatoris Protectori benignissimo.

D. Raphael Tartarus Centensis eiusdem Congregationis Canonicus.

IMMORTALE *decus, Romani splendor & ostri,*
Purpureumq; iubar clarus in orbe micans.
Euge precor Præsul nostri magne, ordinis ordo
Euge supernatis clare minister opis.
Cænobis per Te diuinus repullulet ille
Splendor, quem veteres excoluere Patres.
Viue diù Patrum addictus tibi supplicat ordo
Qui sine Te noscit vix bene posse regi.

E I.

D. Cinthius Durighus Bonon. eiuſdem Congregationis Alumnus

VT renouat veterem Phœnix abſumpta figuram
Flammiuomum claro ſole vomente iubar.
Illa ſuis variata comis, auroq; ſuperbit
Diteſcens rutilo, crinibus aureolis.
Lumine Purpureũ magno Lanfrance Senatũ
Dùm ornat, & nobis alter Apollo nites.
Tollere ſic ſperat noſter veterẽ ordo ſenectam
Te Protegente, ſuum & poſſe nouare decus.

DE IOANNE BAPTISTA SIGNIO.

Admodum R. D. Io. Albertus de Natalibus eiuſdem Cong. Decanus, & S. Marię Rhenanę Prior meritiſs.

QVAE *tibi cauſa fuit, noſtræ cunabula gentis,*
Falſaq; de nobis ſcribere tanta furens?
Incude debueras, cætus cognomina noſtri.
Noſcere de ſcriptis Sedis Apoſtolicæ.
Hinc tituli veniunt, hinc & cognomina certa,
Hinc lex, hinc habitus, Regula sãcta venit.
Vulgus iners falſis hæret, non vera requirit;
Mordicus vana tenet, ſpernere vera ſolet.
Signius aſt aperit vana mendatia linguæ
Scriptoris, qui in nos atra venena vomit.
Hæc ceciniſſe ſatis nunc, plura canẽda relinquo
Otia cùm dederint, tempora ſacra mihi.

DE

DE EODEM.

D. Blaſius Taldinus Bon. eiuſdem Cong. alumnus.

QVIS ſatis immenſa exculto præconia verſu
Baptiſtæ Signi concelebrare queat?
Quis valet eximiæ penitus perculſus amore
Prepete virtutis tollere ad aſtra virum?
Non lyra, nõ cantus concinnus Apollinis almi
Doctrinam haud pollent plaudere mirificã.
Rarũ opus hoc cellebrant & fruſtra carmine (vates
Tu librũ oſtendis, te tuus ipſe liber.
Sollicitæ vos ò Nimphæ iam carpite flores
Atq; huius capiti texite ſerta precor.

AD EVNDEM.

D. Iacobus Antonius Albinus Bonon. eiuſdem Congregationis Canonicus.

DVM generoſa tuæ extollis primordia gẽtis,
Diceris & priſcũ SIGNE nouiſſe decus.
Par tibi te celebrans facta eſt facunda poeſis,
Nec tu ficta refers, ficta nec illa canit.
Vera dehinc veri liber eſto auctoris imago.
Momus liuorem tetricus abijciat.

Opera

Opera huius Auctoris adhuc Typis tradita vulgari sermone, ac latino.

LATINE.

1 PEREGRINATIO *bonorum spirituum ad Clementem Octauum. liber vnus.*

2 *De Ordine ac statu Canonico libri quatuor.*

3 *Reliquiarium, siue de Reliquijs, & veneratione sanctorum. liber vnus.*

4 *De insignibus Reliquijs præcipuæ Cong. liber vnus.*

5 *De optimo Episcopo. liber vnus.*

VVLGARI SERMONE.

1 DEL *vero studio Christiano contra l'Arti superstitiose di sapere, senza fatica, & studiare. libro vno.*

2 *Conforto alla vita Monacale. libro vno.*

3 *Della Carestia & fame lib. I. diuiso in tre giornate.*

4 *Fõti miracolosi, celebrãdo i miracoli di Sãta Maria della Fõte sotto la porta maggior d'Oruieto. lib. I.*

5 *Dell'antica nobiltà, & Religione della Città di Lucca, discorrendo sopra la vita di S. Paolino martire primo Vescouo di essa. libro vno.*

6 *Discorso sopra il volto Santo miracoloso in S. Martino di Lucca. libro vno.*

7 *Del sangue miracolosamente sparso dall'Hostie consagrate. libro vno.*

8 *De' sogni lettioni fatte nel Duomo d'Vrbino lib. vno.*

TA-

TABVLA CAPITVLORVM PRIMI LIBRI.

DE multiplici ordinis acceptione. Cap. I.

Quid appellatione status intelligatur. Cap. II.

De varia Clericorum denominatione. Cap. III.

De vita & moribus Canonicorum Regularium. Cap. IIII.

De ordine Monastico. Cap. V.

De cohabitatione Canonicorũ Regulariũ. Cap. VI.

Canonicos Regulares vbiq; semper esse ordinis eiusdem rationis. Cap. VII.

De habitu Canonico. Cap. VIII.

De Tunica lanea, & scapulari, & capa Canonicorum. Cap. IX.

De Almutijs. Cap. X.

De Capa Canonicali. Cap. XI.

De Prænomine fratrum inter Canonicos. Cap. XII.

De titulo Domnorum. Cap. XIII.

Priuilegium Calixti Tertij.

Priuilegium Iulij Papæ Secundi.

Priuilegium Sixti 4.

De dignitatibus ordinis Canonici. Cap. XIV.

De insignibus Ecclesijs Regularibus. Cap. XV.

De Canonissis. Cap. XVI.

De præstantia ordinis Canonici. Cap. XVII.

De corona Capitis. Cap. XVIII.

Quo

Quo tempore Canonici Reg. communem vitam deseruerunt. Cap. XIX.
De origine Canonicorum secularium Cap. XX.

TABVLA CAPITVLORVM SECVNDI LIBRI.

De Multiplici reformatione status Canonici. Cap. I.
Epithoma Regulæ Diui Augustini, & reformatores eius. Cap. II.
Priuilegium Innocentij 2. pro reformandis Renanis. Cap. III.
Priuilegium Caroli V. Imp. pro Renanis Canonicis. Cap. IIII.
Priuilegia Summorum Pontificum pro Ren. Can. Cap. V.
Priuilegia Archiepiscoporum Rauẽnatensium pro ijsdem, ac simul Episcoporum Bononiensium. Cap. VI.
De Summis Pontificibus Renani Monasterij. Cap. VII.
De Cardinalibus Renanæ Canonicæ. Cap. VIII.
De Archiepiscopis, & Episcopis Renanis. Cap. IX.
De Canonicis Reg. S. Saluatoris Venetiarum. Cap. X.
De Canonicis Regularibus Nicosianis apud Pisas. Cap. XI.

TA-

TABVLA CAPITVLORVM TERTII LIBRI.

De origine Canonicorum regularium S. Saluatoris de Bononia. Cap. I.

Priuilegiũ primum Gregorij 12. in erectione Canonicorum Regularium S. Saluatoris. Cap. II.

Executio Commißariorum Apostlic. pro noua Congregatione S. Saluatoris. Cap. III.

Proemium nouarum Constitutionum Apostolic. nouæ Congregationis Can. Reg. S. Saluatoris. Cap. IV.

Reditus nouorum Canonicorum ad Monasterium suum Ilicetanum S. Saluatoris. Cap. V.

Priuilegiũ secundũ Gregorij Papæ. 12. Cap. VI.

Priuilegium Tertium Gregorij PP. 12. Cap. VII.

Priuilegium Quartum Gregorij PP. 12. Cap. VIII.

Priuilegium Quintum Gregorij PP. 12. Cap. IX.

Priuilegium Sextum Gregorij PP. 12. Cap. X.

Priuilegium Septimum Gregorij PP. 12. Cap. XI.

Priuilegium Octauum Gregorij PP. 12. Cap. XII.

Priuilegium Nonum Gregorij PP. 12. Cap. XIII.

De situ auctore, & origine Monasterij Ambrosiani extra Eugubium. Cap. XIV.

De ingreßu Canonic. Sancti Saluatoris

ad

ad reformandum Monasterium Diui Ambrosij Eugubinum. Cap. XV.
Priuilegium Decimum Gregorij 12. Cap. XVI.
Priuilegium Vndecimũ Gregorij PP. 12. Cap. XVII.
Priuilegiũ Duodecimũ Gregorij PP. 12. Cap. XVIII.

TABVLA CAPITVLORVM QVARTI LIBRI.

DE Reformatione Mon. S. Saluatoris de Bononia & vnione Ambrosiani Eugubini cum eo. Cap. I.
Præsentatio litterarum Apostolicarum, & instantia fratris Francisci Ghisilerij Bonon. pro executione vnionis. Cap. II.
Priuilegium Martini Quinti, quod Mare magnum dicitur. Cap. III.
Reformatio Bullæ S. Donati de Florentia in Scopeto. Cap. IIII.
Proemium nouarum Constitutionum. Cap. V.
Bulla Martini Quinti pro vnione Abbatiarum S. Donati & Bartholomæi Monasterio Ambrosiano Eugubino. Cap. VI.
De Prioribus manualibus. Cap. VII.
De Prioribus Rhenanis, & de obitu fratris Francisci Ghisilerij vlt. prioris. Cap. VIII.
De Canonicis Frisonarijs. Cap. IX.

De

De Canonicis Sancti Spiritus Venetiarũ. Cap. X.
De Canonicis Regularibus Montis Corbuli. Cap. XI.
Epilogus totius tractatus operis. Cap. XII.
Bulla Eugenij Papæ Quarti. Cap. XIII.
De Prælatis, & Viris Illustribus Congregationis Sancti Saluatoris. Cap. XIV.
De Beatis, & Viris sanctitate vitæ in hac Congregatione conspicuis Cap. XV.
De Titulo Saluatoris. Cap. XVI.
De Progreßu propriæ Congregationis. Cap. XVII.
De Illustrißimis Protectoribus nostræ Congregationis. Cap. XVIII.
Summorum Pontificum confirmatio nostræ Congregationis. Cap. XIX.

Nos Domnus Blasius Bagnus à Cento Prior Generalis Cano. Reg Cong. Sancti Saluatoris Ordinis Sancti Augustini dilecto nobis R. D. Io: Baptistæ Signio Bonon. Sacrorum Canonum Doctori, ac S. Maria in Vado de Ferraria Priori salutem in Domino.

VIROS doctrina, ac morum integritate conspicuos, quos ad Dei gloriam, animarum salutem, Christianæ Religionis augumentum, nec non Cong. nostræ ornamentum in vinea Domini laborare conspicimus, libenter amplectimur, eorumq; pijs, ac iustis desiderijs faciles prębemus aures; quo suorum laborum, ac vigiliarum, fructus, cæteris quoquè prodesse posśint. Ideo Nos pręmisśis omnibus inhærendo, quam petis facultatem libros de Ordine ac statu Canonico, nec non de Reliquijs, ac Veneratione sanctorum, summo studio per te elucubratos, medio prælo, euulgandi, eam tibi præsentium tenore concedimus; quatenus tamen ea, quæ à Sacro Conc. Tridentino circa librorum editionem prę scirbũtur, omninò, ac integrè obseruentur. In nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti amen. In quorum fidem, &c. Datum Romæ in nostro Monast. S. Petri ad Vincula die 18. Februarij. 1609.

Ego D. Blasius Bagnus Prior Generalis.

D. Iacobus Antonius Albinus Bonon. Cancell.

Imprimatur Fr. Albertus Dielaitus Ordinis Carmelitarum pro Reuerendisśimo Patre Inquisitore.

Don Marcellus Bald. Clericus Regularis Sancti Pauli pro Illustrisś. ac Reuerendisś. Archiep.

LIBER PRIMVS

DE ORDINE, AC STATV CANONICO.

De multiplici Ordinis acceptione. Cap. I.

CANONICVS Ordo, qui nunc regularis,& Sancti Augustini appellatur, principio Clericalis dumtaxat dictus est. Duo autem tantum Ordines fuerunt Christianorum in exordio nascentis Ecclesiæ, Clericorum scilicet, & Laicorũ. Clerici,quia de sorte Domini; Laici,quia de populi vniuersitate, nuncupati sunt. Ad tollendam verò æquiuocationem, D. Hieronymus cap.duo sunt.12.q.1.& cap.Cleros d.21.& cap.Clericus. Duos hos Christianorum Ordines,duo genera ipse compellat; Multipliciter enim sumitur Ordo.

Primò quidem, vt notat D. Bonauentura d.44.q.4. lib.2. pro instinctu quodam naturæ, siue impulsu,atq; dictamine rerum omnium in se ipsis, quo, vt inquit Philosophus in Ethicis. Omnia bonum appetunt; ad illudq;

diriguntur. In homine verò quædam sunt de dictamine naturæ simpliciter: quædam de dictamine naturæ secundum statum. Deum esse honorandum, dictat natura, & sic naturaliter homo ordinatur ad cognoscendum, atq; amãdum, & fruendum Deum, vt inquit. D. Augustinus; Fecit Deus hominem, vt summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, posidendo frueretur. Hominem verò adæquari homini, dictat natura secundum statum suæ primę conditionis. Hominem autem homini subijci, & hominem homini famulari, dictat natura secundum statum suæ corruptionis, vt mali compescantur, & boni defendantur: nisi enim essent huiusmodi contra malos dominia, propter corruptionem, quæ est post peccatum in natura, vnus alterum opprimeret, & communiter homines viuere non possent. Non sic autem fuisset, si homo in statu innocentiæ perstitisset: quilibet enim suo in gradu, & statu maneret.

Accipitur præterea Ordo prò harmonia quadam in rebus gestis, qua vna correspondere alteri, atq; arridere videtur, omni cùm iucunditate. De qua dicit Apostolus Rom. 13. Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. q. d. omnia, quæ mente diuina confecta sunt, & vnitatem quandã ex se demonstrant, & speciem Conditoris, ordinemq; prę seferunt. Ita in lib. Iudicium dicuntur etiam stellæ in ordine suò manere.

Accipitur ordo pro speciali quodam animi consilio, atque iudicio virtuoso, quantum ad se ipsum debita ratione regendum, atq; gubernandum, pertinet; de quo, dicit Apostolus ad Collos. 2. Gaudeo videns ordinem vestrum, idest Iudicium vestrum, vestram animi virtutem, fundamentum fidei vestræ.

Accipitur ordo pro debito quodam respectu ad res honestè gerendas. De quo intelligit Apostolus 1. Cor. 14. Omnia honestè, & secundum ordinem fiant in vobis.

Peccat, inquit D. Ambrosius super psal. Beati Immaculati, ; qui pręposterè agit. Nam scire quid facias, & ordinē nescire faciendi, non est perfectæ cognitionis. offendunt plerumque prępostera, & ita ordinis ignorantia conturbat negotiorum nostram formamq; meritorum.

Accipitur Ordo pro debita rerum dispositione; vel, vt dicit Durandus, pro relatione, atq; ordinatorum habitudine. Ordinare namq; nihil aliud est, quam aliquid debitè statuere, disponere, atq; locare. Guil. d. 20. pri. & d. 44. eiusdem lib. vt diffinit D. P. Augustinus de Ci. Dei. 19. Ordo est parium, dispariumq; rerum sua tribuens vnicuique loca dispositio. In qua diffinitione tria tanguntur primo genus, cum dicitur, ordo est dispositio: & ad hoc status est ordo, vt sit maior concordia in omnibus: sicut. n. dispositio relatio est, quæ dicitur dispositio dispositi, sic & ordo, non. n. ad se, sed ad aliud dicitur, ordinabilium, inquam, dicitur ordo. Cum. n. ratio ordinis, prò vt est relatio, plura requirat, vnius solius non est ordo, nec aliquid ad se ipsum ordinatur relatione reali. Et ideo vbi primò occurrit aliquid additum alteri, ibi incipit esse ordo, ita quod secundum additum primo complet rationem ordinis. Attenditur ordo inter illa, quorum vnū est superius, & aliud inferius. Tangitur secundò in pręfata diffinitione subiectum ordinis, dum dicitur parium, dispuriumq;: Si. n. omnia essent paria, non esset ordo: Et si omnia, inquit D. Augustinus essent æqualia, iam non essent omnia: Si. n. Luna Soli foret æqualis, iam Luna non esset, sed sol, & sic de alijs; Ideo ad ordinem in creaturis requiritur, vt cum paribus disparia sint. Tangitur tertiò modus ordinis, cum dicitur, quòd ordo cuilibet rei suum tribuit locum; Et in hoc distinguitur à cōfusione, qua cuncta sine ordine miscētur, quare dicit Philosophus primo Methaph. quod sapientis est ordinare; Et talis ordo potest tripliciter considerari: primo vt sit ordo temporis, & sic anti-

quum præcedit nouum: Et Plato præcedit Sortem, quia est senior illo. Secundò consideratur, vt sit ordo rationis, quando aliquid naturali intelligentia aliud præcedit: sicut esse præcedit agere, & cognoscere; Tertiò consideretur, vt sit ordo naturæ; sicut causa præcedit causatum naturali esse, & intelligentia, vel ratione. Et hic ordo iterum est triplex, loquendo largè. primus est ordo originis, quo pater præcedit filium. Secundus ordo est perfectionis, & dignitatis, vt homo præcedit Asinum. Tertius ordo est secundum naturæ superioritatem, sicut animal præcedit hominem, quia ab eo non conuertitur, videlicet subsistendi consequentia. Oportet, inquit. D. Augustinus, ad Dei gloriam cognoscendam, prædicandam sapientiam, propalandamq; iustitiam: condita omnia, honestè, ac ordinatè à Sapientia Diuina, summaq; deriuare. Sapientis est ordinare; tantumq; sapientiæ diuinæ, quæ à Deo creata sunt, mirum in modum præseferunt, quantum ex ea, omnia conspicimus, ordinatius emanere. Quis vnquam sapientium Deum cognoscere, sine Ordine potuisset? cum hic ordo excellentissimè in vna quaq; re, à Deo producta, resplendens, nobis Conditorem optimum, & sapientissimum esse demonstret? Inuisibilia.n. Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: profectò hoc modo docemur, & ordine: vt per hunc ad diuina illa percipienda, quæ vires transcendunt humanas, superantq; cælestes, humana feratur intentio, quæ antequam Lunam, Mercurium, Venerem, Solem, Martem, Iouem, transcenderit, atq; Saturnum, reliquaq; suprema, non poterit primæ causæ mouentis virtutem, ac Deitatis notionem accipere: nec sua eam sponte metiri. A' paruis, minimisq; gratiam ac pedetentim ad suprema naturæ nostræ semper procedit agnitio. Deniq; non poterit quispiam præter rerum ordinem, de sapientia Dei aliquid instinctu naturæ, comprehendere; quicumque etiam paria, & æquabilia

loca omnibus tribuunt, & diuinæ iustitiæ detrahunt, & eam inficiari conantur: quales sunt, qui dicunt, Deum debuisse eos, qui mortales sunt, immortales; & qui imperfecti sunt, fecisse perfectos: & debuisse variabilibus inuariabilitatem: Et temporalibus delitijs delectationem immisisse perpetuam; Qui sic desipiunt, debuissent, & optasse sensa lapidibus. O' insensatos dixerim, qui & sui insipientiam ignorantes, propriam Dei iustitiam manifestè condemnant. Non intelligentes, quòd Dei iustitia in hoc declaratur, veram esse iustitiam, quia prò meritis, ipsa singulorum omnibus propria loca distribuit: & cuiusq; rei naturam proprio in ordine saluat, atq; virtute ingenti, inquit Augustinus, largitate, atq; vbertate perfudit Deus omnes creaturas, prò captu earum, vt ordinem suum teneant, & locis suis acquiescant.

Secundum Gabrielem d. 2. duplex est ordo, scilicet naturæ, & temporis; Ordo naturę est, quo posterius non potest esse sine priore: Sed è conuerso prius esse sine posteriore. Siue vbi vnum dependet ab altero, & non è conuerso. Dependens in hoc ordine est posterius, & id, à quo dependet, est prius, licet sint simul duratione. Sic sol est prior radio suo, licet tempore sint coęui: quia radius dependet à sole, & non sol à radio: & ista prioritas, seu ordo naturæ vniuersaliter est inter causam & effectum. Ordo tēporis est, quo vnum duratione præcedit aliud, ita quod vnum prius incipit, sicut inter patrem, & filium in creaturis accidit.

Ordo est triplex, vt scribit. D. Bonauentura d. 20. art. 2 q. 1. lib. 1. scilicet secundum potentiam, secūdum antecessionem, & secundum originem. Ordo secundum potentiam dicitur, quorum vnum est superius ad aliud inferius: & hoc potest esse dupliciter, vel in loco, vel in dignitate. Ordo verò secundum antecessionem dicitur esse eorum, quorum vnum prius est, alterum verò posterius. Et

hoc dupliciter: aut quia antecedit duratione, siue tempore; aut prius naturali intelligentia, siue cognitione. Ordo autem secundum originem, siue secundum emanationẽ, est producentis ad productum, vt supra exẽplificauimus. Et hæc sanè addidimus ob differentiam huiusmodi terminorum apud Theologos, & declarationem eorum.

Accipitur ordo pro situ ipso, gradu, & respectu rei. Gradus.n. v. g. honoris habet inferioritatem, & superioritatem; gradus igitur superioritatis additus communi statui, dicitur ordo; & constitutus in eo, dicitur ordinatus, siue in statu seculari, siue in ecclesiastico. In Ecclesia triumphanti sunt nouem ordines Angelorum sub nouem ordinibus. i. generibus. De pen. d. 1. c. vlt. nempè cęlestium militiarum ordo nobis est exemplo: quia dum Angelis præsunt Arcangeli, liquet eos non æquales, sed sua quosuis loca seruare, & ordine, ac potestate esse distinctos. In Ecclesia militanti nouem assignantur ordines Altissimo famulantes 21. d. Neq; .n. vniuersitas, inquit Bonifacius Papa, alia poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiæ ordo seruaret. 89. d. ab hoc ob id etiam diuina Prouidentia gradus, & ordines voluit esse distinctos; vt dum Reuerentiam minores superioribus exhiberent: potiores minoribus virtutem dilectionis impenderent; & sic veræ concordiæ fieret, ex diuersitate connexio: & rectè officiorum generetur administratio singulorum. Deniq; in fine omnium, cum Deus tradiderit regnum filio suo Iesu Christo, scribitur, vnusquisq; resurget in ordine suo; Vbi Doctores dicunt. non erit ordo temporis, quia in ictu oculi sed dignitatis, quia Apostolus, vt Apostolus, & Martir, vt Martir resurget. Hoc etiam modo in Republica Ciuili gradus, & ordines assignantur. Amplissimus quidem, vt Senatorius: Medius, vt Equestris: Infimus, vt Plebeius. In Ciuitate bene disposita, in superiori gradu sunt Nobiles, in posteriori autem sunt

Arti-

Artifices. Arist. in Methaph. dicit, quòd omnia sunt aliqualiter ordinata; & declarat, quod hoc modo etiam accipitur ordo in Politijs, bene dispositis, vbi personarum parium, dispariumq; in illa politia congrua dispositio dicitur illius politiæ ordo, à quo etiam ipsa ordinata dicitur; Alio modo. Ordo dicitur gradus præeminens in tali politia, & sic persona, in gradu præeminenti constituta, dicitur habere ordinem, sicut dicitur habere gradũ, quasi antonomasticè: quia, qui sunt in gradu inferiori, non dicuntur habere gradum. In militia similiter, vbi Pedites, vbi Alæ, cæteraq; omnia suo quæquæ ordine collocantur, primum Equites, deinde Pedites numerantur. Et tunc, vnum quodque istorum benè se habere creditur, cum suũ ordinem seruat vnusquisq; miles.

Accipitur ordo prò actu obedientiæ, & sic domus benè ordinata dicitur, vbi quælibet persona promptè, ac benè seruit in officio suo; & vbi dominus debitè dominatur, seruiq; debitè famulantur. Sic omnis vita, anima, & conscientia hominis tota dicitur benè ordinata, quando vnaqueq; potentia, vnum quodque membrum ad Dei laudem suo vtitur officio: & caro animæ subijcitur, & corpus spiritui subiugatur. Ita profectò de domo Salomonis legitur.

Sumitur ordo prò sacramento quodam in Ecclesia notato, de quo Magister Sent. & S. Tho. in 4. d. 24. est quoddam signaculum, in quo spiritualis potestas traditur ordinato ad officium. Nullo autem præfatorum modorum loquimur nos de ordine hoc loco.

Aliquando refertur ordo ad ipsum genus vitæ, accipiturq; prò ipso viuendi modo, & hoc est propositum nostrum; Quare duos ordines Christianorum intelligimus duas viuendi rationes, atq; institutiones: quorundam. s. qui sacris initiati non sunt: quorundam verò sacro ministerio fungentium. Et illi quidem laici appellantur,

quòd Christianè profectò viuunt, sed communi, ac laxiori quadam ratione. Hi verò arctiori vitæ obseruantiæ, ob præcipuam voti professionem, Religiosi dicuntur. Laicus dicitur, secundum communionem Canonistarum expositionem, à Laos græcè, quod est latinè populus. c. duo sunt. 11. q. 1. Laicus est secularis, & de populo, & qui non habet sacros ordines eo. c. 22. q. 11. glo. in c. de Procu. in 6. Duobus modis capitur Clericus, inquit Bi ulcfer. d. 5. q. 1. lib. 4. vno modo prò viro docto, graui, & scientifico; secundo modo capitur prò viro habente aliquod officiū in Ecclesia, vnde Clericus est homo in Ecclesia Christi secundum ordinem sacramentalem deseruiens. Et sic nec Angeli, nec Dæmones, nec Saraceni, & Hæretici propriè dici possunt Clerici, sed ille, qui habet officium ostiarij, vel vnum de septem ordinibus alijs, Tonsura.n. propriè non est ordo, laicus item accipitur duplici modo, primo pro homine indocto, insipiente, atq; imperito, & sic dicitur laicus, à litos græcè, quod est latinè, lapis; secundo modo accipitur pro homine, nullum sacramentalem ordinem in Ecclesia Christi habente. Laicalis ordo ante omnes conditus est ab omnipotente in Adamo, si tamen Adam fuit simplex laicus, & non primùm Sacerdos, vt multi asserunt, cuius fuere Patriarcharum, & Prophetarum pleriq; in vtroq; Testamento. Et ex hoc nata est benedicta Virgo: nati sunt Clerici: nascimur omnes. Describitur hic ordo à Dionisio in Ecclesiastica Hierarchia. c. 6. pro Populo, siue Plebe simpliciter Christiana: Ex Luca Euangelista Actuum 4. accipimus in exordio Ecclesiæ vniuersos fideles in Hierusalem congregatos, eodem modo. s. communiter vixisse, proprium nil habentes, & singulis quibusque secundum indigentiam dicidentes. Græci videntur intelligere, secundum cuiusq; dignitatem, quem commentarium hodie nonnulli libenter amplecterentur, qui suas dignitates imaginantur multis agere diuitijs. Sed

alij,

alij, vt etiam Augustinus in Regula, exponunt secundum cuiusq; necessitatem; Et eundem in modum regulam commentantur Vgo Victorinus: distribuebatur, inquit, vnicuiq; sicut opus erat. Hoc non est ita intelligendum, vt vnicuiq; quod opus erat, abundanter sic distribueretur, vt non haberent indigentiam. Cum. n. scriptum sit; quod inter eos nullus egens erat, legimus etiam de ipsis Apostolis, quod seruiebant Deo, in fame, & siti, in frigore & nuditate. 2. Cor. 11. Hæc rego; quamquam ego putem Apostolos non seruisse Deo in fame, & siti, quando Hierosolimis in fratrum communione erant, sed quando propter nomen Christi vincti erant, aut cum alibi suum Apostolatum exercebant. Hic itaq; fuit status Christianorum primitiuæ Ecclesiæ, qui in illis profectò durauit, quandiu Beatissimi Apostoli adfuerunt, & ipsos fideles rexerunt. Diuisis verò Apostolis, multiplicatiq; per vniuersam Iudæam, & Galileam, atq; Samariam credentes ferè innumerabiles, non benè poterant vitam illam communem omnes obseruare, feruor quoq; primæ deuotionis paulatim refrixit, & calor sanguinis Christi in Corde credentium pro maiori, eorum parte tepuit successiuè, ita quod maior pars fidelium, tam ex iudaismo, quàm ex Paganismo conuersorum, cepit propria possidere, & esse contenta obseruantijs præceptorum. Ideo laici popularesq; in Christiana Republica fuerunt nuncupati. Multi verò prioris deuotionis, conuersationisq; memores, desuper illustrati, atq; succensi à Spiritu Sancto, cum ingenti perfectionis amore, ac paupertatis ardore, vitam illam communem denuò absumpserunt, & Apostolicam institutionem renouarunt. Qui propterea meritò dicti sunt viri Religiosi. Idem Casianus ex verbis Piamonis Abbatis refert diffusè in 2. collationum volumine. Et in 2. lib. de Institutis sanctorum Patrum.

Sicut autem in veteri testamento, quod noui figura

fuit,

fuit, Deus per manum Moisis distinxit summos, & minores Sacerdotes: & de hinc ministros, seu leuitas constituit; & præterea sacrificia, & sacrificiorum ritus, & ceremonias in sui præcipuum honorem, & cultum, coordinauit: Ita in nouo Christus consecrauit duodecim Apostolos, & inter hos elegit, qui esset suus vicarius, & eorum caput, cui, ad patrem concessurus, cęlorum claues, & inferorum relinqueret. Hi sanè Clerici denominati sunt. Cleros. n. græcè, sors dicitur latinè, d. c. Cleros. d. 21. & 12. q. 1. c. Clericus: quippequi de sorte Domini electi sunt, munusq; ac ministerium exercentes hic in terris diuinum, quod Beati Spiritus in cęlis iugiter faciunt: vel quia, vt dicit Hieronymus ad Nepotianum, ipse Deus sors. i. pars est Clericorum Petrus autem primus Clericus factus est, vt habetur in rationali diuinorum officiorum lib. 2. c. 1. & diffusius infra. Nomen Clericus, vt scribit Gab. lec. 3. Canonis, primum ab Apostolis consecratum legimus, sorte electum quia sicut in veteri testamento, & apud gentiles Clerici, & Sacerdotes ex liberis eligebantur, sic & in nouo testamento, ipsi Matthiam sorte elegerunt; vnde Act. 1. dicitur. Et dederunt eis sortes, & cecidit sors super Matthiā. Matthias ergo Clericus est appellatus, quia sortitus fuit in sortem Apostolatus. Isidorus 8. Etymo. lib. disseruit. Clerum, & Clericos hinc credimus appellatos, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. Cleros etenim græcè, latinè sors, vel hæreditas dicitur. Propterea ergo dicti sunt Clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia Deum partem habent, & Deus eorum pars est. Ex quo patet, scribit Guil. in suo Rat. lib. 2. quòd nihil extra Deum habere debent: Sed solum decimas, primitias, & oblationes, quæ sunt hęreditas Domini, accipere. Et, vt nominis diffinitione prolata, nitantur Clerici esse, quod dicuntur, succinctè subiungit D. Hieronymus vbi supra. qui autem, vel ipse

pars

pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta Thren. 3. dicit pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius nõ erit Dominus. v. g. si aurum, si argentũ, si possessiones, aut variam supellectilem, cum his partibus, Dominus eius pars fieri non dignatur. De hac materia lege in Decreto dist. 12. vbi plenius continetur. Generaliter autem Clerici nuncupati sunt omnes Religiosè viuentes, initiatiq; ad Sacerdotium, quo nomine, & ipsi omnes Apostoli nuncupati sunt, & in eis ordo is Clericorum, vt diximus, initiatus est.

Post hos designauit Dominus Iesus alios septuaginta duos, & Altaris erexit immaculatum sacrificium, Hostiã viuentem, Sanctam, & Deo placentem, & orationis Dominicæ Sacramentum, Gratiano testante. Maiorum, & minorum Sacerdotum discretio in nouo testamento ab ipso Christo immediatè sumpsit exordium: qui duodecim Apostolos, tamquam maiores Sacerdotes, & septuaginta duos discipulos, tamquam minores instituit Sacerdotes; Beatissimum vestro Petrum in summum Sacerdotem elegit, dũ ei claues Regni cęlorũ pro omnibus, & præ omnibus tribuit, & à se Petra Petri nomẽ sibi imposuit.

Post verò Christi Ascensionem, hanc eandem formã sequenti Apostoli per Prouincias, & Ciuitates creauerunt primatos, Patriarchas, Archiepiscopus, & Episcopos, d. 80. c. in illis. & in c. 1. d. 21. vers. simpliciter. Et testatur S. Anacletus in c. in nouo. Ea. d. & latè tradit Augustinus de Ancona in tractatu de potestate Ecclesiæ. q. 104. Arg. 1. vers. respondeo. Post hos Leuitas. i. Diaconos ab eisdem Apostolis legimus ordinatos. Clerici ergo primi fuerunt Apostoli, & discipuli septuagintaduo, & qui ab eis Leuitæ promoti leguntur. Interiores autem ordines,

vt

vt pote sub Diaconos, Accolythos, & cæteros, procedente tempore Ecclesia sibi instituit.

Post Apostolos summi Pontifices, & precipuè Iginius primus, decimus à Petro, composuit Clerum, & distribuit gradus. Caius etiam ipse ordines distinxit, quod legitur ex amborum lectionibus in Ecclesia, & d. 77. c. Illud nos. & constat ex Epistolis Caij synodalibus. Beatus quoq; Syluester loca demum, & preeminentias ordinauit, quatenus inferiores deberent superioribus reuerentiam. d. 93. c. à subdiacono. Hi omnes ministri fuerunt Sanctorũ Canonum (veri vtiq; Canonici) & Pontificalium Decretorum Doctores Sanctissimi, quorum institutio fuit inchoata in veteri testamento, & in nouo plenius consumata. Nam ordo huiusmodi Canonicus à Nazareis cępit, siue leuitis, qui seruiebant templo. Quem propterea tribus Leuiticæ in Ecclesia locum tenere, & Apostolicæ dignitatis iura seruare, & officia gerere, nemo sanè sapiens, inquit Damianus Cardinalis, vnquam dubitauit. Et in illis quidem ministris vnctio, & ministrorum institutio tantum operabatur, quantum tempore Apostolorum Clericalis institutio, quod probatur, quia ministri illi solum erant dedicati ad cultum diuinum, vt patet discurrendo per libros quinq;, siue Pentateucum Moisis. item dicti ministri, scilicet leuitæ non commorabantur inter cæteras tribus, vt habetur Num. 11. c. sed erant segregati atq; diuisi; Item dicti Leuitæ nihil habebant proprij: sed tantum vrbes ad habitandum, vt Num. 35. c. nec in diuisione terræ Canaam, cum cæteris tribubus, partem acceperunt. Horum autem Leuitarum officium propriũ erat, ministrare in Tabernaculo, & mensam Domini componere, vt dicit tex. 1. c. Diaconi 12. q. 1. Item habitus eorũ, quando ministrabant, erat proprie tunica linea, vt habetur Exodi. 28. in prin. & infra eodem. c. porrò filijs Aaron tunicas lineas parabis, & cunctorę manus cõsecrabis:

quæ fuit figura consecrationis, qua nunc Sacerdotes consecrantur. Ista etiam transumptiuè habentur in d.c.1.21. d. Item constat, eas qualitates, quæ fuerunt in ministris templi veteris testamenti easdem fuisse in Clericis, institutis ab Apostolis & nunc easdem esse,& vigere in regularibus Canonicis. Quemadmodum.n.in illis,sic, & in his primò essentialiter,& de necessitate inest,quòd sint Clerici.i.dicati ad cultum,& ministerium diuinum: neq; connumerantur cum alijs, sed segregati viuunt, nihil habentes proprij: deferuntq; tunicam lineam, de qua meminit Io.And.in Clem.prima de Elec.in verbo habitus,& in.d. c.quod Dei timorem de sta.mona.& in c.sanè de regibus & Imo.in c.ex parte de postul.dicens idem Io.And.quòd dicta tunica linea est habitus ipsorum,quam Augustinus ipse gestauit, & suis Clericis portandam tradidit. Et de quo habitu etiam habetur in sermone eiusdem Augustini incipiente. Charitati vestræ, vbi in fine dicitur. Nemo det birrum, seu lineam tunicam nisi in communi, de communi.n.accepimus eam.voluit idem Augustinus Clericos suos sicut in professione, ita, & in habitu habere conformes, vt dixit tex. in c. in noua q. 16. q. 7. & in c. Deus qui de vita, & honestate Clericorum.

Accipitur ordo Clericalis in sensu nostro, quatenus etiam significat quendam Cuneum pręcipuę Religionis virorum seu Agmen Deo militantium, sub diuersis titulis,& Rectoribus,iuxta illud Apostoli 2.Thimot.c.2.Nemo militans Deo negotijs secularibus se se implicat. Et ij q.1.c.Christianis de Cler.ęgroto.c.1.ne Cler.vel Monac. c.1. Accipitur, inquam ordo pro singulari qualibet religione militante sub eadem Regula essentiali,& peculiari habitu,vt potè Canonicorum Monachorum Mendicantium, &c. & hoc modo plures sunt ordines, vt ordo Sancti Augustini, Sancti Basilij, Sancti Benedicti, Sancti Dominici, Sancti Francisci, &c. de his vide D. Antonium in sum-

summa. Vnde ordinem ingredi dicimus, Religionem intrare, vel assumere talem Regulam, vel modum viuendi, Canonicum videlicet, aut Monasticum, &c.

Accipitur etiam ordo pro singulari quaq; præfatorum religiosorum congregatione, quæ in quolibet præfato ordine per tempora sub eodem habitu, & regula reformata est: vt in ordine Canonico congregatio Saluatoris, & Frisonaria, siue Lateranensis. Et in ordine D. Benedicti, Cluniacensis, Camaldulensis, Vallisumbrosæ, Cisterciensis, Sãctæ Iustinæ, Montoliuetanæ, &c. Ordo Clericalis appellatur præcipuè Militia clericalis in Clemen. de celebr. Missarum. c. 1. Nam quemadmodum in Militia seculari, de qua Vegetius & alij scribunt, Militos sub suis Tribunis seruant suos ordines: ita in Ecclesiastica sub suis Rectoribus, quorum perturbatione res vtrobiq; sæpe numero in periculum ducitur. Et si ordo est naturalis in omnibus, vt D. Augustinus testatur. 34. q. 1. c. est ordo; Quare Grues literato ordine vnam sequuntur; & Apes regem obseruant, inquit Hieronymus ad Rusticum 7. q. 1. c. in Apibus; ita omnis ordo religiosus suis Rectoribus innititur, ne quid videlicet in domo Domini sit inordinatum, vel præposterum. d. 61. c. miramur; & quia religio est verè domus ac templum Maiestatis diuinæ, iuxta illud Apost. templum Dei estis vos: Ideo maximè ordinatum debet esse, vt inquit, Hiere. 30. Templum iuxta ordinem suum fundabitur. Iste autem ordo consistit in debita personarum proportione, atq; dispositione. Sicut. n. ordo naturaliũ sic se habet, vt nobiliora, & pulchriora locum obtineant superiorem; grossiora verò, & viliora locum teneant inferiorem, Ita in Ecclesia, & Religione, sic ordinari debent personæ, vt perfectiores gradum habeant meliorem, imperfectiores verò teneant statum inferiorem, iuxta illud. 1. Paral. 6. stabant iuxta ordinem suum in ministerio. Et in 2. Paral. c. 30. de personis sacris scriptum legimus.

gimus. Sacerdotes quoq; , & leuitæ tandem sanctificati sunt, obtulerunt holocausta in domo Domini, steteruntq; in ordine suo, iuxta dispositionem, & legem Moisis, hominis Dei. Sicut etiam Apes in suis cellulis ordinatissimè locantur: fila in telis Aranearum ordinatissimè situantur: grana leguminum in suis thecis ordinatissimè coniunguntur; Testę in Pineis ordinatissimè disponuntur, sic procul dubio religiosi in suis officijs, & beneficijs, Collegijs, & Conuentibus ordinari, & debitè conuersari tenentur. Religio ipsa est cęlum, vt sæpius habetur in Euangelio; sicut ergo in cęlo omnia ordinata sunt, quia videlicet ibi sunt Planetæ ordinati alter super alterum, qui quidem ordo numquam cessat, aut deficit: sic spiritualiter in Religione mores, & virtutes religiosorum debent esse ordinatæ, vt primo sit Saturnus, qui est Planeta grauis, terreus, & ponderosus, .i. virtus humilitatis. deinde Iupiter, Planeta beniuolus, qui suos, & non suos iuuat pariter, .i. virtus amoris, & charitatis. deinde Mars, Planeta feruens, igneus & Dux Belli, .i. virtus audaciæ contra vitia tentationum, & operationes iniquitatis; deinde sol, Planeta clarissimus .i. virtus sapientiæ, prudentiæ, ac subtilitatis. Deinpe Mercurius, Deus eloquentiæ .i. virtus orationis, & deuotæ prædicationis. deinde Venus, solem sequens, aut præcedens .i. virtus obedientiæ, & promptæ sedulitatis. Postremò Luna, plena humoribus, quæ est mater rosis, i. virtus benignitatis, & pietatis. Hoc vtiq; modo cęli ordo in Religione ponitur, quando naturales corporum cęlestium virtutes moribus religiosorum applicantur, atq; accommodantur. quasi de hoc intelligatur illud Iob. 38. Nun quid nostri ordinem cęli, & pones rationem eius in terra? q. d. non alibi magis, quàm in Religionibus talis ordo manifestatur; quæ tandem Religiones, in cælum trãslatæ, ad perpetuum, atq; gloriosissimum ordinem sanctificabuntur. Id quod Apos. dicit. Dum mundus iste durabit,

bit, homines præsunt hominibus, demones demonibus: Angeli Angelis, cum autem Deus erit omnia in omnibus, cessabit omnis Prelatio, non temen ordo vel maioritas. Nam in domo Patris mei mansiones multæ sunt. de pe. d.4. in domo, ex hoc intelligitur, quanti Deus faciat ordinem, cum cessantibus omnibus, solus ordo immobilis, permaneat in æternum.

Quid Appellatione status intelligatur. Cap. II.

Explicata ordinis varia significatione, præcipuaq; nostrum ad sensum acceptione: De significatione vocis huiusce status, nunc aperiemus intelligentiam (non. n. synonima sunt) Canonicus quod ordo de Natura sui duo complectitur: Clericatum videlicet, & regularem statum: quæ duo à primordijs nascentis Ecclesiæ essentialiter competunt ipsi Ordini Canonico, ita vt vno eorum deficiente, non erit amplius ordo Canonicus. Sicut ex li. g. subtracta homini altera istarum differentiarum, animal rationale, vel mortale, nõ erit amplius homo (naturaliter loquendo) & sicut duo ista per se, & essentialiter cõpetunt homini, ita & duo illa per se, & essentialiter cõpetunt canonico ordini. Tenet autẽ omnis scola tàm Platonicorũ, quã Peripateticorum, & Theologorum omnium, quod est per se, vel per essentiam tale, semper esse prius, & dignius eo, quod est per accidens, & per quandam participationem tale. hinc status Canonicorum regularium quouis alio statu, & prior, & longè nobilior dignoscitur: cum per accidens habeant alij, quod status ipse per se habent, vt patebit. Status propriè pertinet ad libertatem, vel seruitutem in temporalibus, vel spiritualibus, quia

signi ficat

significat immobilitatem, & obligationem personæ hominis, inquit D. Tho. 2. 2. q. 183. art. 1. & dicitur status à sto stas. stare autem significat positionem naturalem hominis cum immutabilitate: secundum eundem ibidem: & potest dici status, conditio, & vt scribit Scotus q. 3. d. 3. art. 2. lib. 1. status non videtur esse nisi stabilis permanentia legibus diuinæ sapientiæ firmata, vt stabilitum està Deo sapientissimo. Stabilitum est autem illis legibus sapientiæ, quod intellectus noster non intelligat pro statu isto nisi illa, quorum species relucent in Phantasmate; & hoc siue propter pęnam originalis peccati, siue propter naturalem concordiam potentiarum animę in operando; secundum quod videmus, quod potentia superior operatur circa idem, circa quod inferior; Si vtramq; habeat operationem perfectam, & de facto est in nobis, quod quodcumq; vniuersale est in nobis, eius singulare actu phantasiamur. Distinguunt Doctores inter ordinem Clericalem, & statum Clericalem; quia ordo clericalis, prout est caracter, secundum Vgonem de Sancto Victore, est signaculum quoddam, in quo spiritualis potestas traditur ordinato, & hoc modo est idem in omnibus quia secundum S. Bonauenturam, & D. Tho. in 4. d. 24. signaculum ibi sumitur pro signaculo in Anima diuinitus impresso. Sed secundo modo ad statum clericalem pertinent omnes, quibus per se, & essentialiter sunt Clerici, sicut Clerici seculares, & Regulares Canonici, qui principaliter ad diuina misteria sunt ordinati. scilicet ad statum clericalem, ad quē ordo Canonicus principaliter ordinatur. Cæteris. n., vt Monachis, per accidens competit, vt possint ad ordinem promoueri. De statu hic intelligimus de fundatione, amplitudine, decoratione, & conseruatione, de conditione, & obligatione, de medijs, & actibus necessarijs ad finem ordinem præfatum deferentibus. Ita inquit Plato; status dicitur conditio hominis, in qua, vt plu-

rimum potest. Pro statu deniq; accipitur qualitas hominis, eiusq; habitus.

Habet autem vnumquodq; genus hominum aliquid laboris,& aliquid delectationis pro existentia, continentiaq; sui status. Nec possunt hęc ab inuicem sequestrari vllo modo, si gloriosum ad finem statum ipsum perducere velint. pro laboribus, ac meritis decoratur quidem glorificaturq; tandem status: pro delectatione autem homo continetur in laboribus, vt inquit Aris. Hinc deformationem, & ruinam Ecclesiastici status, dum in suis libris frequenter describit, & lamentatur D. Bernardus: Canonicorum quoq; lapsum permaximum specialiter deflet, ac præter cætera eorum prudentiam protestatur, qui nouo artificio inter hæc discernentes, totum quod delectat, eligunt, & amplectuntur: quod autem molestũ est, fugiunt,& declinant. Id sibi vsurpant, quod delectat, id vitant, quod grauat. Admirabilis certè factus est ordo Canonicus à Deo supra quoduis genus hominum, aduertere inde verò debet, quod cæteris omnibus fit etiam laboriosior eius met status. Cum augentur Dona, rationes etiam crescunt donorum, .i. obligationes laborum, inquit D. Gregorius, in hom. 9. in Euangelio Matth. c. 25. Sollicitè igitur considerare nos admonet, ne nos, qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, à Saluatore mundi grauius inde iudicemur. Tanto ergo esse humilior, atq; ad seruiendum Deo promptior quisq; debet ex munere, quantò se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. Multi verò sunt, qui volunt gaudere cum Sancti, vt inquit D. Augustinus Ser. 47. de Sanctis: vt tribulationes mundi nolunt substinere cum illis. Cum militibus.n. frequentant superbiæ fastum, amplam familiam, nobilis apparatus, equorum Phaleras,& consimilia; cautè omninò pondus loricę, atq; insomnes noctes in castris, in certa quoq; discrimina præliorum vitantes; Porrò à mulie-

mulieribus mutuantur dependentes à Collo rubricatas murium pelles, ornatos thalamos, balnea, & omnem mollitiem, & gloriam vestium; Verecundiam verò, ac disciplinam mulierum, & si quid sexus ille habet laboris, nullatenus considerantes. Sudant Agricolæ, putant, & fodiunt vinitores: ipsi inter hæc otio torpent; accedente fructuum tempore iubent sibi horrea innouari, & promptuaria eorum replentur illis: Viuunt tritico, bibunt vina, impinguantur, & dilatantur adipe frumenti: Succis herbarum peregrinum imitantur saporem. Negotiatores circumeunt mare, & aridam in labore corporis, & periculo vitæ perituras sibi diuitias congregantes. Dura sunt hæc, & cauent ea prudentes nostri, quos dicimus, canonici: interim capiunt somnos, ne dicam suis lasciuiunt in stratis. Cæteri demum Mechanici multo, & magno labore victum sibi acquirunt. Clerici verò madent delitijs, & copijs affluunt ociosi. Cùm resurgere cęperint homines vnusquisq; in ordine suo, vbi putas locabitur ista generatio? si ad milites diuerterint, exsufflabunt eos, quoniam labores, & pericula secum minimè tollerauerunt. Sic Agricolæ, sic negotiatores, & singuli quiq; hominum ordines à suis eos finibus deturbabunt, vt potè qui in labore hominum non fuerunt. Quid ergo restat, nisi, vt quos omnis ordo repellit, etiam recusat, eum sortiantur locũ, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat? Hinc rursus ostendit S. Bernardus lib. 3. de consideratione, huiusmodi Clericos nullius esse ordinis, dicens. Quid sibi vult, quòd Clerici aliud esse, & aliud volunt videri? nempè habitu milites, quæstu clericos, actu neutrũ exhibent: Quia, nec pugnant, vt milites; neq; vt Clerici conuersantur, & docent. Cuius ordinis sunt? cum vtriusq; esse cupiunt, vtrumq; deserunt, & confundunt. Vnusquisq;, ait Apostolus, in ordine suo resurget, isti in quo? An qui sine ordine peccauerunt, sine ordine peribunt? aut si iustus, & summè

mè sapiens Deus veraciter creditur, à summo vsq; deorsum nihil inordinatum relinquere, vereor eos non alibi ordinandos, quàm vbi nullus est ordo, sed sempiternus inhabitat horror. Hic non seruauerunt ordinem in mundo, qui est à laboribus ad delectationem: Ideo status eorum non habebit nisi damnatissimum finem, à delectationibus mundi ad sempiternos Inferni cruciatus descendentes. Hinc Apost. Paulus prædicat, dicens: Si fuerimus socij passionum, erimus & consolationum. Quod, è contrario sensu, vertitur in tremendissimum Iudicium. Hactenus de ordine, ac statu. Quò ad vocum ipsarum declarationem: Res autem ipsas explicabimus magis in sequentibus.

De varia Clericorum denominatione. Cap. III.

CLERICORVM nomen, diuersis temporibus, vti Christianorum, in suis initijs, & Leuitarum in sacris antiquis, variatum est. Nam & discipuli, & fideles, & fratres priusquam Christiani, dicti fuerunt. Act. c. 2. & glo. c. sacrosancta d. 22. de Leuitis, inquit Isidorus cap. Cleros 21. d. de Leui exorti sunt Leuitæ, à quibus in templo Dei mistici sacramenti misteria explebantur: qui passim cum in libris Mosaicis, tum in cæteris veteris instrumenti Nazarei etiam nuncupantur, & ministri templi, & sacrificiorum ministri: Sic qui Clerici primum, aliquando Clerici simpliciter dicti sunt. Vide Gratianum in principijs causæ. 19, vbi præmittit casum duorũ Clericorum, quorum vnus relicta Ecclesia propria: Alter, dimissa regulari Canonica, in Cenobrium se contulit. Vtrumq; n. pariter Clericum simpliciter appellat; Quamuis vnus esset Canonicus

nicus regularis vt patet, cum eos item distinguit per professum, & non professum, & de vtroq; agit per totum titulum, sub hoc nomine Clerici. Habetur etiam. d. 5. de consec. c. in omnibus, iuncta glosa. Quod Canonici antiquissimo nomine dicti sint Clerici, patet in constitutionibus editis Basileæ, vbi legimus ex sententia Caroli Magni; Qui ad Clericatum accedunt, quod nos nominamus canonicam vitam, volumus, vt illi Canonici secundum Regulam suam viuant, & Episcopus illorum regat vitam, sicut Abbas Monachorum. Est autem Clerici nomen passim in ista significatione, in Patrum libris, & Canonibus, vbi canonici nomen rarius inuenitur obuium, Quamuis ex Phrasi nostri temporis, multi sint Clerici, qui non sunt canonici: & quidam sint canonici regulares, qui non sunt Clerici. Tunc verò temporis nil aliud erat accedere ad clericatum, quàm accedere ad canonicũ viuendi modũ.

Aliquando canonici simpliciter vocati sunt, vt habetur in Iure, in c. sunt non nulli. 16. q. 1. Hoc nomen reperio primum prodijsse decretis à D. Gregorio. i. dudũ. 22. q. 2. haberq; in Rubrica. c. Decimas. 16. q. 2. & c. perniciosam in fine. 18. q. 2. & in Rub. tex. & glo. d. c. in omnibus de consecratione, & alijs pluribus locis. Canonicus autem est fraternus clericus, hoc est in Canonijs sub fraternitate aggregatus, ex quo ritè canonicos regulares, ab antiquis prænominatos fratres, legimus. Quid verò dicatur canonia innuetur infra.

Aliquando Clerici religiosi fuerunt dicti. c. præter. d. 32. vbi agitur de vita inter eos communi. Ad quod alludens D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 4. Canonicis, ait, regularibus competit per se, vt sint Clerici religiosi. Monachis autem per accidens. Et contra impugnantes religionem c. 2. dicit. Dato quod monaco docere non liceat, non sequitur quod canonico regulari non liceat docere, cum Canonici regulares inter Clericos computentur. Reli-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

giosus, vt scribit Gabriel. d.41. art. 3. q. vnica, dubio 2. lib.2. dicitur is, qui profitetur Regulam factitiam. Sed omnes, qui alicui prælato, secundum Ecclesię ordinationem, se subdiderunt: Immò eadem ratione quicumq; statum aliquem à Christo, aut Ecclesia approbatum, propter Deum suscipiunt. Religiosi autem opponuntur Clericis secularibus in.c. licet de officio. Iu.or. vbi Abbas asserit, Clericos, in quantum communes, esse propriè clericos. In quantum habent propria, seculares. Concludamus ergo Canonicos regulares esse clericos; & quia religiosos, non esse seculares: Et in quantum communes esse propriè Clericos, ex quo seculares non sunt religiosi in hoc sensu, neq; communes. vt habetur in.c. cui portio. 12. q. 1. & c. Clericus, & c. vltimo.

Quandoq; canonici religiosi nuncupati sunt, vt in Concilio Tiburiensi, & cap. præsens. 20. q. 3. vbi non placeat secunda expositio glosæ, in verbo Religiosos: cum textus ipse per se clarus sit de canonicis regularibus tantum, vbi dicit in canonica degere vita. Nec putamus canonicos religiosos à sanctorũ Monachorum cõsortio esse seiunctos. Habes cap. dictum. 81. d. & cap. sicut nobis de regularibus, veram interpretrationem huius sententiæ, vbi tractatur de canonica regulari. Prætermitto quantum hæc sententia cononizetur apud Doctores, cum volunt inter canonicos regulares, & monachos paria censeri; Quibus & astipulatur. Innocentius. 3. c. quod Dei timorem: & in glo. de statu monachorum sub eisdem verbis dicti Decreti. Qui si etiam tempora consideraueris, agnosces inter Concilium Maguntinum, cuius est illud cap. dictum, & Nicolaum primum, à quo hoc manauit Decretum, non multum temporis fluxisse: Intra videlicet Annum Salutarem octingentesimum, & nonagentesimum. Dicebantur ergo Canonici Religiosi, hoc est perfecti; Seruantes regulam Apostolicam: è contrario, non obseruantes, imperfecti;

quos

quos ideo Pater Augustinus. c. Nolo. claudos, & cæcos perstrinxit. D.Tho.contra retrahentes à Religione, statuit perfectionem in tribus votis essentialibus, quæ sunt dumtaxat religiosorum, sine quibus negat potuisse perfici vel ipsos Apostolos: Et sequitur. Talis in primordijs suis fuit Ecclesia, qualis postmodum fuisse apud perfectos quosq; inuenitur. Gratia.n. à perfectis initium summere debet: & allegat. D. Hieronymum de Viris Illustribus, sub hanc sententiam. Hic modus viuendi, perfectioni cõgruus, fuit apud primos credentes in Iudæa sub Apostolis, & apud Aegyptum sub Marco Euangelista. Disseritq; multò plura de hoc statu perfectionis. 2. 2. q. 186. art. 1. Vide etiam eius opusculum de statu perfectionis. Religiosus quoq; hoc nomen, passim pro regulari accipitur, & professo sub ea vita communi, vt de Regul. per totum titulum, & de Elec. c. si Religiosus, & sequen. & in 6. eo titu. c. nullus Religiosus.

Dicti sunt & clerici professi c. 13. q. 3. c. vbicunq; & 20. q. 3. c. præstas in fine: siue Clerici canonicam vitam professi. 15. 92. c. obseruandum. De professione Clericorum scribitur. d. 28. c. de his, & 19. 93. c. nullus & c. statuimus, mentio est de canonica professione. c. mandamus, dicitur regulariter professus. Habes, & c. cum causam de Elec. vbi tractatur de Clericis professis, & non professis; & professi appellantur canonici. Quid verò distet inter tacitè professos, & expresse, constat. c. nullus Relig. & c. ex eo quod, & c. indemnitatibus de Elec. in 6. de cuius forma professionis pro canonicis regularibus legi in regula Petridamiani confirmata per Paschalem. 11. de clericis vero non professis manarunt, inquit Abbas, iura nouissima c. Episcopus de prebendis. Stant ergo iura antiqua pro professis: & sic his posteriores non professi: Husq; sanè legimus Apostolos, vel Clericos primitiuæ Ecclesiæ, ad Augustinum vsq; expresse professos fuisse, sed nec vl-

libi Augustinum, aut eius Clericos. Etsi non desunt, qui sentiant, Augustinum obligasse primùm Clericos sub professione; Multa tamen, inquit D.Tho.in 4.d.17.per Apostolos facta fuerunt, quæ non scripta reperiuntur. Et. d. 38.art.2. *q3*.in Responsione ad *3*.Arg.arguit, quòd antequàm essent hæ Regulæ, quæ nunc sunt, erat aliquis modus viuendi, ab Ecclesia probatus, quo aliqui ad tria essentialia se obligabant, & tunc certi temporis obligatio ad talem modum ibi operabatur, quod nunc obligatio ad certam regulam. Et 2. 2.q.88.art.4.in fine, dicit, Apostolos vouisse pertinentia ad statum perfectionis, quando, relictis omnibus, sequuti sunt Christum. De qua Cardinalis quoq; 17.q.1.in summa. Dare, inquit, & sua, & se, vt fecerunt Apostoli, & postea multi ad perfectionem pertinet, & videtur glo.fin.c.dilectissimis. 12. q. 1. sentire cũ B. Tho. quòd Apostoli se adstrinxerint ad tria essentialia. Idem asserit Petrus de Pallude, quod B. Tho.fuisse, inquam, in Ecclesia quendam modum approbatum, qui idem faciebat in professione regulari, quod nunc emissio trium votorum prò quo tenore hæc eadem, & longè plura legis apud Alexãdrinum in suo Apparatu dist.44.c.1. D. Augustinus mox vt dicemus, testatur in sermonibus suis canonicis, clericum duas res esse professum, sanctitatẽ, & Clericatum. De omni clerico generaliter loquutus est, perinde vt de omnibus decreuerat Clemens dicto cap. Dilectissimis: & Vrbanus cap.scimus. Et.c.videntes. ea.q., quæ si ad Lancem expenderis, reperies Augustinũ hinc ea mutuatum pro sua hac professione clericali, & sãctitate: cuius tamen professionis, vt dicimus, aliquam nullibi formam præfert. Quæ cum nihil aliud sit, nisi propositum vitæ communis, sub propriorum abdicatione, quod est ipsa regula Apostolorũ, quæ magis more; & consuetudine, quàm scripto cauebatur; iuxta illud B. Clementis. Istius.n. consuetudinis more retento, etiam Apostoli, eo-

rumq;

rumq; discipuli vna nobiscum, & vobiscum communem vitam duxerunt: Ausim affirmare, huiusmodi propositum fuisse sub tacita professione, quę in Clericis tunc annectebatur promotioni clericatus, absq; alia verborum expressione, sicuti modò paupertas, & castitas connectuntur sub obedientia, quamuis non exprimantur: & sicuti continentia in assumptione ordinis, quam notat Io. And. c. legebatur de maior. Et obed. & allegat cap. Diaconi d. 28. & hic erat ille modus vniuersaliter ab Ecclesia comprobatus, de quo B. Tho. & Petrus de Pallude attestantur, qui non incongruit modernæ professioni tacitæ, perinde vt expressa, obliganti; de qua glo. c. porrectum de reg. & transf. ad relig. cum nihil reforat, vtrum quis dictis, aut factis declaret voluntatem suam. glo. c. progenitores 21. q. 1. & de appellationibus c. dilecti. Adde, quod antequam D. Augustinus eos sermones, seu Regulam conderet, prius regulariter cum suis clericis per multos annos vixerat: Nam seuera ibi illos edidisse constat, sicut & regularitatem (quod inficiantur nonnullis) in Augustino, & in eius clericis nō occepisse; Nam factus præsbiter Monasterium Clericorum mox instituit, & cæpit viuere secundum regulā, sub Sanctis Apostolis constitutam. Vixit autem in Clericatu, & Episcopatu per Annos quadraginta, vt innuit Possidonius eius discipulus: Cautum verò postea fuit de expressa professione. c. Vidua 20. q. 1. & c. omnes fęminæ 27. q. 1. & glo. c. nullus religiosus de elect. tex. pariter cū c. indemnitatibus in eo, in fine. & glo. c. ex eo. Quibus ita cautum fuit de expressa, vt nihil propterea eleuaretur de tacita. Quę nihilominus, vt olim, circa rem hanc adhuc militare videtur. Nihil itaq; antiquius lego pro forma huius professionis expresse apud Canonicos regulares, quā quod constat ex regula Damiana, de qua supra. Cum tamen ante eam regulam, apud Canonicos Portuenses Rauennates, quibus nominatim data est, Regularis vita iam

dudum

dudum sub nullo scripto, sed vsu tantum duceretur, vt ibi apertè innuitur, & consuetudine, perinde, vt ostendimus seruatum aliquandiu apud Augustinum, & annos ipsius: & pro ea sententia Clementis supra, apud primos Clericos sub Apostolis. Mirum igitur non est, si diuersæ verborum formæ reperiantur professionis expressæ apud vetustos canonicos; & monachos, & horum recentiores, quæ vel in regula Benedictina, vel hac Damiana permitti etiam videntur arbitrio profitentium. Nam & Mendicantes, sicuti habent diuersas constitutiones, ita diuersa forma profitentur: omnes tamen sub eodem sensu, veluti priores. Quod parum omninò referre videtur: ex quo sine verbis, etiam tacita professio tenet, vt probatum est. Agitur quoq; de professione tacita, & expressa c. vnico de voto in lib. 6.

Dicti fuerunt, & Clerici communiter viuentes. Clericus, inquit D. Augustinus, duas res professus est, sanctitatem, & Clericatum. Professus est sanctitatem, quæ pertinet ad interiorem, exterioremq; castitatem, & obedientiam. Professus est clericatum, idest fraternitatem, & communem viuendi societatem. Professus est quàm bonum, & quam viuendum habitare fratres in vnum. quæ habentur in ser. de communi vita clericorum vnde sermones canonici D. Augustini intitulantur etiam à Gratiano. De communi vita clericorum super cap. nolo. 12. q. 1. & de ea agitur per totam q. dicto. c. Decimas. 16. q. 1. Sancitur de clericis communiter viuentibus, iuncta glosa. Sunt autem ista duo in canonico ordine connexa simul, & connaturalia, & quasi coeua: Sicut calor, & splendor in igne, ab ipsius nascentis Ecclesiæ primordijs.

Nominati sunt Clerici catholici in regula Damiana, ex auctoritate B. Patris Augustini allegata ibi de verbis Domini. c. 19. Brulefer. d. 5. q. 3. lib. 4. inquit, catholicus est, qui credit implicitè, vel explicitè, actu, vel habitu omnia,

image
not
available

runt nedum in gradu, verum in summo gradu perfectionis, immò quantum dici potest in Deo perfectissimi, primitias spiritus habentes; ergo fuerunt in professione Regulari. Et ne super hoc argumentis dialecticis vti videamur apud Decretorum Doctores: Ad memoriam reuocanda sunt verba Alexandrini in suo apparatu dis. 44. c. 1. vbi dicit. & isto tempore, loquitur.n.de primitiua Ecclesia, vt dicit. S. Tho. in 4.d.38.art.2. q. 3. in resp. ad tertium Arg. Antequam essent istæ Regulę, quæ nunc sunt, erat aliquis modus viuendi, ab Ecclesia probatus, quo ali qui ad ea, quæ super erogationis sunt, se obligabant: & tunc certi temporis obligatio ad alium modum idem operabatur, quod nunc obligatio ad certam regulam. Et propterea secunda secundæ q. 88. art. 4. in fine dicit S. Tho. quòd Apostoli intelliguntur vouisse pertinentia ad statum perfectionis, quando, vt dicebamus, Christum, relictis omnibus, sunt sequuti; & videtur glo. fin c. dilectissimis, sentire cum B. Tho. quod Apostoli se adstrinxerint ad tria substantialia, quæ important statum perfectionis. Ex quo possumus inforre, Apostolos clericos fuisse, atq; canonicos regulares. Eam quidem Apostolorum fuisse regulam ex Apostolius actis facilè docemur, vt nemo eorum, qui se ad Christi Religionem contulissent, aliquid proprij possideret, sed omnia essent omnibus communia, & singulis, quæ opus essent, tribuerentur. Ita.n. Sancti Patres Apostolicam vitam, communem vitam diffinire, in qua non victum modò ipsum, vestitumq;, sed somnum quoq; ipsum, & quicquid ab Ecclesijs proueniret necessariarum rerum, in commune caperent omnes, qui præsertim in sortem Domini vocati essent. Cæterum vna pro alijs omnibus satis nobis hoc in proposito fuerit sententia Nicolai Pót. Max. id nominis primi, & centumtrexdecim Patrum, qui synodo Romæ in Constantiniana Basilica celebrata, luculenter ipsam Apostolicam regulam,

com-

communem vitam interpretati sunt, atq; obseruandam Clericis proposuerunt: constituto in hæc verba Decreto; quod opere pretium fuerit hoc loco recensere. Id verò est. Et præcipientes statuimus, vt hi prædictorum ordinum, qui eidem prędecessori nostro (Sacerdotes autem Diaconos, subdiaconos, nec non Leonem Papam commemorant) obedientes, castitatem obseruauerunt iuxta Ecclesias, quibus ordinati sunt, sicut oportet Religiosos Clericos, simul manducent, & dormiant; & quicquid eis ab Ecclesia venit, communiter habeant. Et rogantes monemus, vt ad Apostolicam vitam summoperè peruenire studeant. Hinc itaq; iure optimo, qui in communi degerent vita, hi Clerici canonici, ab Apostolorum Canone, græcè dicti sunt. D. Augustinus propterea Apostolorum regulam primus sic renouauit in Clericis suis, quatenus in eadem sociali vita, secum etiam in Monasterio, degerent, proprijs, Apostolorum exemplo, renuntiantes. Quod deinde diuersis Decretis acceptatum est, vt sub eodem tecto Clerici omnes simul manerent, vna simul cibos caperent, simul dormirent. d. 32. c. in omnibus. Qui sic in vnum associati, non tantum repræsentabant Apostolos, & discipulos suos decessores, quò ad ipsam vitam communem, & propriorum abdicationem; verum etiam continuabant eos, quò ad ipsam sacramentorum dispensationem. Vnde in sermonibus suis B. Pater Augustinus, vt supra, Clericus, inquit, duo professus est, sanctitatem, & clericatum. Clericos autem, non renuntiantes proprijs, cæcos, & claudos nuncupabat: cedentes verò & tamen proprietarios, dicebat, hypocritas, & mortuos; dictis sermonibus canonicis. Et repetita. 12. q. 1. c. nolo. Vbi cæcos, & claudos, interpretantur Doctores, imperfectos: Hypocritas verò, & mortuos, intelligunt, iam damnatos. Quousq; igitur Clerici hanc regulam Apostolorum sunt prosequuti, semper canonici fuerunt meritò nuncupati. Dum autem aliqui-

corum

eorum, à regulis primis Apostolorum defficientes, declinabant vitam communem, degebantq; proprietarij, non cedentes bonis, verum de communibus nihil tunc participabant, nisi indigentia pressi; Quibus quoq; procedente tempore communia, hoc est ea, quæ pro vitam commu nem viuentibus clerici tantum, & laicis seruabantur, etiã impertita sunt, quia scilicet Ecclesiæ pauperum sunt. 23. q. 7. c. quod autem: & dispensantur inter Agentes vitam communem, & per eos omnibus indigentibus. d. c. Viden. & 10. q. 2. c. Episcopus; Sed maximè clericis, intellige extra eam vitam communem, vt ibi, & glo. c. decimæ, tributa. 16. q. 1. & c. vlt. vbi dicit Hieronymus. Quicquid habent clerici, pauperum est. Quod arguit multò magis sub ueniendum Clericis, in necessitate depressis. Impertita verò sunt ex viribus nouissimis, vt Abbas supra c. Episcopus de præbendis, & per totum titulum, & alibi passim.

Denominati etiam fuere Clerici regulares: Et sic habentur c. pleriq; extra de pact. irregulariter viuentes c. 1. de filijs Presbiterorum D. Bernardus Epist. 148. scribit Odoni, Abbati regularium clericorum. Regularis autem, secundum Doctores, dicitur, qui ad viuendum secundum aliquam regulam se adstrinxit, siue sit monachus, siue sit Canonicus. Idem. n. iudicium est de ambobus. vt in cap. ex parte depostula. & cap. non magnopere. Monachus dicitur à Monos. i. vnum, & incos, .i. custos. ita multi interpætantur. Clericus dicitur à cleros. i. sors, & incos. i. custos. Canonicus dicitur à canone, quod est regula & incos .i. vnius sortis, & regulę custos, quia semper sub regula esse debet. Regularis est, inquiunt alij, qui per professionem imperio Prælati se subijcit. Clerici verò primi vnam tantum regulam. i. Apostolicam obseruabant, sub correctione suorum Prælatorum.

Dicti sunt postremò canonici regulares: & sic scribuntur principio. q. 3. causæ. 19. & tribus primis cap. tàm in

Rubrica

Rubrica,quã in textu.& c.vt lex.27.q.1. & alijs pluribus locis in ipsis decretis,& eorũ glo.ac passim indcretalibus. Ex græco autem canon dicitur Regula,vt dist.4.c.canon. siue dicitur ordo, vt vult Albericus. Clericos igitur seruantes regulam, & ordinem Apostolorum, canonicos .i. regulares,nominauerunt:vt eos videlicet ab inobseruantibus discernerent. græcè autem primùm appellati sunt, sicuti clerici: Et quia etiam græcè Apostolorum canones dicebantur, atq; dicuntur hucusq;. Canon quoq; dicitur quicquid pro statuto in Concilio generali, aut prouinciali,deliberatur,cuius quatuor asseruntur species. 15.q.2.c. si quis. Clericos igitur canonicos rectius,& limatius crediderim eos denominandos. Pro vt in c.in omnibus. quocumq; enim nomine sunt vocati, omnes semper clerici per se,sub sua principali videlicet appellatione, vt inquit,D.Thom.2. 2.q. 189 art.4.hoc est naturaliter,& essentialiter intelliguntur procreati. vnde primum ordo clericalis,& de hinc Canonicus,nomen sumpsit: Perinde verò,vt hic ad illum referatur,tamquam species ad suum genus. Canonici, & regulares idem sonant, sicut illud Apostoli ad Rom.8.In quo clamamus Abba pater. & idẽ Marci.14.Abba pater omnia tibi possibilia sunt, transfer à me calicem hunc. Nam,vt ait Isidorus,vbi supra,in vno nomine duabus vsus est linguis. Cum Abba, syro nomine,patrem: & rursus latinè nominat itidem. Scio autem quantum,& Ludouico viui in 3.de Ciui.Dei c.15.alijsq; litteratis viris huiusmodi,& canonicorum,& regularium simul vocatio displiceat: Cum id aliud sonare non videatur,quàm bis regularem.Pro illorum animi pace igitur, addijcio,quòd sicut inter Abbates,ij,qui cæteris Abbatibus præsunt,peculiariter dicuntur Patres Abbates; ita inter canonicos,illi ad distinctionem canonicorum secularium,dicuntur canonici regulares, qui propriam ordinis formam videntur obseruare. Præterea inter Ecclesiasticos

cos, hanc locationem inualuisse, dicimus, eo quod in antiquis Concilijs, aliud sit regulariter, aliud Canonicè viuere. In Concilio enim. Moguntino cap. 21. legitur si Monachi fieri voluerint, regulariter viuant, sin autem canonicè viuant omninò. Non quasi canonici nullam habeant regulam, sed quia Monasticam non habeant, quæ Ecclesiastica phrasi per Antonomasiam solet dici regula. Quare canonici regulares dicuntur, quasi vtriusq; ordinis perfectionem complectentes: Addo secundum Patris nostri Augustini doctrinam in libro de cathechizandis rudibus c. 9. to. 4. & in Psal. 183. grammaticorum, oratorumq; huiusmodi esse obseruationem verborum, non autem Patrum Ecclesiasticorum, qui morum vitia potius, quàm verborum, deuitare student: & cordi casto linguam exercitatam non præferunt. Iudicant ipsi præponendas ita esse verbis sententias, vt præponitur Animus corpori. Ex quo fit, vt mallint veriores, quàm disertiores audire sermones; sicut malle debent prudentiores habere amicos, quã formosiores. Non ignorant etiam, non esse vocem ad aurem Dei, sed Animi affectum. Tandem ideo magis tolleranda est vox in proposito nostro geminata, canonicorũ scilicet, & regularium, quòd in vsitatissimam, & inueteratam loquendi phrasim recepta sit: passimq; in corpore iuris Canonici; & litteris Apostolicis, & in Concilijs posterioribus obuium est, vt non sine irreuerentia, hæc in Patribus à litterarum studiosis repræhendatur. Multiplicis itaq; nominis varietatẽ, sub diuerso euentu, clericis principio contigisse, intelleximus; quia primùm clerici simpliciter, & simpliciter canonici; postea ob perfectionis augumentum clerici religiosi, & canonici Religiosi: & clerici professi, & clerici canonici. Demum Canonici regulares denominati sunt: Hęc autem diuersitas nominum, nullam rei diuersitatem importat, quamuis arguere soleat apud Iuristas arg. l. si idem Codicilli. c. de Codici: sed vna

&

& eadem res fuit semper; Vnus atq; idem ordo continuauit iugiter vsq; modò, quem tamen vnusquisq; gentium, suo modo considerandi, nominauit: Sicut idem panis est frumenti, quem vnaquæq; generatio, suo modo loquendi, appellat nomine sub vario. Et Ciuitas illamet dicitur nunc, quæ fuit antè Annos mille per successionem, & si diuersis nominibus, diuersis temporibus nominata fuit: vt etiam habetur in l. proponebatur. ff. de iudi. in l. seruitute §. si sublatum de seruitute: Item l. si grege ff. de lega. primo. Eadem ratio est, cum ipsamet religio primum institutio Apostolorum: Deinde Sancti Marci ordinatio: demum regula Sancti Augustini fuerit nuncupata, vt in progressu lectionis patebit: Quamuis apud Iuristas pariter ista nominis mutatio sit valdè suspecta, & in fraudem quasi depositum sit præcedens nomen, ob aliquem defectum, vel culpam: cuius sequentes nollint memoriam renouari, & præterea sapiat inconstantiam, vt l. in causæ ff. de mino. Addo varietatem habitus, & colorum: quoniam aliqui colore albo, aliqui nigro, nonnulli griseo, ad vestimenta vsi sunt: mutatio enim qualitatum nunquam mutauit rei substantiam. Quamuis contrarium accipiatur in l. in delic. §. 1. de tracta. ff. de noxalibus. l. habebat. ff. de institoria. l. 1. §. docere. ff. bonorũ raptorũ no. in l. edita. c. de eden. Sed positio nostra ex lectura historiarũ, & cronicarũ: & ex priuilegijs Summorum Pontificum adeò est notoria, & patet expressè, vt non sit probare necesse.

✠

De Vita, & Moribus Canonicorum Regul. Cap. IIII.

SATIS quidem ex iam dictis, maximè autem in proximo præcedenti capitulo, regularium canonicorum perfecta morum, & vitæ religio intelligi potest. Quot quot enim de ipsis habitæ sunt nomen laturæ, tot de vita, & honestate, quæ ab eis verbo, & sermone vel acquiritur, & conseruatur; vel amittitur, aut violatur: vel quam ipsi habitu, gestu, atq; incessu: sobrietate, beneficentia, charitate, optima conuersatione, & continentia, alijsq; virtutibus, his connexis, consequuntur, & illustrant: & de vitijs, illis contrarijs, quibus eandem maculant, vel extinguũt, & pessundant, propositæ sunt significationes. Cum autẽ canonicus dicatur à canone, quod est Regula, & secundũ Gratianum regula dicatur, eo quod rectè ducat, nec aliquando aliorsum trahat: siue, vt alij dicunt, quoniam regit, & rectè viuendi formam tradat: vel quoniam id quod distortum, & prauum est, corrigat; quod est corrigendum ipsa emendet. Clarum est Canonicos regulares, & rectã teneri ducere vitam, vitiorum obliquitates vitando, atq; veram Beatitudinem, per virtutum itinera, sinceriter gradiendo, iuxta pręfixa eis à Patribus sanctis statuta; quamuis autem à generalibus Concilijs, à Pontificibus summis, à Doctoribus, & Prælatis eximijs Hieronymo, Augustino, Gregorio, Isidoro, Guillelmo Parrhisiensi, Dionysio Cartusiano, & cæteris, multa sint instituta præclarè, à Canonicis obseruanda, quæ in Decreto hincinde tanguntur: hæc tamen, quantum iam sufficit, in principio tertij Decretalium compendiosè collecta sunt. In summa verò, hi propriè Canonici regulares dicuntur, qui videlicet,

aet, se arctius cæteris Canonicas regulas obseruare velle deuouerunt, ac de facto obseruant efficaciter. Et veteres illi, & venerandi nostri maiores longè plenius, quàm nos, meditabantur canonicam vitam, perpetuam pęnitentiā esse debere. Canonicus, inquit, Vuernherus Cartusianus Coloniensis idest regularis. Vnde qui non vult regi, aut dirigi, non est canonicus. Nec minus eleganter, Gualterus primum Insulensis canonicus, deinde Magalonensis in Francia Episcopus. Si Canonici vocamur, & canonicam vitam professi sumus, canones à Romana Ecclesia matre nostra nobis datos (à quibus etiam vocabulum sumpsimus) amplecti in omnibus, & imitari debemus. Idem scribit Iuo, reformator canonici ordinis in Gallicana Ecclesia ad Gualterum Præpositum Stirpensem, epistola 202. Ideò canonici (quidam Codices addunt vocem, regulares) appellari estis, quòd canonicas regulas vos velle obseruare, cæteris arctius, deuouistis. Idem Cardinalis Nicolaus de Cusa docet lib. 10. excitationū. tractans enim illud Apostoli; sic currite, vt comprehendatis; canonicus, ait, à canone, qui latinè regula dicitur; in regularum igitur, seu canonum obseruatione viuere, moueri, & currere debet. Adam etiam Pręmonstratensis. Ser. 3. Scire debemus, inquit, grandi nos debito constrictos, qui vsitato nomine canonici appellamur. Ipsum namq;, quod portamus nomen, mouet nos, vt omne, quod distortum est, declinemus: & quod rectum est, tàm intus, quàm exterius, exerceamus. Canonici nomen, honoris titulus est, sed si eo indignè vtamur, fit, vt sues cum ornamento esse videamur; sicut de Christianis dicit Saluianus Massiliensis Episcopus, initio lib. 4. de prouidentia proui. 11. Christianum nomen aureum decus est, inquit, quo si indignè vtamur, fit, vt sues cum ornamento esse videamur. Cononicis profectò, quod, & Apostolis, dixit Saluator noster Christus Matth. c. 5. Nisi abundauerit iustitia ve-

stra plusquam Scribarum,& Phariseorum,non intrabitis in regnum cęlorum. Quare si Euangelica lex ab ipso tradita,est lex totius charitatis, & pietatis, lex vtiq; totius perfectionis,docens cuncta carnalia,& terrena contemnere; spiritalia,diuina,ac cęlestia iugiter affectare, summo, & inuariabili Deo; mente pura ac feruida, incessabiliter adherere: Equidem Canonici,præ vniuersis mundi fidelibus,tenentur esse charitatiui,pij,spiritales Diuini,exemplares,patientes,humiles casti,sobrij,& perfecti; nec aliter digni sunt à quoquā canonici vocari. Ipsis enim verò præcipuè dictum est,eodem Matth.c. Vos estis sal terræ: Vos estis lux Mundi,&c. Sed de his canonicorum optimis,& vitæ,& morum proprietatibus, legendi sunt, & præcitati Patres Antiqui,& nostri temporis omnium ferè nouissimi Martinus Azpilcueta Nauarrus. Ioannes Langhecrucius Hiluarenbecanus. Ioannes Molanus Louaniensis: L. Ioannes Trullus Aragonius: De his ego etiā in Peregrinatione bonorum spirituum ad impetrandam confirmationem veri status Religiosi,ac præcipuè Canonici,qui sub titulis septem declaratur, iuxta septem Ecclesias in alma Vrbe,priuilegio donatas, ad Clementem Papam VIII. nonnulla annotaui,ad quæ lectoré remitto.

De Ordine Monastico. Cap. V.

MONASTICVS Ordo traxit originem à Canonico. Etenim cum in primitiua Ecclesia ab eis,quibus erat cor vnum,&anima vna in Domino, multi ad professionem illam qua quis se,& sua pro Christo relinquit, assiduā prædicatione conuerterentur in seculo, qui ex eo quòd simplices,& Idiotæ essent,nec donum scientiæ,aut linguarum à Spiritu Sancto accepérant, non erant ad prædicandum,& in diuinis ministrandum apti,atq; idonei: Episco

pi, qui illis fuerunt temporibus, electis illis omnibus quibus inerat scientiarum, siue linguarum collata gratia, ad euangelizandum, docendum, & ad regimen animarum, & sacramentorum administrationem: qui & Apostolorũ decreto clerici, seu Canonici nuncupati sunt; angelicam vitam, velut Dei ministri, ac dispensatores ministeriorũ Dei, in communi ducentes: atq; in sortem Domini per paupertatis, castitatis, ac obedientiæ professionem assumpti: illos sibi coniunxerunt, qui erant domestici Episcoporum, propè domum Præsulum commorantes, & inter se vitam communem, ac sanctam ducentes, iuxta prius dictam Apostolicam institutionem, cum additionibus obseruantijsq; deuotis, quas eis Sancti tradiderunt Episcopi, quorum clerici erant, & cum ipsis Episcopis laudibus Dei vacantes, ac media nocte surgentes, aut paulò post ad persoluendum nocturnum, ac matutinale officium: Eos reliquos simplices, & idiotas, vt expeditius, ac liberius prosequi possent sanctum propositum, iussit Apostolica institutio, in Cenobijs, extra vrbium frequentias, à cæteris fidelibus sequestratos & in suburbanis, & locis secretioribus solitarios, sub Prælato, siue Abbate degere: viuentes non tantum modò in communi, sed à coniugijs quoq; abstinentes, & suos parentes, ac propinquos relinquentes, sub obedientia sancta, secundum Euangelica Saluatoris consilia, conuersari: Ac in humilitate, & pœnitentiæ luctu sua, & aliena peccata plorando, frequenter pro Ecclesiæ statu orare; operibus manuum, & contemplationibus insistere, ac operibus misericordiæ corporalibus operam dare. Clerici quidem sub obedientia Episcopi, cum in instruanda, atq; curanda plebe, omnem sollicitudinem suam, vel et adminiculatores ipsius Episcopi, libenter impenderet, ideo in Ciuitatibus, & populis habitare cogebantur. De Monachis autem in Nicena synodo in principio causæ. 16. q. 1. cap. placuit, dicitur.

Placuit omnibus residentibus in Sancta Nicena synodo, vt Monachorum conuersatio,& vita, secundum Ethimologiam nominis, ab omnibus discrepet, Monachus enim græcè, latinè singularis dicitur. vnde Monachum per omnia singulariter agere oportet. Monachus dicitur vnus tristis: Monus vnus; achos, tristis; Monachus ergo, inquit ibi Eugenius Papa, huius nominis primus, claustro suo contentus sit; quia sicut piscis, sine aqua, caret vita: ita sine Monasterio Monachus. Sedeat itaq; solitarius, & taceat, quia mundo est mortuus. Agnoscat nomen suum, monos enim grecè latinè est vnus: achos græcè, latine est tristis. Sedeat ergo tristis, & officio suo vacet. De quo officio sic disseruit D. Hieronymus in eadem q. Monachus non docentis, sed plangentis habet officium: qui vel se, vel mundum lugeat. Isidorus quoq; in lib. suo Ethimologicorum monas, ait grecè, singularitas dicitur, ergo si solitarius interpretatur vocabulum Monachi; quid facit in turba, qui solus est? quæ verba sunt principaliter Hieronymi ad Heliodorum, qui & alijs quoq; verbis idem infert ad Paulinum, dum scribit. Si cupis esse, quod diceris, Monachus, idest solus, quid facis in vrbibus? quæ non sunt solorum habitacula, sed multorum? Magni Antonij verbum erat lib. 1. Tripartitæ idest c. 11. Sicut pisces tactu terræ tabescunt, sic gloriam Monachorum ad Vrbes accedendo foedari. Quod etiam reperitur dicta causa. 16. q. 1. c. si cupis. & 7. q. 1. c. hoc nequaquam scribitur. Monachorum vita subiectionis habet verbum, & disciplinatus, non docendi, vel præsidendi, vel pascendi. Et licet sint alia multa, quæ in hanc concurrunt sententiam, satis tamen fuerint in præsentiarum dicta circa hanc Monachi Ethymoligam, & eius officium singulare.

Quantum autem distet inter se monachus, & clericus, notatur per Hieronymum. 16. q. 1. vbi dicit. Alia causa est monachi, alia clerici. Clerici oues pascunt, ego pascor;

item alibi in eadem causa. Sic viue in monasterio, vt clericus esse merearis. Quod dictum pro hac differentia notatur principaliter à B. Tho. contra impugnantes religionem. Et D. Augustinus in eadem causa. c. legi. Nimis dolendum est, inquit, si ad tam ruinosam superbiam monachos surriginius, & tam graui contumelia Clericos dignos putamus, in quorum numero sumus. Cum aliquando bonus etiam monachus vix bonum clericum faciat. Quem secutus est B. Iuo Carnotensis Episcopus, qui fuit decretorum abbreuiator ante Gratianum & reformator Ordinis canonici tempore Gregorij VII. anno salutis M. LXXIIII. Is in epistola ad Petrum Pictauensem sic scribit. Clericorum verò ordini publicam infertis iniuriam, qui monachorum quietudinem ad tam ruinosam superbiam erigitis, vt Clericos eis subiugare studeatis: Quorum tanta debet esse excellentia, vt secundum B. Augustinum, vix etiam bonus monachus bonum clericum faciat; & S. Io. Chrysostomus in dialogorum lib. 6. Magnũ est, inquit monachorum certè certamen, & multæ molestiæ labor. Porrò si bene administrato sacerdotio, illius propositi sudores quis conferat, eos tamen distare reperiet, quantum inter priuatum, & regem; & propterea B. Syluester in dicto. c. à subdiacono, subijcit Abbatem, & monachos vltimis etiam altaris ministris: Nec immeritò ex doctrina sententiarum Magistri in 4. d. 24. qui ait. Corona signaculum est, quo signantur Clerici idest sortiti in partem sortis ministerij diuini. Corona regale decus significat, quibus ait Petrus: Vos estis genus electum, regale sacerdotium. De monachis enim Petrus intelligere non potuit, qui nondum emerserant: & qui per quingentos annos post Petrum non fuerunt ad clericatum dispensati, prout attestatur Leo Augustus. 16. q. 1. c. generaliter. Et vt infra mox probabimus.

Habuerunt, & monachi suam in veteri testamento my-

sticam præfigurationem à filijs Prophetarum, qui iuxta fluenta Iordanis, & in montibus solitariam vitam ducebant. Et quia Prophætæ communiter ex genere sacerdotali, seu Leuitico erant, sicut Moyses, Aaron, Samuel, Hieremias, & alij multi: vel ex tribu Iuda, sicut Dauid, Salomon, & Isaias, & alij plures, cuius tribus proprium erat filijs Israel præesse per regimen, & figuratos Prælatos Sanctæ Ecclesiæ: & ambabus tribubus, scilicet Leui, & Iuda designantur Clerici, siue Canonici, quorum est sacrificare, & animas regere: Ideò monachi dicuntur figuratiuè filij Prophetarum, idest Clericorum, vel Canonicorum. Quia in nouo testamento cessante figura, & succedente veritate, ex regularibus Clericis, siue Canonicis, ab Apostolis, vt supra visum est, per prædicationem, & informationem habuerunt originem. Vnde Bernardus in quadam Apologia, ipsum monasticum ordinem primum esse dixit, cuius Apostoli in clericali, vel Canonico constituti, institutores in Ecclesia fuerunt. Ioannes de Nigra valle, Sedis Apostolicæ Bibliothecarius, in sua Cronica, quæ dicitur Epilogus Cronicarū. lib. 13. c. 18. ex canonico, inquit, ordine, omnium primario, cæteræ omnes religiones, veluti ex limpidissimo fonte, quasi Riuuli profluxere. Ex eo namq; monasticus ordo primus est, qui in Ecclesia traxit originem ab eo. De Monachis testimonium fert Dionysius in Ecclesiastica Hierarchia. c. 6. Attestatur etiam Eusebius lib. 11. c. 18. Ecclesiasticæ historiæ, qui citat Philonem Iudæum de vita contemplatiua, quem sequitur etiam Ioannes Cassianus lib. 11. c. 5. de Institutis monachorum; & alibi de tribus generibus eorundem c. eodem. Qui asserunt statim post Apostolos Alexandriæ, monachos primum prodijsse. Cæterū qui fuerint, infra docebimus, sub diuersitate nominū, sicut, & clericorū: qui, velut etiam dicit Isidorus, vbi supra, possunt esse tanquā species ad monachos, vt de Canonicis ad Clericos dicimus. Sed

veros

veros eos esse monachos, Gregorius existimat, qui reclusi sunt, ad secundinum reclusum his verbis rescribens. Vos qui solitariam vitam ducitis, quid aliud, quàm monachos dixerim? Cur eum singulariter hostis non impetat, à quo se impeti singulariter spectat? & propterea ij præ cæteris magis honorantur. 16. q. 1. in Calcedonensi Concilio. c. qui verè. Omnes autem, vt dicebamus, Laici fuere. Monachi ergo à Clericis instituti, in Aegypto ab Antonio, in Thebaide ab Hilarione mirum in modum in cænobijs, & in solitudine aucti sunt: A' Basilio Cesareæ Episcopo in Grecia, licet in paruo numero, aliqualiter regulati fuerũt. In Occidente post modum à B. Benedicto reformationem simul, & viuendi regulam susceperunt. Nec regula Basilij, aut aliorum, nisi de laicis sonat. Quibus etiam carnium cibus conceditur, nec de habitus forma ibi cauetur, nisi de vili prorsus, & abiecto: Nullo etiam colore præscripto, Mamphorium tantum in operibus, & laboribus innuit: quod pro eodem exercitio B. Benedictus scapulare: Cassianus Maphorte, siue illud sit, siue aliud, nominauit. Laboribus enim quotidie vacabant, à quibus, etiam ruralibus, D. Benedictus in sua Regula non excusauit: vt mendicitate seclusa, vescerentur in sudore vultus sui pane. Vt dist. 5. de consec. c. nunquam. Vbi D. Hieronymus asserit Aegyptiorum monasteria hunc morem tenere, vt nullum absq; labore, & opere, susciperent. Et Cassianus, vbi supra lib. 11. c. 12. nullum etiam tempus, inquit, ab operis exercitatione vacuum transire concedunt. Augustinus item in opusculo de opere monachorum accerrimè inuehit contra eos Monachos, qui nollentes operari, mendicitate cibos quærebant.

Monachi in lucem post Apostolos primum prodeuntes initiabantur per detunsionem crinium, vt innuit Dionysius, vbi supra, circa fores templi: Non admodum coronæ, quæ erat tantum ipsorum clericorum 12. q. 1. c. d.

duo

duo genera sunt, ex instituto, vt ibi dicitur, Romanæ Ecclesiæ, quod habetur per cap. prohibete. 23. dist. sed, vt tonduntur conuersi, de quibus Archid. in d. c. & post Archid. nostri temporis Iesuati. fuit autẽ ea detunsio posterioribus temporibus in his adeò parum obseruata, vt veluti nullius, aut parui momenti, omninò arbitraria facta sit: Quod elicitur ex dictis Chrisostomi, maximè contra impugnantes Monachos: & ex dictis D. Augustini, eos ob hoc detestantis in eo opusculo de opere monachorum sub ironia, dum dicit. Illi enim venalem circunferentes hipocrisim, timentes, ne vilior habeatur sanctitas tonsa, quàm comata. Eratq; tunc ea in eis tonsura, de qua glo. innuit, etiam per foeminam dari posse. c. 1. dist. 69. Et licet non docendi, sicut canonici, sed plangendi, vt dicebamus, haberent officium: veruntamen exaucto postea Christianorum Populo ferè in infinitum: quod præuidens regius Propheta in spiritu canebat. In Ecclesia magna laudàbo te. Numerus etiam clericorum fuit ex augendus, ad tot curam animarum. Ecclesia igitur monachos, aut solitarios, aut reclusos secundum Gregorium ad secundinum reclusum: aut Therraupentas, & cultores secundum Dionisium in Ecclesiastica Hierarchia c. 6. aut Monachentes, Cænobitas, Anachoritas, & Eremitas secundum Cassianum: aut Deo deuotos, secundum Hieronymum, omnes quidem principio tum laicos, quocumq; nomine censebantur Arg. c. à subdiacono dist. 93. c. quidam. 18. q. 2. c. generaliter. 16. q. 1. iunctis glosis: imitatores tamen Apostolorum, quo ad renuntiationem propriorum, & vitam communem, vt indicat glo. cap. videntes 12. q. 1. & sacerdotales ordines sequentes, quantum fas est, vt inquit Dionisius, vbi supra perinde, vt nunc Iesuati, ad ordines sacros promouit: figuramq; tenuerunt eorundem Apostolorum, hoc est Septuaginta duorum discipulorum, pariter cum alijs clericis, quo ad sacramentorũ dispen-

dispensationem; Quod exponitur per d. glo. & in cap. ex auctoritate. 16. q. 1. & dis. 21. c. in nouo. Ad hanc auersi posteriore tempore pro vtilitate Ecclesiæ in deffectum clericorum. c. quorundam dist. 74. & c. Priscis dis. 55. & c. si quis dist. 75. Et 16. q. 1. Monachos quoq; & c. vos autẽ, & sequenti. Et hæc est prima causa, ob quam Monachi ad clericalem ordinem, & ad prædicationis officium, & sacramentorum administrationem, & curam Animarum vocati sunt per Papalem dispensationem, & donationem priuilegiorum. Primus autem Papa cum eis dispensator fuit Syricius, vt inquit Platina, in persecutione Valentis Imperatoris in partibus Occidentis; cum omnes Episcopos in exiliũ egerit, & contra Presbiteros, Diaconos, & Monachos, & monasteria, arma furoris sui conuerterit. Dum hæc agerentur, inquit Platina, Syricius Papa censuit, Monachos, quorum probata esset vita, posse sacris initiari à sacris ordinibus vsq; ad Episcopatum. Et nos quidem ita legimus. 16. q. 1. Monachos, ait Syricius ipse, quos morum grauitas, & vitæ, & fidei institutio sancta cõmendat, Clericorum officijs aggregare, & optamus, & volumus. Fuit autem Syricius tempore Sancti Augustini, vt constat in vita Sancti Augustini, quam Possidius scripsit, & patet in epistolis ad se inuicem scriptis. Gelasius item Papa ex destitutione, & in sufficientia ministrorum, similiter dispensauit cum illis. d. 55. c. Priscis, inquit enim Priscis igitur pro sua reuerentia manentibus institutis, quæ quidem, vbi nulla rerum, vel temporum viget angustia, regulariter conuenerunt custodiri. Quia tamen Ecclesiæ, vel cunctis, vel sufficientibus, priuatę sunt ministris, vt plebibus, ad se pertinentibus, diuina munera supplere non valeant, concedimus, vt si quis, monasterialibus disciplinis eruditus, ad clericale munus accedit, etiam de Laicis, anteacta eius vita requiratur. Refert. S. Hieronymus, monachos Sythiæ conuenisse in vnum, vt sacerdotem sibi inue-

inuenirent, qui eis missarum solemnia celebraret. S. Gregorius Papa, vt habetur in parte quarta Epist. 11. & in parte 5. c. 10. & in parte 8. Epist. 3. & parte 11. Epist. 16. & parte 14. Epist. 34. sui Registri, dispensauit pariter cũ monachis, vt ad clericatũ, vel presbiteratũ promouerentur, vt commoditatẽ haberent suscipiendi sacramẽta, & missas audiẽdi, absq; eo, quod monasteria exirent, & alienos ministros ad sua loca admitterent. Quare autẽ non semel, atq; iterum, sed tertiò necessaria fuit cum ipsis monachis præfata dispensatio? Dicimus, quia nunquam vniuersaliter eo vsq; temporis dispensatum fuit cum ipsis, sed tantum ex causa; & cessante causa, cessare debet effectus. Conueniens enim est monachis, non vt vniuersaliter sint Clerici, sed vt vel vnum habeant sacerdotem, qui Missas teneat, & eis sacramenta ministret.

Plures alij postea Pontifices concesserunt, vt vel in defectum Clericorum, vel in Ecclesiæ vtilitatem, Episcoporum arbitrio, possent ordinari; & dehinc cautum de Abbatis consensu ex his, qui essent idonei, promouerentur ad Ecclesiam, vt ibi essent clerici canonici d. 74. c. quorundam: & c. Priscis d. 55. & 77. c. si quis, & 16. q. 1. c. monachis quoq; & c. Vos autem. Postremis autem temporibus omnes indifferenter ad sacros ordines admissi sunt, ex concilio Viennensi in Clementinis de statu Monachorum c. ne in Agro. Vbi dicitur, ad ampliationem autem cultus Diuini, statuimus, quòd monachi quilibet ad monitionem Abbatis, faciant se ad omnes sacros ordines, excusatione cessante legitima, promoueri. Quod conciliũ celebratum fuit circa Annum salutarem MCCCX. Quare per multa secula perseuerarunt in monasterijs monachi, vt simplices monachi, citra quoscunq; sacros ordines: Postea promoti, plures ex eis etiam in summos Pontifices electi fuerunt.

Ac initio quidem solebat esse monachorum, & Clericorum

corum distinctio: quòd monachi, iuxta nomen suum, extra vrbes morabantur,& vno ferè sacerdote, à quo communionem acciperent, contenti erant; Nec in turbis hominum, nisi vrgente necessitate, conspiciebantur. Postea tamen, suadente id publica vtilitate,& exigente aliquando necessitate, canonicorum, & monachorum professio commixta est. Quando canonici quidam ad Apostolicã perfectionem anhelantes, communi vitæ suæ Clericali fulgorem monasticæ vitæ, solemni interposito sacramento, coniunxerunt. Alij verò multi citra votum, spontaneè monasticam vitam profitebantur. Similiter, & Monachi, sæuiente potissimum Arianorum, aliorumq; hæreticorũ rabie, cum clericis communem patiebantur persecutionem,& cum eis, vt dictum est, aut ad necem quærebantur, aut in exilium mittebantur. Tunc enim in locis tutioribus, qui furorem declinabant, monachi cum Clericis, tanta cum animorum concordia, sub Episcoporum protectione viuebant, vt diuersarum congregationum corpora, non nisi vnum Cor, vnamq; animam habere viderentur: Cum nihil aut hi, aut illi, nisi Christum, sui mortificationem,& animarum lucra, meditarentur. Quare Fulgentius, cum exul in Sardinia, similitudinem magni cuiusdã monasterij, monachis,& clericis adunatis, sapienter effecisset, eosq;, absq; vlla lite, vidisset inter se vnanimes conuersari, idemq; in Domino sapere, catholicæ Ecclesiæ per Africam constitutæ libertate restituta, rediens ad suã Plebem, suadente charitate clericorum, quæ deerant ministeria, reparare volens, probatos sibi multos ex fratribus monachis ad Ecclesiasticam militiam transtulit. Et Gelasius, ex canonico ordine ad Summum Pontificatum euectus, epistolam scripsit ad Episcopos Fratres per Lucaniam,& Brutios,& Siciliam constitutos, in qua docet, qui per vrgente necessitate, si defuerint Clerici, ad clericale munus, vt dictum est, eligerentur de religioso proposito

posito, & disciplinis monasterialibus: & qui maiori cum sollicitudine, ex laica conuersatione Ecclesiasticis officijs essent aggregandi. Ex hac autem sanctissima coadunatione factum est, vt canonici, veluti argumentosæ Apes, multa sanctissima instituta ex regula Sancti Basilij, Sancti Benedicti, & aliunde, in suam regulam, & regularem obseruationem transumpserint, & sub canonico habitu monachorum vitã perfectè impleuerint; ita clerici Vuerdenenses de Ludgero primo Episcopo Minigardeuordensi, seu monasteriensi, & Vuerdenensis Cænobij fundatore, conscripserunt. c. 1. sub canonico habitu, monachorum perfectam vitam impleuit. Et Albertus Crancius lib. 4. Metropol. c. 1. meminit Vnuuanũ Archiepiscopum Hamburgensem, tempore Sancti Henrici Imperatoris, primum omnium per suam metropolim congregationes apud Ecclesias Cathedrales, aliasq; ad canonicam perduxisse regulam, quæ antea ex canonicis, & monachis mixtæ degebant.

De Cohabitatione Canonicorum Regularium. Cap. VI.

Primò quidem in Cathedralibus apud Episcopos insimul viuebant omnes canonici Regulares, vt dictum est. Excrescente autem ipsorum numero ferè in infinitum, nec omnes cum Episcopis sanctis commorari possent, dispositi sunt in locis deuotis, sub Episcoporũ regimine, mediante Decano: habebantq; Refectorium vnum, & Dormitorium idem, diuinis obsequijs diligenter intenti, omnemq; incontinentiam summè vitantes. Pluribus autem, varijsq; titulis cohabitatio huiusmodi canonicorum regularius denominata inuenitur. Et primò

mò ab Antiquis Canonica dicebatur; quòd ibi canonici commorarentur. dist.81.c.dictum,& ext. de regu.c. sicut nobis. Dicta est etiam Canonica prima q.5.c.eos qui. Dicta est Cęnobium. Licet Gratianus differentiam intelligat inter canonicam regularem, & Cęnobium in prin. causæ.19. Nam Cęnobium, secundum Cassianum intelligitur generaliter pro vnica communione religiosorum: Sicuti,& Canonica, seu Canonia, accipitur tantum Clericorum. Accipitur tamen magis propriè Canonia inter Doctores pro nomine tituli, & Iuris prouenientis ex electione,& receptione alicuius in eiusmodi fratrem, qui sit in sacris constitutus. Quia nullus extra ordines sacros potest eligi, aut admitti. vt in glo.c.cum.M. de consti. & in Rub. de præbendis. Vbi Cardinalis, & in Clemen. finali de præben. Et c.cum inter de renunt: cuiusmodi erat Canonica D. Augustini cuius cætus non legitur, nisi de existentibus in sacris: Quamuis eius tempore non essent hęc nomina, aut iura. Vide eius sermones de vita clericorum. Dicta est ab alijs Collegium, quòd est, secundum Hostiensem, plurium personarum collectio, simul inhabitantiū. Et glo. 1. l.1. ff. quod cuiusq; vni, faciunt autem Collegium duo vel tres tantum de electi. c. 1. secundum leges verò tres ad minus requiruntur, vt l.veratius ff. de verb. signi. Cardinalis Zab. in c. dilectus in 3. q. de excess. Prælat. ponit differentiam inter Collegium, & Conuentum. Conuentus enim secundum aliquos, potest esse non permanentium: Collegium verò est consistentium. Dicta est frequenter Monasterium. Vrbanus Papa in c. eos qui 1. q.5. dicit in Canonijs, vel Monasterijs regulariter viuat. Largè namq; Monasterium sumitur tàm pro Canonicis, quàm pro Monachis; Strictè verò Monasterium competit Monachis; & Canonia, seu Canonica regularibus Canonicis. Multi profectò errorem superiorum ætatum scriptorum esse putarunt, cum de canonicis diceretur Monasterium.

sterium. Alij verò Monasticum ibi ordinem, antequàm Canonici essent, viguisse existimarunt. At infirma nimis apparet istorum met ratiocinatio: cum ab Archidiacano. causa. 1. q. 3. c. quæsitum annotatum sit, Cathedrales Ecclesias adhuc ferè appellari apud Gallos Monasteria. In Chronicis itē Cameracensibus sub Gerardo primo eius nominis Cameracensis, atq; Atrebatensis, coniunctarum tunc temporis sedium, Episcopo, circa annum Domini Quinquagesimum, supra millesimum, nominantur Monasteria Canonicorum Cameraci, Atrebati, vtrumq; in primaria Basilica ad honorem Beatæ Mariæ: Item in Villa Barala, Albiniaci, in monte Sancti Eligij: in Castello Duaco; in Castro Lenensi: in Vico Henini, in Castro Valencianis: in Villa Maricolis: in Villa Vuessero: in Villa Fescau: in Vico Crispinio: in Villa Condato: in Villa Lutosa: in Vico Rothnacensi: apud Sonegias; apud Melinas, quas nunc Mechliniam dicimus: nec procul inde Monasterium canonicorum, quòd ex proprijs prædijs Vir Dei Gummacus, Illustris Laicus struxit. Eum in modum celebratur Traiecto Monasterium Saluatoris: & ab Ottone quoq; primo Monasterium Beati Martini. Clarissimū id est ex statuto Concilij Moguntini sub Carolo Magno c. 19. & Concil. Turonense c. 31. vt plus non mittatur in Monasteria Canonicorum, vel Monachorum, aut etiā Puellarum, quàm sufficere potest. Hic enim nominantur Canonicorum Monasteria, distincta à Monasterijs Monachorum. Per figuratam vtiq; locutionem Canonicæ, siue Canonicorum Collegia dicta sunt Monasteria. Quæ figura Catachresis dicitur. Cum enim Clerici à Monachis nihil differre in vita viderentur, & simul in loco, qui Claustrum dicebatur, habitarent, vsu receptum fuit, vt eorum loca, honoris causa, Monasteria dicerentur: Sicut etiam omnes Prioratus, & Præposituræ locupletiores, atq; opulentiores, communiter Abbatię nominantur. Vsu loquen

di etiam nostro tempore Cęnobium,& Monasterium pro synonimis habentur; licet Cęnobium propriè dicatur habitaculum Cænobitacum græcè, idest latinè, communiter viuentium. Etiam Fratrum domus, atq; Conuentus inter Monasteria numerantur. Quare non mirari oportet pietatem Maiorum nostrorum, communia habitacula, & Claustra clericorum, siue Canonicorum, quorum institutum Monachi, & Fratres se imitari profitentur, Monasteria, vsitata locutione, nuncupasse. Ex D. Hieronymo. in lib. de Viris Illustribus in tit. vbi scribitur de Philone, Iudæorum disertissimo, accipimus, Philonem, primum omnium, nominasse monasteria loca illa, in quibus Christiani viuere communiter cęperunt: & nisi fallor, à monos, idest vnitate, non numerali, sed Animi, & vnius voluntatis cohabitantium vno in loco simul, dictum est. Et S. Augustinus imitator viri doctissimi, & eloquentissimi Philonis, qui nominauit loca in vnum habitantium, & communiter viuentium, Monasteria, in suo sermone videtur declarasse hunc sensum. Nam cum dixisset, in Monasterio constituti, illicò subiecit, vt vnanimes habiteris in domo, & sit vobis anima vna, & cor vnum in Deum. q. d. nõ intelligatis Monasterium, vnius Monachi, aut plurium habitationem, sed multorum vnius Animi, & voluntatis fidelium. Et ideò dixit subitò, post Monasterij verbum, vt habitetis in domo vnanimes, & sit vobis Anima vna. Huic sentẽtiæ, quod Monasteria ab vnitate, idest ab vnanimitate, significata sint, astipulatur Sanctus Augustinus super Psal. 132. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Vbi dicit. Ista enim verba Psalterij. iste dulcis sonus; ista suauis melodia, tàm in cantico, quàm in intellectu, & nobis Monasteria peperit, ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt. Hoc vtiq; pacto Monasterium etiam rectè nominabimus Conuenticulum quinquaginta illorum, qui Do-

D minum

minum post resurrectionē viderunt;Quod Paulus Apost. commemorat ; & illi centum viginti , qui simul erant in vno loco constituti , quibus superuenit Spiritus Sanctus, die Pentecostes missus, sicut promissus,omnes isti Monasterium faciebant, qui primò habitauerunt in vnum : qui omnia , quæ habebant , vendiderunt , &c. Et quidem in vnum,& erat illis anima vna,& cor vnum in Deum ergo ipsi prius audierunt. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.primum audierunt, sed nō soli.Non enim vsq; ad illos ista dilectio,& vnitas fratrum venit.Venit enim,& ad posteros ista charitatis exultatio, & votum Deo. Quare ab ipso tempore Apostolorum, & si non erat nomen monasterij , nec scriptam inuenimus huiusmodi vocem in Actibus eorum: Erant quidem resignatæ per nomen Monasterij,idest vnitas multorum vno in loco vnanimiter habitantium , quæ dicitur Ecclesia, vel domus vnanimium,vel Monasterium,quoniam qui in illo habitant , sunt vnius moris in domo: vel ab eo, vnde congregantur in vnum,nominatur Diuersorium ; vt apud Aug. in lib. de moribus Ecclesiæ legimus. Etenim cum multa narrasset de vno Patre , sub quo plura millia erant fratrum in Oriente , & gubernabantur sub Præpositis , & Decanis,non nominauit monachos , nec monasteria : sed ait. Postea vidi ego Diuersorium Sanctorum Mediolani, non paucorum hominium ,quibus vnus Presbiter præerat vir optimus, & doctissimus . Romæ etiam plura cognoui, in quibus singuli grauitate , atq; prudentia , & diuina scientia præpollentes cæteris , secum habitantibus , præsunt. Non Monasterio loca illa nominauit, sed Diuersoria: Et non simpliciter Diuersorium nominauit,ne tabernam intelligeres,sed Diuersorium,dixit, sanctorum idest vbi diuersi ex diuersis vbiq; terrarum locis homines , ad sanctè simul viuendum fuerunt congregati. Dicimus ergo Monasterio esse loca, vbi habitatur vnanimiter , con-

uentione multorum hominum in vnum, tàm secularibus, quàm Clericis, & Monachis, in vnum habitare volentibus, congruentia, vt Philonis auctoritate supra dictum est: Et modò vsus habet, vt Monasterium dicatur habitatio non solum Monachorum, sed Clericorum regulariū, & fratrum mendicantium, & etiam vnius habitatio Cellæ Monasterium dici potest, secundum Ioannem Cassianum in collatione Piamonis c. 14. quamuis hoc modernus vsus non habeat. Sed in historia Ecclesiæ lib. 2. cap. 17. cū describeretur status perfectissimorum Virorum, qui se receperunt ad loca, extra Alexandriæ Vrbis Moenia, dicitur. Est autem in singulis locis consecrata orationis domus, quæ appellatur Semnion, vel Monasterium. Semmon autem in lingua nostra significare potest honestorum conuenticulum, in quod secedentes honesta & casta vitæ misteria celebrantur: Nihil illuc prorsus, quod ad cibum, potumq; pertineat, inferentes; vel ad reliqua humani corporis ministeria. & c. 16. dicitur de Philone, Abstinentium vitas, eorum dūntaxat, qui nunc in Ecclesijs, & Monasterijs degunt, describit ad liquidum, ex quibus patet, quod quamuis in collatione Piamonis c. 11. ponatur aliqua differentia inter Monasterium, & Cænobium; attamen Monasteria, Cænobia, Ecclesia, Semnon, Diuersoriorum Sanctorum, vnum ferè significant.

Canonicos Regulares vbiq; semper esse Ordinis eiusdem, & rationis. Cap. VII.

Q VIA ob præfatam locorum diuersam inhabitationem Canonicorum Regularium, diuersam quoq;, ac longè differentem, quidam opinati sunt, intercessisse inter eos ordinis rationem, & status conditionem: Ita vt sibi suadeant

Canonicos regulares Cathedralium Ecclesiarum non esse eiusdem religionis, & ordinis cum reliquis Canonicis regularibus Monasteriorum, & Collegiatarum insignium Ecclesiarum: Hanc ob rem nos, quasi prædicta continuantes, inferimus nunc ex ipsis, contra malè opinantes: Quòd omnes Canonici regulares, siue cathedrales sint, siue nō, vnius tamen, & eiusdem sunt ordinis. Quemadmodum enim Apes nimiam ob multiplicationem, relicto primo Alueari, pluribusq; factis examinibus, per diuersas partes cum se diuidant, & post diuersos reges nouas inhabitationes perquirant sibi, & construant; Non tamen huiusmodi ob diuisionem fiunt à cæteris in Alueari primo relictis, vllatenus differentes: Ita etiam Canonici Regulares è Cathedralibus, propter numerositatem, aliò se transferentes, nihil suæ primariæ ordinationis, atq; propriæ conditionis amittunt. At quàm bellè canonicis regularibus Apium hęc similitudo accomodetur, ex D. Ambrosio in suo Hexamerone colligimus, dum Apium mirabiles proprietates declarat. Nam Apes communem habent sobolem, vnam incolunt mansionem, vnius portæ clauduntur limine, omnibus communis est labor, communis cibus, communis vsus, communis operatio, communis fructus, communis volatus, communis corporis integritas virginalis, & communis generatio. Nullius enim concubitu miscentur, nulla libidine resoluuntur, & tamen maximum Examen generant filiorum. Sic veri debent esse regulares Canonici, quia eandem mansionem, conuentū, & habitationem debent incolere, & eadem porta claudi, quia non debent in diuersis cauernis iacere, sed in vno Dormitorio quietari. Ipsi debent habere omnia communia, quia labor pęnitentiæ, & operationis, cibus doctrinæ, & deuotionis, vsus diligentiæ, & exercitationis, fructus perfectionis, volatus contemplationis debent esse omnibus communes. Act. 2. habebant omnia communia, & diui-

diuidebatur vnicuiq; , prout opus erat; nec quisquam illud, quod habebat, suum esse dicebat. Ipsi etiam canonici per castitatem, & virginitatem, debent ab omni copula carnali abstinere: steriles tamen propter hoc non dicuntur, quia filiorum spiritualium maximam generant quantitatem, scilicet illos, quos ad Religionem attrahunt, vel per prædicationem, vel per bonam exemplaritatem, ad fidem vel ad pęnitentiam conuertunt. iuxta illud Pauli primæ ad Cor. 4. per euangelium ego vos genui. Et primo Reg. 2. sterilis peperit plurimos: Ita vt pluribus in locis eos dispensare ad habitandum oporteat. Quos tamen semper, & vbiq; eiusdem ordinis, & Religionis confratres esse non negamus; Quoniam vbi est eadem habitus essentialis, & professionis ratio, ibi est eadem viris dispositio: Cum igitur vniuersi canonici regulares tam Ecclesiarum Cathedralium, quam Monasteriorum, eandē professionem emittant, eundemq; habitum gerant, nempè togam lineam: Omnes vtique canonici regulares cathedrales cum reliquis Monasterialibus eiusdem ordinis, & Religionis existunt. Nec locus est, qui homines facit canonicos regulares sed ipsorum quidem inhabitatio est, quę loca facit nominare Canonicas, Canonias, & Collegia. Consimili etiam viuendi ratione communiter, ac sanctè, omnis Ecclesia regularis, tam longè, quàm apud Episcopum dicitur Monasterium, aut Conuentus, aut Cænobiū. Vt in regula D. Patris Augustini clarissimè patet, qui pluribus in locis ibi canonicam, & regularem domum suam, nuncupat Monasterium, quæ tamen Ecclesia Cathedralis erat. Et quamuis ipsa Ecclesia cathedralis canonicorum regularium raro, aut nunquàm Monasterium, siue Cænobium appellari soleat, quia tamen regularis est, verissimū Cęnobium est, ac Monasterium. Est igitur non incertus, is qui omnes continet in eodem ordine, sed idem viuendi modus. Hoc ipso iure in cap. Innotuit de elect. legimus in

 Vigo-

Vigoriensi Ecclesia, destituta Pastore, Priorem, & Conuentum eiusdem, Canonicos videlicet extra Cathedralē in Conuentu degentes, concurrentes attamen; ac vocem ibi in omnibus electionibus habentes, elegisse in Episcopum Magistrum: N. Archidiaconum Euoracensem. Et inferius cap. tum Vintonensis eodem tit. sic habetur: Cum Vintonensis Ecclesia Pastore vacaret, Archidiaconus cum suis fautoribus Salubriensem Diaconum: Prior verò, & Complices eius Præcentorem Linconensem in Episcopum elegerunt. Et ibi in glo. fit mentio de illius Ecclesiæ conuentu, qui elegit Episcopum, & erant regulares Canonici Ecclesiæ Cathedralis: quia seculares Canonici Priore, & Conuentu carent. Eandem ob rationem legimus consuetudinem seruatam in Ecclesia Cathedrali Ciuitatis Parisiensis, vt in Choro illius Ecclesiæ semper assisteret vnus ex canonicis regularibus Monasterij Sancti Victoris: qui tamquam Principalis, & optimè regulatus, atq; institutus ordinaret Chorum, & officia, & reliquas obseruantias ipsius Ecclesiæ Regulares, & spirituales, ad optimos mores, & consuetudines regularium Clericorum. Habemus etiam consuetudinem diù seruatam in Ecclesia Cathedrali Andegauensi, vbi Abbas Canonicorum regularium Ecclesiæ omnium sanctorum ipsius Ciuitatis habebat dignitatem in Choro eiusdem Ecclesiæ Cathedralis. Et est canonicus illius Ecclesiæ, & portat insignia canonicorum regularium. Obseruatum etiam in principali Archiepiscopatu Portugaliæ in Ecclesia Vlixbonensi, refert Reuerendissimus Dominus Cardinalis Vlixbonensis, vir doctissimus, atq; religiosissimus, & illius Ecclesię Archiepiscopus, vt dum cælebrarentur Processiones, Canonici Regulares, qui & regulam D. Augustini regulariter profitentur, ingrederentur chorum Ecclesiæ Cathedralis maioris, & ibi cum alijs Canonicis cōmorarentur vsq; ad progressum, immò quod plus est di-

cti Canonici Cathedrales tempore Quadragesimæ se induerent habitu,& indumentis, & cappa more Canonicorum Regularium,vt & ipsi, saltem eo tempore, viderentur conformari Clericis primitiuæ Ecclesiæ regulariter viuentibus. Quod quidem in tota Hispania,vbi Canonici regulares non habent Ecclesias cathedrales obseruatur, vt semper ipsi regulares Canonici ingrediantur Chorum cathedralis Ecclesiæ,simul cum eius canonicis ad præstolandum progressum Processionum. Ex gestis etiam Concilij Basilensis accipimus, quòd illius Ecclesiæ Canonici ob singularem reuerentiam aduenientibus canonicis regularibus,de stolis suis in Choro exeuntes,cæderent ipsis canonicis regularibus. Idem in Ecclesijs Anglicanis,Britaniç,& Scotiæ,& in omnibus Germaniæ partibus obseruatum ad vnguem similiter legimus. Apud Sigonium, in suo de Episcopis Bononiensibus inuenietis D. Lambertũ Canonicum regularem Sanctæ Mariæ de Reno propè Bononiam,electum Archidiaconum Ecclesiæ Episcopalis Bononiæ. Ipse est, qui postea Anno 1124. electus fuit Papa, & Hororius. 2. vocatus. Ob id Alexander Papa 3. dedit Bullam Cononicis Sanctæ Crucis in Hierusalẽ de Vrbe,statuens ad instar Lucij Papæ. 2. vt nullus eligi posset Præstiter Cardinalis eiusdem tituli, nisi Ordinis Canonici de ipsa Ecclesia, aut congregatione Sancti Fedriani, aut de alio regulari Claustro eiusdem Ordinis. Aliam similem adinstar Vrbani. 2. Innocentij. 2. Cælestini. 2. Lucij. 2. Eugenij. 3. & Adriani. 4. fecit Sanctæ Mariæ nouæ de Vrbe, quòd non posset eligi Diaconus Cardinalis eius tituli,nisi Canonicus regularis, in quouis loco eiusdem ordinis existens, idoneusq; habitus ad id muneris. Prima Bulla data est Later. per manum Hermãni tit. Sanctæ Susannæ Præsbiteri Cardinalis. 16. cal. Maij ind. 14. Incarn. Dom. Anno MCLXVI. Pontificatus verò ipsius anno septimo. Secunda Bulla data fuit Auign.

 per

per manus eiusdem Cardinalis. 12. cal. Ianuarij Ind. 9. Incar. Dom. Anno MCLX. Pont. Eiusdem Anno secundo. Quæ sanè omnes præfatarum Ecclesiarum consuetudines, & summorum Pontificum Constitutiones ideò sunt pariter omnibus Canonicis regularibus fauorabiles: quia canonici regulares tam cathedrales, quàm conuentuales, & monasteriales vbiq; semper vnius, & eiusdem sunt ordinis, & professionis omnes. Patet hæc veritas etiam ex Constitutionibus regularium Canonicorũ per Benedictũ 12. editis, & approbatis, in quibus omnes canonicos regulares, tàm cathedrales, quàm non cathedrales indifferenter sub vno Capituli Generalis, siue Prouincialis celebrandi gremio Pontifex ipse comprehendit. Ex quo vna, & eadem ratio professionis regularis, & habitus, extat in vtrisq;: Quamuis in habitu superiori, qui non est de essentia ordinis, sit aliqualis accidentalis differentia, quæ profectò non mutat speciem: Dummodò in habitu lineo, & regulari professione non discrepent. Patet in cap. cum terra. Vbi traditur forma eligendi Pastorem in omnibus conuentualibus Ecclesijs. Vbi ex textu, & glo. colligitur ipsas Ecclesias Cathedrales, & Conuentus esse posse, & Conuentuales nuncupari, & ex consequenti ipsarum canonicos esse regulares. Patet per cap. cum causam de elec. & est tex: Innoc. 3. à quo manauit prohibitio. c. ne nimia extra de relig. domi. ne de cętero noua fiat religio. in ipso ergo tex. c. cum causam fit mentio sub simplici nominatione de Canonicis, & Clericis: Et tamen vna in vtrisq; est dispositio Iuris, cum vna vtrisq; sit professionis ratio, tàm in Cathedralibus, quàm non Cathedralibus. Patet ex ipso tex. vbi expresse fit mentio de Ecclesia Sancti Petri de Luca foris portam, vbi Papa strictè mandat, vt Prior illius Ecclesiæ non professus electus, cõtra antiquam, & longeuam consuetudinem, vel renunciet Prioratui, vel secundum pristinam consuetudinem ex-

presse profiteatur Beati Augustini Regulam: Ibidem ex immemorabilis initij longeuo vsu constitutam. Canonici ergo regulares sunt clerici regulares vnius, & eiusdem ordinis cum cathedralibus; dummodo sint regulariter professi. Patet id ex glo. in Clem. 2. quæ incipit dispendiosam de iudicis in ver. Beneficijs. Dicit enim quod appellatione Canonicatus venit etiam regularis canonicatus. Et hoc idem Cardinalis Zabarella sentit. Hæc demũ ratio est, quod semper in publicis Processionibus, & funeralibus, & alijs quibusuis Ecclesiæ officijs canonici regulares proximiores fiant semper Clericis secularibus, super omnes alios religiosorum ordines, quia scilicet vnius, & eiusdem ordinis cum ipsis, &c.

De Habitu Canonico. Cap. VIII.

HABITVM quidem naturalem, proprium, & essentialem Clericorum canonicorum regularium, & eorum statui competentem, satis constat, esse Tunicam lineam, seu Rocchetũ. Habitus ab ipsomet Deo suis ministris adinuentus, & ordinatus: vt habetur Exodi. cap. 28. & 29. vbi Deus opt. max. præcipit Moysi, & sapientibus populi, vt faciant vestes Aaron, in quibus santificatis ministret sibi, inter quas præcipua est linea, quam, & filijs ipsius Aaron pariter assignauit pro essentiali. Porro filijs Aaron (inquit) tunicas lineas parabis, vesticsq; his omnibus Aaron, fratrem tuũ, & filios eius cum eo. & Leuitici. 17. Indueturq; stola linea, & vestibus sanctis. lib. 1. Reg. cap. 22. trucidantur octuaginta quinq; Sacerdotes vestiti Ephod lineo. Ezechielis. 9. Apparuit vir indutus lineis. Danielis. 7. Vestimentum eius candidum, sicut nix. & cap. 10. Apparuit ei vir vestitus lineis. Easdem vestes lineas idem ordo Leuiticus seruauit etiam in nouo testamento; In quo Christũ præ-

præcipuè tunicam lineam induisse volunt in veste inconsutili, contexta per totum. Ferunt Petrum, & Paulum, & Iacobum, & Bartholomeum, & cęteros Apostolos eadem veste vsos fuisse: propterea q; à Gentilibus viros dealbatos fuisse appellatos. Vnde ex eorum institutione omnes Clerici regulares, qui Apostolorum more, se, ac sua relinquentes, vt crucifixi mundo, & baiulantes Crucem, Christi discipuli censebantur: huiusmodi quoq; induere habitum iussi sunt. Nec mirum, quia cum Dei minister semper candidus, purus, atq; mundus in conscientia esse debeat, & simplex, vt Columba, in moribus: vestimenta similiter alba, & candida eis deferrenda iubentur, iuxta illud Eccle. 19. omni tempore vestimenta tua sint candida. Egesipus de Iacobo, fratre Domini testatus est, quòd lineis tantùm induisset. In ea stola Leuitici Iuuenis sedebat ad Sepulchrum Dominicum. Marsi. vltimo. Cuius vestimentum notatur à Mattheo album, sicut nix c. vltimo. Et Maria Magdalena apud Ioannem c. 20. Vidit duos Angelos in albis sedentes. Actuum idest Duo viri astiterunt iuxta illos in albis vestibus. Et vt legitur in scripturis. Angeli semper quasi, in candidis vestimentis visi sunt, ad designandum eos, qui ex clericali professione, albo induuntur amictu: ex Sancta Conuersatione Angelos potius, quàm homines esse debere Actuum X. ecce vir stetit coram me in veste candida. Glorificatus Dominus in monte se se exhibuit discipulorum oculis in vestimentis albis. Mortuus Dominos sepelitur sindone munda inuolutus. Marci 9. & vltimo. Ibi erat Iuuenis indutus stola candida vel alba. In Apocalypsi. Ambulabunt meum in albis, amicti stolis albis, & propterea Nazarei eius, idest Leuitæ, facti sunt candidiores niue, nitidiores lacte. Vt legitur Trenorum 4. Nam huic ordini Leuitico, & Clericali vestimēta hæc deputata fuerunt in munditiem carnis, & mortificationem. Fuit enim huiusmodi apud veteres consuetudo,

do, vt adultos baptizarent, qui tum per aliquot dies in albis incederent: quod intelligit Sanctus Hieronymus ad Damasum Papam, cum scribit se Romæ Christi vestem induisse, idest ibi sacrum baptisma suscepisse. Nunc autem infantibus babtizatis lineum pānum capiti super imponunt. Adultos verò conuersos eodem primario, & antico vestitu designat. De quibus Casianus cap.5. Quę autem dantur nuper baptizatis, solam mundiciem signāt. De consec.d.4.c.post Bap.& seq. Vnde dictum est Sabbatum in albis. Vestes Aaron, & totus ordo Leuiticus, scribit D. Hieronymus ad Paulinum, spirant cęlestia Sacramenta. In his itaq; omnibus vestimentis lineis, apud scripturas, linei habitus Canonici vestigium apparet; quàm manifestum. Ex lib. 1. Ioannis Casiani de Institutis Aegyptiorum, & antiquorum religiosorum, qui vtebantur Collobijs lineis. Collobium autem in Concilio Cartaginensi, Alba dicitur, quam Diaconus deferebat; Cuius loco nunc Dalmatica succesit, vt legitur in vita Sancti Siluestri. Et habetur. 93. d. c. item Diaconus in conuentu. aliàs c. Diaconus sedeat. 11. q. 3. c. Episcopus Præsbiter; de hoc habes in historia Ecclesiastica, vbi habetur de moribus Ecclesiæ Alexandrinæ, ex quo canonici ortū duxerunt à B. Marco, Petri discipulo, qui etiam habitum lineum portare cæperunt. Habitus quidem albus pertinet ad perfectos; & ad illos, qui ita per terrenorum cōtemptum ad ea, quæ sursum sunt, eleuantur: Vt sint quasi per Beatitudinem in cęlis glorificati. Quare Dominus Iesus glorificatus in monte, dicitur vestimenta habuisse candida, sicut nix. Tunicam lineam Pater Augustinus in sermone de communi vita Clericorum appellat rochetum. Ioannes Andreas super Clemen. 1. de elec. in verbo, habitus, denominauit togam, & videtur attestari, esse propriū habitum, ac essentialem canonicorum regularium: Et quamuis inuat inter eos magnam diuersitatem, pro reliquis

quis vestimentis, nihil tamen referre concludit; cum in essentiali hac veste concordent. Dicitur, & superpelliciũ, & camisia Romana. De superpellicio habes in glo. c. nullus. 21. q. 4. pro quo exprimitur ibi stola Habes, & in constitutionibus Benedicti Papæ. 12. pro Can. Reg. c. de forma, & honestate habitus, & vestimentorum, vbi etiam mentio est de Rochetis, & camisijs Romanis, quas asserit Ioannes de Nigraualle Bibliothecarius Apostolicus, dari omnibus Episcopis, Archiepiscopis, & Summis Pontificibus, in eorum consecratione, pro habitu, in signum suæ professionis. Nam nullis professis religiosis datur, creatis Episcopis, præterquam canonicis regularibus, quorum est peculiaris. Id quod facit inditium, cathedrales olim omnes Ecclesias fuisse regulares: & quod olim tota ecclesia, tàm in Patriarchalibus, quam in Archiepiscopalibus ecclesijs, & Episcopalibus, per ipsos regulares canonicos regebatur: Et hos canonicos earundem clericos extitisse, quarum professionis habitum adhuc extra eas retinent. De superpellicio quoq; pro hoc habitu. innuit Archiepiscopus in 2. parte 3. partis c. 3. His induebantur Monachi illi, sub eo nomine primi, apud Aegyptum ex Clericis congregati, quos Cassianus c. 5. primi lib. de institu. renunt. referet Collobijs lineis amictos. D. Ambrosius refert adinuenisse corpora Beatorum Mart. Geruasij, & Protasij, sub hoc amictus genere inuoluta, quem & ipse Collobium nominat. Vt agnoscas etiam Sanctos Martyres meritò à Christianis hac sacra veste dignatos. Et ex hac præsertim veste linea ostenduntur fuisse clerici: quę in rationali diuinorum officiorũ cap. de Dalmatica, dicitur fuisse Apostolorum. Describitur autem à Cassiano, quod vix ad cubitorum ima pertingit: quatenus de reliquo manus circumferunt: Vt amputatos habere actus, & opera mundi huius, suggerat abscisio Manicarum; Et ab omni conuersatione terrena eos mortificatos doceat

lineì

linei velaminis indumentum, iuxta illud Apostoli. Mortificate membra vestra: hoc habitu ipso protestante; Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Et mihi quidem Mundus crucifissus est, & ego Mundo; ex cuius forma Dalmaticam, quæ dicitur & Alba, in sacris induunt Leuitæ. Quatenus in ministerio Altaris, & circa dispensationem expeditiores manus habeant; & congruant etiam Misterio vestimenti, pro ea moralitate mortificationis sensuum. Adde, & candoris huius habitus munditiem. In quo candore Christus: in quo Angeli semper apparuere, vt supra. Et quo vterq; ordo Leuiticus, & clericalis amictus est. Vide de candore quę notantur. c. post Baptismum de consecratione dist. 4. Gratianus c. Perlatum. §. è contra. 19. q. 3. dicit, Paulum primum Eremitam in testamento Collobium legasse Athanasio Episcopo Alexandrino. Quod reprobat expresse D. Hieronymus in eius vita, dum scribit, decessisse intestatum. Hieronymus autem erat infans temporibus Athanasij, quo magis ipsi credas, quam Gratiano. Non negauerim tamē Collobium vestem communem fuisse apud Romanos, sic appellatam, quòd Manicis careat: & hanc vsurpasse plerosq; Monachorum, etiam ex eo genere, qui laici erant. Sed hi tantum laneam: neq; enim lineis vnquam vsi sunt, nisi in illis primordijs, vt præmisimus, cum etiam essent Clerici. Saccis tamen plures, vel laici pro cilicijs adoperti membra leguntur, vt de Hilarione scribit Hieronymus, quem & ipse ęmulatus est, sub illa vasta solitudine, quæ horridum, inquit, Monachis habitaculum præstat. Et Niniuitas his prius vsos cum suo Rege, prædicat Ionas c. 3. quatenus ex pęnitentia Deum sibi propitiarentur. Canonici Eugubini, antequam eorum Cathedralis fieret secularis, vtebantur eo Collobio lineo absq; manicis amicti. Quod faciebant alij etiam apud Tiphernates. Faciuntq; nunc quidem Canonici Ferrarien. cathedralis Ecclesiæ,

quos ego per annos quinq; , dum lector ordinarius apud illos fui, atq; prædicator , non sine diligenti examine obseruaui.

Cottam nominat Petrus Damianus in regula sua regularium canonicorū. c.21. 2. lib. Decernit enim cottas lineas binas singulis Canonicis. Quod nomen demum resedit apud clericos seculares tantum.

In regula Beati Vgonis Pisani Rochetum vocatur etiā Giroldellum, quo in seruitio Altaris tantum induebantur; & in Missis tum conuentualibus, tum priuatis.

Cum igitur in litteris Apostolicis mentio est de habitu , vel intelligitur de habitu essentiali , per quem quilibet cognoscitur esse alicuius ordinis professus, qui datur in professioné.c.eos qui in Clem.de statu Regul. vide ibi Clemen.1.de Elec.Io.And.in verbo, habitus: Vel intelligitur de habitu non essentiali; essentiali verò interiori, siue exteriori. Io. And. vbi supra dissertus de substantia habitus canonici, eum quidem in veste linea tantū constituit, & in quo omnes canonicos conuenire dicit. In habitu verò non essentiali, atq; exteriori satis eos differre, variareq; pro colore animaduertit.

Conuenientiorem verò habitum ijs, qui in sortem Domini, atq; seruitium eius assumuntur; non possemus isto lineo scilicet reperire, quem prædiximus. & primum quidem multiplex, ac varius labor, quo vtuntur homines, & in colligendo, & humectando, & tundendo, & filando, texendo, & ordiendo, & per diuersas bullitiones, & loturas in candorem commutando, vt diuersorum generum vestimentis coaptetur: multiplices, variasq; probationes faciendas in ijs, qui canonicum ordinem appetunt, antequā assumantur. significat. A' terrenis enim abstrahendi sunt per totalem eorū contemptum, per votum religionis, & paupertatis diuitias dimittendo, & pauperibus erogando; Vnus cum alio colligandi sunt per coniunctionem

con-

concordiæ: in aqua deuotionis immergendi, & ibi maturandi per discretionem,& perfectionem, Ad solem Christum exponendi per contemplationem; tundendi per poenitentiam, & disciplinationem; carpinandi per correptionem: Bulliendi per contritionem: Lauandi per confessionem, & satisfactionem: & sic expurgati possunt acquirere albedinem idest pulcritudinem tam excellentis ordinis: Et candorem innocentię, puritatis, & castitatis, deniq; sempiternæ glorificationis. Est lineum vestimentum subtile,candidum,& suaue;In quo nobilitas,atq; honestas ipsius ordinis declaratur. De Bysso fuerunt Sacerdotalia vestimenta Antiquorum,vt legitur Exodi 28. & 29.vbi de Bysso retorta fuerunt facta indumenta sacerdotum,& vela templi,pulchra varietatē distincta.Sic verè in Ecclesia Dei sacerdotes, & ministri debent ornari præcipuè castitate,honestate, atq; charitate. Linum, super omnes herbas,est hominum vsibus aptum, & necessarium,& in plures vsus conuertitur. Nam ex lino fiunt vestimenta ad induendum,vela ad nauigandum,retia ad venandum, & piscandum, fila ad consuendum, funes ad ligandum, cordulæ ad sagittandum, ligamina ad connectendum, lineæ ad mensurandum, Lintheamina ad quiescendum, Cortinæ ad ornandum, sacculi, & Bursæ ad necessaria reponendum. Quare nulla ferè inuenitur alia herba tot,& tantis vsibus hominum,ac necessitatibus coaptata. Ita profectò nullus inter homines datur ordo magis necessarius,meritis, & virtutibus magis clarus ordine clericali,maximè autem canonico regulari: Cuius exempla sanctitàtis,& præclara documēta sunt Christianæ conuersationis indumenta,& paramenta,quæ illam seruant à frigore indeuotionis, & à Pluuia luxuriæ, & à vento superbiæ, ac Elationis, & à tempestate æternę damnationis. Ista etiam sunt vela ad nauigandum, & transeundum sine periculo mundi huius procellosum mare: Retia sunt ad

ad piscandam, & venandam prædam cælestis Gloriæ: Ista sunt fila, quibus tuta per longanimitatem debet esse anima. Funes, quibus debet esse ligata per charitatem: Cordæ, quibus sagittę cogitationum mentis nostræ, atq; orationes cordis nostri superius extolluntur: lintheamina, in quibus requiescit anima: Lineę, quibus mensurantur opera nostra: Cortinæ, quibus conscientiæ inuoluuntur, sacculi, vbi animæ reponuntur. Vestimentum lineum purum est profectò in se, atque mundum, sed facilius ad contaminandum: Sic etiam innocens in se; atq; nitidus est clericatus, at faciliter per peccatum inficitur, & maculatur; Quēadmodum etiam vestis linea contaminata, per lauationē, citò fit munda, sic & status clericalis malitia coinquinatus, ad statum pristinum per pęnitentiā restauratur. Ecce igitur quo pacto quicquid est in Sacramento Altaris, in Dominicis officijs, & Ecclesiastico ministerio, totum debet esse lineum, totum purum, totum sanctum, nihil verò maculatum, corruptum, aut fictum. Quam obrem diligenter examinandus, atq; probandus est quisquis, antequam atrium sanctissimi ordinis clericalis, aut canonicalis ingredi permittatur; Iuxta illud Ezechielis. 44. cum ingredientur portas Atrij interioris, vestibus lineis induentur, & non ascendet super eos quicquam laneum. Lana enim, quæ nascitur ex carne, potest hoc in loco carnalem quamlibet affectionem significare, quam scilicet quilibet ingrediens portas Ecclesiæ deponere debet, & lino puritatis, & innocentiæ se vestire.

Linea erat tunica, linea Cydarim, linea vita, linea zona, linea fęminalia, linea subucula, sacerdotis antiqui omnia vestimenta. Tunica significat charitatem: Cydarim dignitatem; Vita timorositatem: Mensura æquitatem: zona temperantiam: fęminalia castitatem; subucula conscientiæ simplicitatem præfigurabant; Quæ omnes virtutum species clericatum, maximè verò canonicatum regularem decorant. Alba

Alba vestimenta huius ordinis, exultationem mentis, & corporis significant. Quare potest Christi resurrectionem, Angelus in albis fuit conspectus. Erat autem aspectus vultus eius, quem assumpserat, admodum terribilis, in modum fulguris corruscantis, & vestimentum, quo amictus erat candidissimum, atq; splendidissimum, instar niuis, vt ipso quoq; externo habitu monstraret resurectionis Dominis festiuum gaudium, & magnificam gloriam, cuius ipse aduenerat nuncius. Angeli in Ascensione Domini in albis vestibus apparuerunt; quid est, inquit D. Gregorius hom. 29. super Marcum, quod nato Domino, apparuerunt Angeli, & tamen non leguntur in albis vestibus apparuisse: ascendente autem Domino, missi Angeli, in albis leguntur vestibus apparuisse? In albis autem vestibus gaudium, & solemnitas mentis ostenditur. Magna igitur solemnitas Angelis facta est, cum cęlum Deus homo penetrauit: quia nascente Domino, videbatur Diuinitas humiliata, Ascendenti verò Domino est humanitas exaltata. Albæ etenim vestes exaltationi magis congruunt, quam humiliationi. In Ascensione eius ergo Angeli in albis vestibus videri debuerunt: quia qui in Natiuitate sua apparuit Deus humilis, in Ascensione sua ostensus est homo sublimis. Pulcherimus equidem ille, & indumentorum, & corporis candor præsefert quandam lætitiam, & plerumq; pollicetur quendam animi nitorē, & munditiam: id, quod visus est nobis indicasse Rex ille, qui fecit nuptias filio suo, cui vehementer displicuit, nescioquem in conuiuio Regio, non ornatum veste nuptiali, discubuisse, cui dixit Matth. 22. Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? legimus in Act. 1. in gloriosa Christi Ascensione duos viros astitisse in vestibus albis, iuxta Domini discipulos. Huiusmodi siquidem vestes, ijs competunt, qui infirmitatis culpæ & mortis expertes sunt. Nostra vestimenta quandiu huc sumus, hisce

tribus plerumq; contaminata sunt: Sed erit, quando & nos Christum in vestibus albis sequemur, immò in stolis albis, & candidis ante thronum Dei astabimus; Interim autem continuò lauanda sunt vestimenta nostra. Candor etiam conuenit veritati, competit benignitati, quadratq; foelicitati: Quid Deus nisi ipsa puritas, ipsa veritas, ipsa misericordia, & Beatitudo? Idcirco Marci. 16. Angelus apparuit coopertus stola candida, quia Dei nuncij designantur candoris specie: Et D. Hieronymo teste, hoc candore triumphantis Christi gloriam intelligere debemus. Ex his liquet habitum Canonicorum esse angelicum. Legimus etiam cubile Salomonis pellibus albissimis decoratum, quæ nimirum præciosissimæ erant; Quam insignē albedinem, candorem, & pulchritudinem spiritualem exprimit locus ille Cant. 1. sicut pelles Salomonis. His profectò adductis omnibus interior animæ pulchritudo designata, nobis vigilantissimè ob oculos imitanda proponitur. Ita etiam, D. Pater Augustinus in regula inquit; Pro interiore sancto habitu cordis nobis esse elaborandum. In primis ille præfulgens color ad immaculatæ vitæ nos exhortatur custodiam: Siquidem innocentiæ, & vitæ puritas per vestimentorum candorem solet in scripturis significari. Proptereaq; de ijs, qui innocentiam custodiefunt Apoc. 3. dicitur. Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecū in albis, quia digni sunt. Et in visione Io. Apoc. 9. viginti quatuor seniores vidit, circum amictos stolis albis: ac deinde in turba illa magna ex omnibus gentibus, tribubus, & linguis, quam ante thronum vidit, omnes conspexit amictos stolis albis, in quibus gloria puritatis, & innocentiæ sanctorum monstratur. Et de toga linea satis.

De

De Tunica Lanea, & Scapulari, & Capa Canonicorum regularium. Cap. IX.

PRAETER habitum lineum deferunt Canonici alium quoq; laneum blaui i. dest cælestini, albi, vel nigri, vel grisei, vel alterius coloris vestimentum. Alba tamen vestis, & lanea sub habitu lineo proprior esse videtur. Nam Hieronymus ad Fabiolam de veste sacerdotali ait. Vestimenta sua non scindet, quia candida sunt: quia impolluta; quia Agnum sequentia, & de attosæ ouis confecta velleribus. Et hoc idem ex verbis regulę B. Augustini potest colligi, vbi dicitur. Vestes vestræ lauentur siue à vobis, siue a fullonibus, ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus. Nam ex colorata veste, sæpe lota, non proueniret appetitus munditiæ, sed perturbatio, & confusio potius, quia vanitas ex demissione coloris accideret: & ne quis fortassis diceret, Augustinum intellexisse id solum de habitu lineo, & non laneo, audiat ibidem in regula illum dicentem. Vestes vestras in vnum habeatis, sub vno custode, vel pluribus: ne à tinea lædantur. Equidem lineæ vestes à tinea nō læduntur sed laneę. Quod si quidem aliter deferunt, vt supra, ob aliquam eorum causam honestam id fieri permissum est. Vt est argumentum optimum de vita, & honestate Clericorum. c. Deus qui. Vbi conceduntur quibusdam varij habitus, ad prædicandum missis, vt in vnum habitum omnes se conforment. Hoc autem apud omnes clarissimum est summum Pontificem, & omniū Clericorum Patrem, & Principem sub Rocheto non portare nisi laneam, albamq; vestem.

De Scapulari.

SCAPVLARE est vestis quædam strictior, & sine manicis, à lateribus scisa vtrinq; , & patens, sic à tegẽdis scapulis appellata. Patientiæ nomen quidam, contemptus causa, huic vesti dedere: Virtutem quidem patientiæ ignorantes, solamq; superbiam omninò sectantes. Alij Cucullam satis ridiculosè insimulant, & habitum huiusmodi ex duplici conflatum dicunt, ex eremitico videlicet, & canonico. Eremiticum esse scapulare cum hasta linea: Canonicum autem Rochetum, siue tunicam lineam, quam nulli omninò non canonici deferunt. Quare istorũ etiam sententia, Canonici non erunt Patres Sancti Georgij de Alga, nõ deferentes rochetum: Etsi canonicos eos volunt Summi Pontifices, qui omnia possunt. Aut fortassè habitus apud istos facit Canonicum, qui ex lege vulgatissima, non facit monachum.

Scapulare profectò est insigne quoddam vestimentum vnius cuiusq; Religionis, quo facilè dignoscitur regularis ipse, cuius ouilis, cuiusuè Pastoris sit ouis, à quo pascatur, & gubernetur. Signaculum, inquam, est, quo à reliquis religionibus eiusdem ordinis discernitur: Hoc insigne quidem antiquissimum omnium claustralium fuisse comperimus. Ita vt Rochetum veros prorsus canonicos: Scapulare verò sub Claustrali disciplina insinuet. Scapulare sub colore albo detulerunt antiquissimi regulares Canonici Alexandriæ sub Diuo Marco instituti, de quibus sentit Io. Andreas Clem. 1. de elec. à quibus ordo, seu congregatio (licet satis in pręsentiarum exhausta) adhuc sub eodem titulo Mantuæ perseuerat. Scapulare tamen in Capicium formæ Pontificalis, seruato colore, sub annum 1516. suasu quorundam, qui ad illos ex Frigionarijs de-

sciuere

sciuere sub id temporis, immutauerunt. Permutato etiā agnomine Fratris in Domnum; qua verò auctoritate, siue ratione, nescio. Scapulare pro habito B. Virginis gestabant alij canonicorum antiqui, prout legitur de Beato Dominico qui relicto Rochero, cætera omnia sui pristini habitus retinuit, & sic Fratres Prędicatorij Ordinis, quos ipse instituit, vestiendos voluit, vt actu modò vestiuntur. Non desunt tamen, qui illum asserant canonicum habitū, quo ad vixerit, semper detulisse. Frater autem Iacobus de Brixia, eiusmet ordinis, scilicet laicus, sub scapulari (nigro tamen) iuxta differentiam, qua à Clericis differunt laici, in assumptione postmodum cononici ordinis, eundē Rochetum assumpsit. Et sic à diuersis ordinum religiosis, diuersi ordines, seu Congregationes, aut propagatę, aut de nouo institutæ fuerunt: vt alibi plenius dicetur. Neq; ego inficior, hoc hastę laneæ gestamen cum scapulare apud Eremitas esse, velut proprij habitus Vicarium: Cū hunc, condiri inter scepta Monasterij, non extant. Sed non est de essentia habitus Eremitici. Decreti dulū per Alexandrum 4. Pont. Max. nec per illud professionem emittunt. Verum ante Eremitas scapulare, vt dicebamus, fuit insigne antiquissimum penè omnium Claustralium: Et ab ipsis Eremitis quoq; tum vsurpatum credimus, cū ex Eremo ad Claustra transierunt. Scapulare obtulit Virgo ipsa Dei Mater, & sponsa seruis suis, vt habetur in historia Patrum seruitarum, in memoriam scilicet dolorū suorum, dum in Cruce filius eius Mundi Redemptor Iesus Christus patiendo moreretur. Iuxta illud. Stabat Mater dolorosa, iuxta Crucem lachrimosa, dum pendebat filius. Hac vtiq; ratione scapulare diceretur patientia, quòd compassionis filij, & matris habeat symbolum atq; significatum. Scapulare symbolum est Crucis, quā mundi Saluator, omniū redentionem tum operans, per totam Ierusalem, & extra in Caluarium vsq; sibimet baiulans

ad mortem ductus est. Vbi, & Deo patri spiritum, & nobis dono relictum emisit in sui memoriam. Obtulit insimul cum scapulari B. Virgo seruis suis Regulam D. P. Augustini, quam illis obseruandam iussit. Ante verò Mēdicantes religiosos, duo tantum genera Claustralium fuisse leguntur: canonicorum scilicet ac monachorum. Horum quidem siue Basilienses fuerint, siue Benedictini, siue Hieronymini, siue Pachomij, siue Columbani, qui multiplices species ꝑ diuersarū cōgregationū diuersis cognominibus, & sub diuersi coloris habitu, faciunt, omnium tamen scapulare, seu album, seu nigrum, seu griseum, claustrale est, quo semper familiarius inter ipsa claustra vsi sunt, pro cucullo substituto. Sunt qui Carthusienses ab ijs distinguunt, qui tamen scapulare pro habitu statuunt. Illud quoq; album super lineam tunicam, quam Collobium, seu superpelliceum antiqui, nostri autem rochetū appellant. Clerici claustrales, deinde canonici regulares dicti in Alexandrina Ecclesia, ante illos monachos, sub Marco Euangelista, vt dicebam, primi insigniti fuerunt; id quod in antiquissimarum illius Vrbis Ecclesiarum eorum met ruinis, ex pictura (quod ego ex fide dignis cognouerim) facilè conspicitur. Vbi clerici illi, qui communem vitam degebant sub hoc habitus ornatu, opere musiuo effigiati apparent. Testantur multò magis canonici illi, qui in eodem habitu scapularis, & rocheti sub eodem Euangelista postremis temporibus militare continuauerunt. Ii planè prædicarunt scapulare commune fuisse clericorum primitiuæ Ecclesiæ: præsertim verò Alexandrinæ, quod postea, remisso eo in communi obseruatione, clerici, qui propterea seculares appellati sunt, illorum loco sumptis Almutijs à se pęnitus abiecerunt. Quando nō in claustris cum alijs conclericis, sed cum affinibus in proprijs laribus viuere malent; Ex quo quidem tempore scapulare insigne claustrale nuncupatur, quo clerici regulares

res à fecularibus distincti sunt. Cum omnium tùm Collobium, seu superpelliceum sub eadem forma foret commune. Cæterum, siue id ab illis tùm claustralibus sumptum sit: siue ab ijs potius reiectum, cum diuersa cognomina regularium, & fecularium sortiti fuere, vt ex eo quoq; inter se distinguerentur, pro certo cōpertum habemus, scapulare antiquissimum canonicorum id genus claustralium esse. Ex libro.31. Speculi historialis Vincentij, Frisonarios Canonicos principiò scapulare nigrum gestasse intelligimus. Inquit enim ordo nouus Canonicorum regularium apud Aetruriã in Lucensi agro Monasterio Frisonariæ initium sumpsit à loco, Frigionaria dicto: Deinde ab Eugenio.4. auctus, Lateranensis appellatus, eum speciali priuilegio Canonicis regularibus. B. Augustini aggregauit. Hi à primo eorum Auctore Clamidem nigram cum nigro scapulare, biretoq; nigro sumpsere; & nigro scapulari deposito, camiseam lineam, eius loco, induere voluerunt.

In superioribus verò extollens nostrum ordinem Canonicorum Sancti Saluatoris his verbis vtitur. Hi planè religiosissimi viri inter cæteros existunt, qui ob memoriam, & reuerentiam suæ primæ religionis, & pristini habitus, semper claustrale signum, videlicet habitum album cum scapulari albo, & hasta super camiseam lineam deferre voluere, & quæcumq; statuta, & primas ordinationes conseruauere: Ex redditibus enim viuunt: non prædicant, sed confessiones audiunt, more aliorum: Magni enim pretij, maiorisq; opinionis in Dei Ecclesia nuncusq; habiti sunt. Viros enim integerrimos, tùm scientia, tum vitæ sanctitate protulit. Non ignoramus etiam, reformatis Clericis fecularibus in regulares, Petrum Damianum assignasse Almutias pelliceas, & laneas, & paludamenta super humeros; deinde altera reformatione, Benedictum 12. inter vestes, quas siue in eis conseruauerint,

vti ex ipsis noui reformati agnoscerentur; siue, vt ab illis Alexandrinis discreti forent, alij viderint, quibus hanc Prouinciam vltrò concedimus: modò consentiant nobis, Almutias in illis tantundem valuisse, vt in Alexandrinis, & nostris, scapulare. Minores tantum Mendicantes, & qui eos sectantur, inter omnes religiosos, scapulare renuerunt. Nisi fortasse Cucullum illum, in quo profitentur, scapulare nuncupabimus, quòd scapulas contegat. Et ipsi suo vocabulo Caputeum, siue capicium vocant: cum profectò magis pro contegendo capite, quam scapulis, apud eos inuentum fuerit. Significat enim charitatem, quæ caput animæ, idest mentem cooperit, & eam præseruat à frigore peccatorum, & à caumate tentationum. Capiciū etiam, quod nunc super humeros Clerici deferunt, ipsi quidem canonici regulares ad collum, & in capite antiquitus deferebant. Et, vt deferrent, habebant sub præcepto Apostolico, vt claret ex constitutionibus antiquissimis, & ex priuilegio Benedicti Papæ vniuersis per orbem indulto Canonicis. Charitas autem in vtrisq;, vti capicium, debet esse superius lata, & perfecta, Dei dilectione: Sed inferius stricta, & ārcta, terrenorum vsu, & fruitione. Nos verò reliqui omnes scapulare iunctum cum hasta simpliciter nominamus: nec tamen esse de essentia gradus canonicalis, sicuti nec Monachalis, dicimus: Quamuis omninò cum maiorem, veluti vices veri habitus gerens, apud Monachos sortiatur, Canonicis autem in signum tantum, & pro maiori habitus venustate, concessum sit: Qui solā tunicam lineam pro habitu essentiali decretam acceperint. Pro qua etiam venustate, suo illo Cucullo (delicato tamen, vti crediderim) Pontifices Maximi, & Cardinales loco Cappæ, inter domesticos, sine qua nunquam in publicum, quod & nos ex Gregorij XII. & Martini V. decreto obseruamus, prodire solent. Quorum tamen, sicuti noster, solum rochetum certus habitus est; cum quicquid,

præter

præter ipsum, induamur: cuiuscumq; coloris, seu quomodocunq; formatum appareat: nihil omninò ad habitus Canonici substantiam pertineat: neq; eam prorsus inficiat. In quam rationem omnes Sancti Doctores conueniunt vna cum glosa Io. And. in Clem. 1. de elec. in verbo, habitus. Gregorius XII. dum præfatam congregationem Saluatoris conderet: Scapulare illis canonicis inter vestimenta consignauit, nec hastæ mentionem adiecit, cum vtramq; nihilominus illos induisset. Sub eodem quoq; tenore Martinus V. scapulare intellexit: & reliqui deinceps omnes Pontifices, ac alij, qui de vestibus præfatis describserunt. Quod tamen alterutro modo, absq; habitus Canonici præiuditio, vt asseruimus, deferri posssit. Vt siue illud sine hasta, quale non nulli pullum quandoq; gestant: siue hastam, absq; eo, etiam induantur, quam aliqui patientiam dicunt per ironiam: hoc illi nihilominus eo libentius amplexi sunt, in memoriam Passionum, quas Ecclesia patiebatur, quo tempore instituti fuerunt; & in signũ illius promissæ consolationis, cum dicitur. Si socij passionum estis, eritis & consolationum. Nihil tamen vtrauis pars separatim, neq; coniunctim, ad essentiam habitus generalis operatur. Operabatur autem in illis ex eodem Pôtificis decreto, quo & tantundem operabatur Capa: quibus illos Gregorius congregationis suæ, quam in illis auspicatus est, obnoxios fecit: quatenus ex illarum vtriusque vestium forma, & ex earum duntaxat vtriusq; colore, sui Canonici à non suis distinguerentur: Nam vario colore, & sub diuersa forma: Et exinde sub diuerso nomine, vestes canonicorum regularium, tàm exteriores, quàm interiores fuisse, Benedictus XII. in suis pro eis constitutionibus testimonio est. Quarum tamen nullam pro habitu asserit præter rochetum: Quod & censuris cauit, ne superioribus occultaretur. Petrus verò Damianus vtroq; longè antiquior, etiam femoralia, inter alia canonicorum vesti-

vestimenta, examussim circumscripsit. Colore ad libitum vtuntur qui alijs clericis secularibus non interdicitur. Benedictus ipse Papa constituit veruntamen, vt blauo, idest cælestino, albo, nigro, seu quasi nigro, sicuti leonaceo, seu violaceo obscuro coloribus duntaxat vterentur nisi ex Apostolico indulto aliter eisdem concederetur. Ioannis And. Clem. 1. de elec. & quæ notantur in §. 53. quorum habitus. Sed iam video nimium curiosus in quos risus apud homines doctos me conijciam: dum aliquorum hęc iocularia figmenta, & superstitiosa veluti diligentia persequor. Quibus nouo, & ridiculo satis commento duplicē habitum, vel sibi ipsi repugnantem in vno compactum ad inuenerunt. Nam, bone Deus, quæ maior repugnantia, quàm ea, quę est habitus clericalis cum Eremitico? num & illum Pontificalem ex ea capa, siue Cucullo, monachalem an eremiticum interpretabimur? num & capam aliorum absq; cucullo præscribemus? an licet cuiq; nouis vocabulis vestes circumscribere, & eis ad iniuriam noua hęc commenta quotidie circumferre? an quod habitus venustatem Pontifices appellant, quis ad ignominiam audeat referre? & quod ipsi claustralium insigne prædicant, temerè derideatur à quopiam? Etsi obijciatur mihi, quòd etiam D. Iacobus Lebetius Ferrariensis, vir ex nostris certè laudatissimus, in suo libro De habitu canonico, scapulare à Canonicis arguat alienum omninò. Id fateor, & ego, ratione quidem ordinis, at non distinctione congregationis. Non est habitus, concedo, essentialis: at decorosus, maximæq;, vt supra dicebam, venustatis. Et quod attinet præcipuè ad Gregorium XII. huius ordinis reformatorem, qui signanter donauit scapulare suis Canonicis, vno verbo singulis contra huiusmodi vestimentum argumentis respondemus. Papa sic potuit. Papa sic voluit. Papa sic fecit. Vt ex priuilegio ipso eiusmet Gregorij, & ex dictis iam clarissimum est. Nec vnus Gregorius XII., vt

dicitur

dicitur,huiusmodi habitus inuentor fuit. Nam & in antiquis,& successiuè apud omnes claustrales,pro decore, sẽper delatus est, vt audistis. Immò sic & ipse instituit,quia de more maiorum id factum obseruauit. Non quòd in procinctu temporis rem non satis animaduertere potuerit,vt potè huc,illucuè schismatis tunc procella iactatus; Immò consultissimè, ac secundum suæ mentis arcanum, vt ipsemet in priuilegio suo dicit. Et quemadmodum, cum post annum,& menses octo à morte Cælestini IIII. successor non daretur Ecclesiæ,ob discensiones Cardinalium,& id quidem summa cum rerum omnium Ecclesiasticarum iactura,maximè ob Federici Imperatoris rebellionem: propositum fuit à deuoto quodam solemne votum ad tot mala,quam primum auertenda,scilicet, vt Põtifex electus celebrandam statim iuberet B.V. Mariæ Natiuitatem,& cum octaua apud omnes Christianas gentes, quo facto à Patribus illis tum voto, statim Synibaldus Cardinalis Papa factus est, atq; Innocentius. IV. denominatus,qui & præfatum festum ipso facto instituit. VI. Non: Septemb. solemnissimum, & quia Nouum electionis præfatę lætificauit vniuersum mundum, qui nouum Pontificem expectabat ardenter: ideò Ecclesia instituit cantandam in Officio Antiphonam. **Natiuitas tua Dei genetrix virgo gaudium annunciauit vniuerso mũdo. ad perpetuam rei memoriam,& Virginis gloriam, ob votũ ei factum anno. MCCL. vel circa.**

Similiter Vrbanus Papa VI. anxia ferens mente serpentinam materiam schismatis, in Ecclesia antiquatam, & perpendens animo; quod B. Maria est pijssima delinquentium aduocata,& reparatrix sagacissima deuiatorũ, pro gratia extinctionis schismatis impetranda, in remissionem omnium peccatorum,piè statuit festum visitationis eiusdem Virginis ad Elisabeth VI. Non: Iulij à cunctis fidelibus celebrandum. Vt autem omnis fidelium multi-

multitudo ad memoriam præfatæ visitationis B. Mariæ arctius,& deuotius excitaretur, voluit idem Vrbanus, vt conformes indulgentiæ per omnia priuilegia, quæ in celebratione corporis Christi in Ecclesijs cathedralibus, & alijs sunt concessa, omnibus dictum festum visitationis præfatæ celebrantibus, aut corde interesse volentibus, vbi alias legitimè impediti forent, de plenitudine thesauri spiritualis Ecclesiæ futuris temporibus effectualiter largirentur. Ita quoq; Gregorius XII. eodem schismatico morbo tùm ingrauescente in Ecclesia,votum vouit,& iugiter eiusdem B. Virginis,cuius deuotissimus erat,summis precibus auxilium implorans,in ipsius nomine habitum scapularis griseum,sibi interius portandum, assumpsit: Eiusuè turbulentissimi coloris, pro vt omnia Christianorum visebantur illius temporis: quem postea etiam suis nouis canonicis dono dedit. Pro Clypeo sacro cōtra iniquissima tella Diaboli, carnis, Mundi, & omnium inimicorum nominis Christiani, ac præcipuè religiosi vna interim sola mediante spe consolationis, clementia scilicet, ac gratia eiusdem pijssimæ Virginis,quam in rocheto significauit. Quare schismate ablato,& pace vbiq; fidelium restituta: corruscanteq; in omnes tanti Numinis gratiosa claritate,atq; alacritate, vt facta est in Martini V. exaltatione:vnitisq; Gregorianis illis canonicis cum Renanis Bononiensibus antiquissimis: meritò sanè tùm, pro gratiarum singulari actione, totus ille griseus, & obscurus habitus in niueum candorem apud Renum, cuius fluminis aquæ, vt limpidissimæ sunt, ita & saluberrimę, commutatus est. Gestabant enimuerò prędicti canonici Renani semper Almutias, & paludamenta, quę sunt idē ferè cum scapulari, vt videre est in eorum constitutionibus cap. de vestimentis. Nos verò eorum successores, maximè post pręfatam reformationem,atq; vnionem,scapulare semper detulimus; Et cum tunica linea sit habitus

gene

generalis,& eſſentialis ordinis Canonici: ſcapulare; autē ſit in noſtris,vt in Alexandrinis, habitus congregationis proprius, & peculiaris, in vtroq; nos profitemur: vt illa ordine cum alijs Canonicis in genere: hoc verò congregationi in ſpecie tantum colligemur. Vt quatenus in hac congregatione perſeueremus, ſcapulari vna, & rocheto teneamur: Proiectos autem à nobis,& perfugas eo duntaxat ſpoliemus: quod Nouitiorum ad genua tantum defluit,nondum probatis,profeſſorum ad pedes protenſius, veluti longioris temporis Saluatori ſuo Chriſto militantium. Dicuntur Canonici accepiſſe olim ſcapulare Almutiarum loco, quando ſeculares clerici Canonicatus quotidie occupantes, eas quoq; pelliceas, & panno, inde ſibi vendicarunt,quatenus ſub eo clauſtrales,non ſeculares dignoſcerentur. Et quia de Almutijs pluries in hoc tractatu mentionem fecimus: ideò videtur quaſi neceſſariū de ipſis aliquid in medium proferre, pro complemento cognitionis Canonici habitus.

De Almutijs. Cap. X.

ALMVTIVM, vt aliqui volunt, eſt vox mutuata à græcis, & interpretata, quaſi ſaccum mẽdicitatis:vt canonici victitare ex eleemoſinis mendicando teneantur, in cuius rei ſignum,ac proteſtationē, ſaccum mendicitatis,& Almutium in brachio geſtatur ab ipſis: Horum ſanè opinio mihi non ſatis probatur,& potius videtur ſpeculatio vanitatis. Reſpicientes enim ad antiquum,& primum Almutiorum vſum, comperimus, antiquitus fuiſſe habitum capitis Almutium,quod nunc à Canonicis ſecularibus in brachio, à regularibus verò noſtratibus in humeris geſtatur. Alij dicunt, vt à capite deducitur capuccium, vel à capiendo capitum (ſic enim Varroni dictum

eſt

est, quod pectus capiat, hoc est comprehendat) ita ab amiciendo Galli nouam Almucij vocem confinxerunt. Sacerdotes, inquit Bayfius de re vestiaria cap. 16. qui canonici dicuntur, lacernis nigris ornantur, vt Cucullorum in ædis choro Dauidis versus alternis vltrò citroq; vocibus decantant: tempore verò æstiuo vtuntur pelliceo: quem ab amiciendo, opinor, vulgo Alumutiam vocant. Illud tamquàm rem certam, & obseruatam inuenio; Almutia hæc fuisse capitis tegumenta. Etenim in concilio Basilensi sess. 21. legitur de canonicis; Ecclesias ingrediãtur, Almutias, vel byrretta tenentes in capite. De significatione autem huius Almutij vsus nihil probabilius occurrit, quàm lib. 3. Clemen. tit. 10. de statu monachorum Clem. Ne in agro Dominico, dicitur. Maiores videlicet nostros hoc habitu, & schemate, nobis obijcere voluisse, summam illam miseriam, inquam per peccatum incidimus, ob quam primi nostri parentes perdita innocentia à Deo vestiti sunt tunicis pelliceis. Quod verò ex primæuo vsu pellibus istis, siue almutijs, caput tegatur, monemur humilitatem in primis excolere sub obedientia Dei, & præpositi nostri. Quod enim pellibus caput tegebatur, professio quædam erat humiliationis, & subiectionis. Ex pellibus Agninis canonici tegunt sibi caput, & non Edinis, vt se profiteantur Agni immaculati veri sequaces, & ad dexteram Dei Patris in extremo iudicio constituendi, non autem à sinistris ad infernum cũ spiritibus immũdis in perpetum condemnandi. Almutium, alio nomine apud Ioannem Cassianum in libro primo de Institutis Cenobiorum cap. 4. dicitur; Maphorte, vel Mauorte. Quæ Mauortes, Isidoro teste lib. 2. officiorum cap. 19. lib. penul. Etym. cap. 25. est velamen, quo fęminæ, dum maritantur, velantur, vt nouerint per hæc se viris suis esse subiectas & humiles. Postremò huiusmodi pellis habitus in capita significat, canonicos, mortificata omni petulantia

carna-

carnalium passionum, debere in summa virtutum grauitate consistere, nec quicquam petulcum, vel calidum iuuentutis, ac nobilitatis mundanæ vanitatis in eorum corpore residere. Mauortes ita dicti creduntur propriè, quòd fœminæ circa humeros eos verterent, & sub eis in publicum honestatis vigore absconderent: iisdem tum etiam intrantes in templum sibi capita tegerent: iuxta D. Pauli ad mulieres præceptum, de non intrando Ecclesiam, nisi capite velato propter reuerentiam Angelorum. Pertinet ad id, quod Lini nomine legitur, in passione Pauli Apostoli. Plautilla commoda mihi pannum, quo caput tegis. Deinde sequitur Paulum ligasse sibi oculos de Plautillæ Maphorte, vice sudarij, eamq; Maphortem suam miraculo recepisse.

Sed esto huius habitus nomen, aut Maphorte, aut Mauorte, vel Almutium: nec non accipiat suam, vnde velit, originem: græcumuè, aut latinum, aut Gallicum dicatur vocabulum: quomodolibet etiam nostro adhuc tempore canonici, vel in humeris, vel in brachio gestent illum, sat vnum mihi est, antiquitus fuisse capitis operimentum; & Pileum ex pellibus agninis, vel huiusmodi confectum. Quare inter cimbricas virorum doctorum coniecturas, magis ad mentem Goporij in suis Hyeroglyphicis, Flandricum id verbum, quasi Aldenmutsen, hoc est antiquum pileum, credere velim; scilicet vt innocentiam, & simplicitatem paruulorum iugiter custodire, etiam imitatione ipsius velaminis commoneantur.

✠

De Capa Canonicali. Cap. XI.

DVcitvr Capa (si Ioanni Andreæ credimus Clemen. 1. de statu monachorum) à verbo Capio, quòd infra se reliquas alias vestes, seu totum hominem capiat. Siue à capite, cùm etiam caput contegat. Alijs placet magis, quia magnum Caputeum appensum habeat. Capum D. Augustinus nuncupauit Birrum in sermone de communi vita Clericorum; Et est vestimenti genus, quo cætera omnia cooperiuntur, inuentum, vt ferūnt, à Gallis primum. de Birris mentio est dist. 30. cap. si quis. De Capis autem, Mantellis, Rotondellis, Elochijs talaribus, scribit Benedictus Papa XII. in Constitutionibus præmissis & Io. And. vbi supra, facit differentiam inter Capas, & rotondellos, quòd isti non habeant Capicium appensum, sicut illæ. Et de flocco, & de Cuculla pariter exponit, quod inter eos intersit: Floccum appellans cū manicis, quibus Cuculla careat. In actis gloriosi Martiris Cypriani legitur, cum ipse decollandus esset, se exuisse Birro, aut, vt alij actus habent, Lacerno Birro. Et D. Gregorius lib. 7. indict. 2. epist. 5. meminit Birri albi, quo quidā de fonte surgens indutus fuerat. Apud Cælium in antiquis lectionibus lib. 16. legimus, Birrum fuisse Romanam vestem. Ita & Græci scribunt. In Codice Theodosij lib. 14. tit. 10. lege. 1. cùm legātur hæc verba. Seruos sanè omnium (quorum tamen Dominos solicitudine constat militiæ non teneri) aut Birris vti permittimus, aut Cucullis: colligendum videtur, Byrrum ferè fuisse vestis genus, nō quo peculiariter vsi sint Clerici, siue canonici in Ecclesiastico officio: Sed commune vestis genus, quo ij absq; reprehensione vtebantur, qui pauperes non erant. iuxta il-

lud

lud in regula. D. P. Augustini cap. 15. Non sit notabilis habitus vester, &c. Nec improbabile est, fuisse vestem, qua etiam caput tegebatur. Nam byrretum diminutiuũ à Byrro, Gallis est paruum pileum. Nemo (ait D. Augustinus in sermone de communi vita Clericorum) det Byrrum, vel lineam Tunicam, seu aliquid, nisi in commune. Tortellius notauit Byrrũ, pellem esse rufam, à byrsa pelle bouina deriuatam. Alij pro Byrro, Pyrhon ponunt, quod græcè fuluum, rutilum, rufum, ab igne ducto vocabulo, significat. Ambrosius Calepinus, Burrhas, rufas vestes interpretatur. Alij faciunt differantiam inter Byrros, & Beros; volentes Beros esse preciosas vestes, contextas è serico; Byrros autem, pannosas, rudes, & viles. Sulpitius tamen seuerus dialogo. 3. cap. 14. vbi in Ecclesiasticorum quorundam luxum excurrit, nominat Birrum rigentẽ, & fluentem lacernam. Flauius item Vopiscus, Suetonio adiunctus, de Carino scribens, dum conqueritur; quosdam patrimonium suum scenicis dare, hęredibus abnegare, inter alia scribit. Donati sunt ab Atrebaticis Birri petiti, donati Birri Canusini. Et D. Pater Augustinus in sermone præfato de communi vita Clericorum. Offeratur (inquit) mihi. v. g. Byrrum præciosum; fortè decet Episcopum, quamuis non deceat Augustinum idest hominem pauperem, de pauperibus natum. Quare vox Byrrum non materiam respicit, sed colorem, & formam. Quam vtiq; attendens Gregorius Papa XII. in Capa suorum Canonicorum, ordinauit eam grisei coloris instar Caparum conuersorum Carthusiensium, humili contextam, cum ad Populum, seu turbam in publicum prodirent: ne quid nimirum turbæ interioris ostentatione insignis, veluti ambitiosi habitus paterentur. Quasi declarauerit huius vocis Birri significatum, coloratumq; designauerit. Capis more Carthusiensium vsos esse antiquos Canonicos, testis est Io. And. super cap. Innotuit extra. de

elec.& Clem.1.de elec.in verbo,habitus.Et propterea eorundem,sed conuersorum humiliorem Gregorius præfatus elegit,dicens. Superius autem Capam grisei coloris, lanæ mordentis,ad instar caparum conuersorum Carthusiensis ordinis, gestabunt. Capam nigri coloris signanter gestabant Canonici Renani cum caputeo appenso,& lato, clausamq; ab imo supra medium parte anteriori, ad eam formam,qua nunc gestant capas suas amplissimi Patres Orthodoxi.Quamuis putauerim,ea potius olim Priores perpetuos tantum vsos fuisse: Cæteros verò Canonicos subditos præsenti nostra humiliore indutos in publicum adire consueuisse. Portabant equidem præfati Canonici de Reno super rochetum inter domesticos parietes palludamenta super humeros, siue Almutias magnas laneas, albas, vt in eorum constitutionibus. De vestimentis,& calceamentis, ac lectualibus fratrum cap. 21. constat; Et his vtebantur in estiuo tempore:gestabant autem in hieme Diploidem,genus quoddam vestimenti, ad instar illius apud Etruscos,Lucus vel sanè ipsius scapularis. Capam verò solum,dum exirent ad Populum, nigram, amplamq;,& cum caputeo magno,& lato in capite,vt supra,deferebant. Hæc forma habitus dictorum Canonicorum Sanctæ Mariæ de Reno habetur expressa in quadã antiquissima Icona,ex ligno,ac auro confecta,varijsq; Dedala manu ornamentis decorata: quæ rappresentat Beatam Mariam Virginem in actu suæ Coronationis à filio, ad cuius pedes videtur vnus prædictæ Canonicę canonicus cum habitu suo: nempè rocheto Romano, Capaq; lanæ nigri coloris, à parte anteriori tantum aperta, quod sufficit ad ostendendas manus in reliquo verò per totum clausa,ad instar caparum S.R.E.Prælatorum,ad quorum etiam similitudinem habet Coronam Capitis patentem, integram, iunctis manibus, ac genua flectens, prædictam Virginem,& eius filium adorans:quę Icona erat ad Altare

mans præfatæ Canonicæ antiquitus. Nunc verò eius tan tum pars in Sacristia eiusdem renouatæ canonicæ, opera mea, seruatur, in qua potissimum descripta capæ forma, & habitus Canonici antiqui representatur.

Diuersis in locis diuersi canonicorum habitus reperiuntur, vti etiam Lucius Io. Trullus docet. Alij enim albo vestiuntur habitu cum hasta superiori linea. Alij tunica nigra cum hasta desuper linea, & alba: vt pleriq; Cathedralium Canonicorum in Gallijs constituti. Alij verò habitu tantummodo albo, & clamide alba; Alij cum tunica nigra, & camisia linea sine scapulare, sed cum caputeo, more secularium, sed Byrreto albo. Et alijs modis, vt in secunda parte huius libri, cum de varijs huius ordinis reformationibus tractabitur, præcipuè patebit. Nunc autē quàm iudiciosè atq; consultò maiores nostri huiusmodi habitum nostrum albū sub nigro excogitarint, atq; vsurparint, animaduertere vos volo. Nam albo nullus color inuenitur, qui luci magis sit similis, aut accommodatior. Quanti autem sit lux facienda, quantumq; ipsi tribuendum, nemo est, qui non intelligat. Hac enim incredibiliter gaudent oculi. Hęc menti securitatem, ac tranquillitatem præstat, & tamquam animā mundi ab omnibus iure optimo censetur: qua remota, vitam animantium non posse diutius conseruari, ipsa met ratio planè ostendit. Hic color rebus omnibus cęlestibus congruè inest, maximè verò Saluatori mundi, qui se lucem dixit. Ego sum lux mundi. Io. 8. consequenter, & eius Canonicis. Quibus Matt. 5. dictum est ab ipso Christo. Vos estis lux Mundi.

Romanos quidem Senatores in publica loetitia albatos quandoq; sedisse, hostijsq; candidioribus per Victimarios immolasse, legimus. Vnde eminentissimus Poeta. Anchisem pecudem zephyris fęlicibus albam sacrificasse, testatur. Canam, & fidem, ob id nouimus dictam, quia

 pura,

pura, & sincera, nullis vnquam fallacijs, nullis cauillationibus, nullis dolis, nulla deniq; fraude inuoluta esse debet. Per album, atq; candorem, tùm corporis venustatem, & dignitatem; tùm animi simplicitatem, & probitatem intelligimus. Quare maiores nostri pro albo colore, Canonicos Saluatoris probos, sinceros, fideles, ac liberales, immò Spiritus angelicos, atq; cælestes declarare voluerunt.

Quia verò adhuc in inferioribus istis Domino seruimus, omniaq; inferiora lucida sunt, & nigra: Hinc illa auspicata, hæc in auspicata censentur: atq; vt atro nihil est visu molestius, mentiq; lugubrius: Ita nihil est humanis oculis albo candore iucundius, Quare Thraces singulorum Ducum suorum fœlices euentus lapidibus designantes, candidiora, vbi Cælum fauisset; vtebantur nigro atroq;, si quid molestum, aut odiosum accidisset: Nos quoq; hac tempestate mæstitiæ signum declarantes atrati prodire solemus: quæ consuetudo à priscis hominibus sapienter excogitata, à maioribus vsurpata, ad nos vsq; defluxit. Nigro itaq; palio superuestiri nos, voluerunt Institutores nostri, ad eam huius vitæ infoelicitatem significandam, nigrumq; albo super imposuere, vt semper ob oculos habentes mundanam miseriam, cum egredi oporteret, nullo pacto ab illius hipochrisi deciperemur, sed claustrum, & cælum iugiter appareremus. Admonuerunt præterea, si quid pro Christo hic patimur molestiæ, lucidas, & quæ minus apparent nunc beatiores sedes, nos accepturos in fine; immò pro interiori, & conscientiæ, & animæ conseruanda puritate, mortem etiam libenter subire non recusandum esse. Sed perstringamus obsecrò huiusmodi vestimentorum spiritualem, atq; misticam significationem.

In habitu igitur præfato designantur professionis vota; in rocheto scilicet albo puritas vitę, atq; castimonia:

non

non enim ab vlla carne, aut animali ducitur. In scapulari quidem obedientia designatur, religionisq; disciplina, & voluntariæ subiectionis: habet enim formam virgę vigilantis super nos: Vnde bene dicitur hasta, iuxta Ezechielem: vel figuram iugi præfert, licet suauis, vt Saluator ipse dicit. Iugum meum suaue est; vel dicas scapulare, veluti Clipeum, & designat, charitatem veros Canonicos protegere contra iacula tentationum. Fertur'q; in dorso admodum fugientium, vt intelligas, bellum Religiosorum contra incentiua carnis, magis consistere in fugiendo occasiones insultuũ, quàm in reluctando; quia tutior est victoria cum fuga, quàm se talibus offerre, etiam cum resistendi proposito. Hasta longa scapularis designat ipsam regulam, & mensuram imitationis Christi, vt totũ conformes te Christo semper; vt scapulis suis obumbret tibi, & sub pennis eius sperare poſsis. Recta est, & absq; vllo impedimento, vt eam perfectè valeas amplexari. Designat fortem tollerantiam paſsionum, quasi semper Crucem super humeros portare nos debere ostendat, ad vitia debellandum. In cuius etiam signum Reges vnguntur in humero: Et Portitores grauium onerum humeris aliquod supportaculum superponunt ad onera leuius supportanda. Et profectò est scapulare sacræ obedientiæ, ac humilitatis signum. Religiosæ grauitatis, modestię, ac honestatis argumentum: puritatis, & innocentiæ inditium: innoxias manus abscondens sub se in cõspectu seculariũ: patientiæ atq; longanimitatis, & perseuerantiæ vexillũ; Targa propriè, qua totum tegitur corpus religiosum, & cor contra diabolicum impulsum. Capa demum est paupertatis inditium, niger enim color nullum super se admittit colorem alium. Capa nigra significat paſsionis, ac mortis Dominicæ iugem memoriam immò, & proprij obitus instans desiderium, iuxta Diui Pauli exemplum capio dissolui, & esse cum Christo: Et verum Canonicum

 opor-

oportere mundo,& eius concupiscentijs esse crucifixum, vt dicere possit cum Apostolo Gal. 2. Christo confixus sum Cruci; Amplitudo autem capę amplitudinem designat charitatis. Longitudo verò, quæ à capite protenditur ad pedes vsq; designat boni propositi constantiam, debet enim protendi à principio suę conuersionis ad vsq; finem vitę. Hæc ex Anselmo in libro de similitudinibus cap.92. decerpta sunt. Nigredo habitus desuper est contra superbiam, in quam incidere posset regularis Canonicus, ob status sui dignitatem, atq; ordinis perfectionem, q.d. Canonicus, quantuncumq; perfectus, debet se vilē, & obscurum peccatorem in omnibus reputare. Sed hactenus de Canonico habitu.

De Prænomine Fratrum inter Canonicos. Cap. XII.

EAdem in domo cohabitantes, & ibi communi claustro, communi Refectorio, communi Dormitorio vtentes,& sub vnius, eiusdemq; Episcopi, vel Abbatis, vel Prioris obedientia Deo inseruientes, vti propriè faciunt Canonici regulares, nullo magis conuenienti, quàm fratrum pręnomine censeo esse nuncupandos. Nec aliter quidem in Diui Augustini regula passim nominantur. Quoniam verò hæc fratris denominatio, quibusdam parum apta eminentiæ Canonicorum videtur; immò contemptibilis nimium: opere pretium duxi, ostendere breuibus conuenientiam, dignitatem, atq; excellentiam, qua fratris prænominatione, ac fratrum denominatione, Nos Canonici regulares diutina, publicauè consuetudine, rationabili profectò magnorum virorum, Deiq; auctoritate satis decenter nuncupamur. Nam qui sacras veteris, ac noui

noui testamenti scripturas legerit, quin passim fratrum ibi nomen inueniatur, non ad naturam ex eisdem tantum parentibus, aut cognationem denotandam, vel gentem: Sed etiam ad eiusdem religionis, & operum, nec non affectuum similitudinem significandam, nemo ignorat. Quod olim etiam à D. Hieronymo contra Eluidium de perpetua virginitate Matris Christi Mariæ, notatum est. Sic natura fratres Abel, & Cain: Iacob, & Esaù: Petrus, & Andreas: Ioannes, & Iacobus: Sic Abraham, & Loth: Iacob, Laban fratres cognatione: Sic omnes de vno Hebreorũ Populo, inter se fratres dicti sunt. Sic religionis, & cultus communione, affectuq; pari ex omni, quæ sub Cęlo est, natione, semper fratres per quàm rationabiliter dicti fuere, sicut auctoritate suprema cęlestis Magistri docemur. Qui Matth. cap. 23. Discipulis suis dixit. Omnes vos fratres estis, vnus est enim Pater vester, qui in cęlis est. Fideles omnes in primitiua Ecclesia vbiq; per lauacrum regenerationis baptismale cognominabantur fratres. cap. ad mensam, ij. q. 3. & cap. Ioannes de reg. per Io. And. in. 2. q. 1. si peccauerit. Quid autem est, ait Chrysostomus, quod fraternitatem vocat, nisi lauacrum regenerationis, quod facit posse vocari Deum Patrem? Repetita. 11. q. 3. Fratres dicuntur Christiani, quia vnum solum, eundemq; Patrem habent omnes Iesum Christum: vno eodemq; pane, ac vino, idest ipsius met Christi carne, & sanguine, vt inquit Paulus. 1. Cor. cap. 10. communicant omnes. Vnde sæpius Discipuli se ipsos inuicem fratres, & ipse Dominus Iesus eosdem appellabat fratres; vt Matth. cap. 28. Ite, inquit, nuntiate fratribus meis, vt eant Galileam. Et Io. cap. 20. nondum ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis. Ascendo ad Patrem meũ, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum. Dominus Cardinalis in cap. patet. q. 3. dicit Christum fuisse nobis fratrem nominis conformitate: Vnde ait; Dicite

fratribus meis. Et allegatur ab Alexādrino dist. 99. c. ecce. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes, dicit. B. Paulus ad Hæb. c. 2. propter quam causam non cō funditur, fratres eos vocare, dicens. Nuntiabo nomen tuum fratribus meis. Et Ioannis c. vltimo exijt sermo iste inter fratres. Et apud Matth. c. 12. cum nuntiasset quidā Christo. Ecce Mater tua, & fratres tui: ipsi respondit; Et qui sunt fratres mei? Extendens autem manum in discipulos suos, dixit. Ecce mater mea, & fratres mei; Quicunq; enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cęlis est, ipse meus frater, & soror, & Mater est. Matth. cap. 5. Multoties legitur hoc fratris prænomen inter discipulos; & item c. 18. sufficere possent abundè suprascripta, & de ipso Christo, & de sanctis Euangelijs clara testimonia: quibus euidenter fratrum nomine. ij denotantur, qui affectu, cultuq; simili Deo inherent. Veruntamen alia quoq; his consimilia de Actis Apostolorum: de Beatorum Petri, & Pauli, Ioannis, atq; Iacobi epistolis, adijciemus: postquam, nec ab re quidem, alijs etiam nominibus olim appellatos fuisse Christi fideles præmiserimus.

Primo enim dicti fuere Discipuli. Vnde cæcus à Natiuitate, illuminatus à Domino, dixit Phariseis. Io. c. 9. Nunquid vultis, & vos discipuli eius fieri? cui resultantes dixerunt. Tu discipulus eius sis. Recusaueruntq; prauitate sua fieri. de quibus Io. c. 6. dicit Dominus; Est scriptum in Prophetis. Et erunt omnes docibiles Dei omnis enim, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. De duodecim Discipulis: de septuagintaduobus, & de turba discipulorum sępissimè narratur in Euangelijs, & in Actis Apostolorum cap. 6. q. 13. 19. &c.

Antiochiæ verò primū, vt in eodem actuum libro cap. 11. Discipuli vocati sunt Christiani. De quo nunc prouulgato, tritoq; nomine Christiano B. Petrus in. 1. canonica sua c. 4. dixit. Si exprobramini in nomine Christi,

Beati

Beati eritis. Nemo autem vestrum quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem, vt Christianus, non erubescant: glorificet autem Deum in nomine isto.

Eorundem prӕterea discipulorum Christianorum innocentia, & puritas, nomine sanctitatis declarata est. Quę, vt scribit B. Dionisius Areopagita de diuinis nominibus cap. 12. est (vt secundum nos loquamur) omni scelere libera, perfectaq;, & pęnitus incoinquinata mundicia; ex qua, & ipsi frequenter denominati sunt sancti. Vt in actis Apostolorũ c. 9. ab Anania responsũ fuit Christo. Domine audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Hierusalem. Et B. Paulus eosdem sanctorum nomine appellat sæpius ad Rom. 1. & 8. & 16. ad Cor. 1. c. 6. & 16. in Epistola. 2. cap. 1. cap. 13. ad Ephe. cap. 1. cap. 3. ad Hebr. cap. 13. Salutate omnes Præpositos vestros, & omnes sanctos. B. etiam Petrus in sua. 1. canonica cap. 1. cap. 2.

Deniq; Christi fideles non nunquam etiam Dei filij dicti sunt. Io. 1. quicumq; enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Et Paulus ad Galat. 3. omnes enim filij Dei estis per fidem. B. Ioannes in sua. 1. canonica cap. 3. Videte, inquit, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus. Charissimi nunc filij Dei sumus. & cap. 5. omnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.

Quod verò fratrum nomen retinuerint Christi fideles, vt supra ex Euangelijs, & ex Apostolorum actis, & ex canonicis Epistolis comprobatum est; Innumerabilia sunt etiam huiusmedi libris inserta diuinis, vt scribit B. Hieronymus contra Eluidium. Sed ne longum faciam, ad extremam, inquit, diuisionis partem reuertar, idest. & affectu fratres dici: quæ fraternitas in spirituali, & commune, scinditur. In spirituali, quoniam omnes Christiani vocan-

vocantur fratres,vt ſupra: In commune autem, quia omnes homines in communi ex vno Patre nati, pari germanitate coniunguntur. Dicite,ait,his,qui oderunt vos; fratres noſtri eſtis; & plura his ſimilia: Hæc ille. Vidimus itaq; modò perſpicuis noui maximè teſtamenti teſtimonijs,eos olim,qui Domino Ieſu Chriſto fide adherebant, præter fidelium, ſiue credentium nomen, alijs quinque nominibus fuiſſe appellatos: videlicet Diſcipulos: Chriſtianos: ſanctos Dei filios: & fratres: quorum profectò nominum voces, rerum, quæ ipſis inerant credentibus, proprietatem repreſentabant. Primum namq; illorum, quod fuit nomen Diſcipulorum: Salutaris doctrinæ Euangelicæ ſtudium ineſſe ipſis oſtendebat. Secundum nomen,quod eſt Chriſtianorum,imitationem Chriſti ſignificabat. Tertium,quod eſt ſanctorum, puritatem eximiam ipſorum demonſtrabat. Quartum, quod eſt Dei filiorum, eos Diuinæ conſortes naturę effectos præſignabat. Quintum nomen,quod eſt fratrum, alijs ſemper nominibus fuit concomitatum. Quia hoc vno nomine, ſiue agnomine,ſiue cognomine,ſiue pręnomine:omnes prædictorum ſignificationes, ac proprietates comprehenduntur. Exprimitur enim ipſo fraternitatis nomine,& qualitatis, ſimilitudinis, conformitatisq; ad inuicem à Summo Patre luminum gratia diuina, ex vno diffuſa principio. Quę diuiſibilem plurimorum hominum multitudinē ad ſe ipſos inuicem coniungit:atq; ad vnum,eiuſdem diuinæ paternitatis initium,reducit: & vera charitate (quod eſt vinculum perfectionis) aſtringit,vt omnes vnum ſint, quemadmodum pro talibus Dominus Ieſus Chriſtus Io. cap.17.rogauit. Vt omnes vnum ſint,inquit, ſicut & nos vnum ſumus. Ego in eis,& tu in me, vt ſint conſumati in vnum. & cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos,ſicut & me dilexiſti,vt dilectio, qua me dilexiſti, in ipſis ſit, & ego in ipſis. Hoc totum expreſsè in Actis Apoſt.

Apost. cap. 2. nouimus complectum: Sicut ibi scriptum est: Quando omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones, & substantias vendebant; & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat; Quotidie quoq; perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Deus autem augebat; qui salui fiebant quotidie in id ipsum. & cap. 4. Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: &c. Vt patet per omnes Actus Apostolicos. Ecce quanta cum Dei, & hominum gratia, sanctæ fraternitatis vnitas inter Apostolos, virosq; Apostolicos retenta, & obseruata fuit: & ad posteros, qui rebus proprijs abrenuntiantes, eorum vestigia sequuti, Deo se se deuouerunt, fratrum nomen cum religiosæ fraternitatis successione pertransijt. Adstipulatur his septimus florius Tertullianus, qui multa scripsit circa. 160. vt ex libro eius de Mongamia constat, gratiæ per Christum, & nostræ salutis annum. Christianos enim vocat fratres, eorundem temporum sequutus morem. Vt ex primo eius aduersus Marcionem libro patet: Vbi ait, Compositionem hanc quoq; nondum exemplarijs suffectam, fraude tunc fratris, dehinc apostatæ, amisi. Hic, vt notat B. Rhenanus, fratrem vocat Christianum. Et de corona militis in principio ita scribit. Adhibetur, quidã illic magis Dei miles, cæteris constantior fratribus, hoc est Christianis eodem Beato teste. Idem in tertio ad vxorem libro. Quis enim sinat coniugem suam visitandorum fratrum gratia vicatim aliena quidem pauperiora quæq; tuguria circuire? Fratrum dixit, idest Christianorum. Item. Iam verò alicui fratrum ad osculum conuenire, si & peregrè frater adueniat; idest Christianus; & alia id genus testimonia multa probãt omnes Christianos ad illud

vsq;

vsq; tempus esse fratres appellatos. Quod idem Tertullianus in Appollogetico aduersus gentes cap. 39. euidentius asserit, ac defendit, dicens. Sed quòd fratres nos vocamus, non alias, opinor, insaniunt, quàm quòd apud ipsos omne sanguinis nomen de affectatione simulatum est. Fratres etiam vestri sumus iure naturæ matris vnius: Etsi parum homines vos, quia mali fratres; at quantò dignius fratres dicuntur, & habentur, qui vnum patrem Deum agnoscunt: qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem, ad vnam lucem expirauerunt veritatis? Sed fortassè minus legittimi existimamur: quia nulla de nostra fraternitate Tragedia exclamat. Vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem. Itaq; qui animo, animaq; miscemur; nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, præter vxores. In illo loco consortium soluimus, &c. hæc ille. Verum posteaquam familiari substantia particulatim cæpit vsurpari, discretaq; proprietate possideri à Christianis, quæ sua sunt, quærentibus: ad laxioremq; viuendi licentiã defluxere: Fratrum quoq; nomen apud eos paulatim cępit obsolescere: & Christiano tantum nomine, quod titulum gratiæ, & salutis habent, satisq; etiam num decoris esse contenti. Fratrum verò nomen illis reliquerunt, faciliuè quodam confirmationis modo concesserunt, qui diuino se se cultui, & sua omnia communibus fratrum vsibus dicarunt: qui indiuiduum substantiæ consortium tenuerunt: & ad diuinæ Monadis vnitatem aspirauerunt. Quorum propositum, sanctissimumq; institutum: Et consumata vitæ, virtutumq; exempla antiqui omnes canonici vtcumq; secuti, cum vera fraternitatis communione, fratrũ nomen celebre, sanctum, gratiosumq; nunquam abominati sunt. Illud enim ad gloriam magnam nominibus suis proprijs, quo velut splendore gauderent, humilitatis suæ

tene-

tenebras illustrari, vertentes in prænomen, rationabili semper dignitate preposuerunt, constantiq; proposito voluerunt, fratrum prenomine pio, sancto, celebri, atq; antiquo humiliter in Christi charitate gloriari. Retinuerunt semper idcircò Canonici Saluatoris antiquam fraternitatis originem veram, & nominis fratrum decorem à Domino Iesu Christo, ac sanctis Apostolis, eorumq; successoribus, quos fratres appellatos nouerant. Neq; enim credendum est id propriè, ac per se competere canonicorũ dignitati, vt Domni dicantur cæteros inter quosq; religiosos, vt somniarunt non nulli, quòd sunt cæteris omnibus, & ordinatione priores Clerici, & Congregatione longè nobiliores. Nec conuenire Canonicis regularibus vocari fratres, quòd sit hoc prænomen nimis humile, & Ordini tanto depressum. Nihil vtiq; nobilius eo titulo, seu prenomine dijudicamus, quod à Christo indutum suis Apostolis fuit, & inter fideles primitiuæ Ecclesiæ vsurpatum ad hæc vsq; tempore sub omni obseruantia custoditum. Nonne in armatis quoq; militibus Rhodiensibus, qui eos primariæ Ecclesiæ fideles in laicalibus vestimentis, Cruce tantum pectore insigniti, representant, & in illis Cōpostellanis de Spata id nominis perseuerat? quid plura? nō ne Pōtifices Maximi cōpellant adhuc, & scribũt Cardinales suos fratres? D. Augustinus in suo speculo, seu Regula, ac itē Canonicis sermonibus cōclericos suos certè nusquam Domnos, sed fratres passim compellat; & quia, inquit, hoc disponebam esse in monasterio cum fratribus. & ibidem. Tunc cæpi boni propositi fratres colligere. Idem in regula sepius: Nullibi autem fuisse in monasterio nisi cum fratribus; nullibi alios. quàm fratres, collegisse innuit; Et ideò nusquam conuenientius, quam inter claustrales, prænomen hoc vsurpantur inuicem omnes secundum regulam D. Augustini Regulares; & in primis, qui sub eiusdem Christi Saluatoris titulo: sub eiusdem Pa

tris

tris Augustini institutis in Monasterio boni propositi fratres collecti sunt. De quibus Vates ille regius cecinit. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Quo sanè titulo quid honorabilius, quid antiquius inuenies, quid vè sanctius? Noluit tamen, inquit Augustinus super Ioannem, dicere Sanctos meos, seruos meos, postremò honorabilius fratres meos; & de Christo loquitur. Quid item hoc dulcius? Quid demũ suauius? Ex quo omnia inter ipsos claustrales adeò cõmunicata præcipiuntur, vt etiã in omnibus animã vnã, & Cor vnũ in Deũ ipse. D. Augustinus in speculo pro sua interpretatione esse voluerit? Christi Saluatoris secutus sentẽtiã, & denominationẽ, dicentis apud Discipulos. Omnes enim vos fratres estis. Fratris nempè hoc nomen similitudinem quandam, & charitatis mutuæ communionem inter plures arguit, vt supra; ex Actis Apostolorum 2 & 4 declaratũ est. Pro quo non erubescebat (vt notat Cassianus de Institutis renuntiantium lib.4 cap.5.) diues pauperibus, idest corpori fraternitatis æquari; & quibus communicari Christus, & quorum se fratrem non erubuit, vt diximus, nuncupari. De quo etiam Lactantius lib.5. Diuinarum Institutionum cap.16. Nec alia, inquit, causa est, cur nobis inuicem fratrum nomen impertiamur, nisi quia pares nos esse credimus. Hoc prænomine compellantur singuli regulares, vt videre est in Bullis, & Decretis Sũmorum Pontificum, & Scripturis antiquorum canonicorum, atq; Monachorum Alexander. IV. eundem titulum Prioris, & fratrum absq; vlla nominis canonicorum memoria, præmitit Priuilegio, quod Canonicis Regularibus antiquis Portuensibus apud Rauenates donauit: sub datum Neapoli Cal. Iun: Anno Salutari MCCLV. Eadem verba, sæpius iterata, legimus Decreto Ottonis 4. Imperatoris, illo Alexandri etiam vetustiore, quod Rauenæ apud eosdem Canonicos emanauit, sub Annum MCCX. prid. Cal. Martij. Antiquio-

iquiores quoq; in eodem Monasterio habentur Petri Damiani Constitutiones,quæ singulis quibusq; capitibus hoc prænomine resperguntur.Gregorius IX.eodem principio vtitur Prioris, & Fratrum apud Canonicos Lateranenses, qui per ea tempora erant Regulares : & in tenore Priuilegij eadem verba repetit.Sub datum Laterani Anno primo pontificatus sui. Transformatis verò ibidem regularibus in seculares,Bonifatius VIII.& Posteriores nusquam eodem titulo apud eos vsi reperiuntur: Sed Capitulo,& Canonicis Lateranensis Ecclesiæ.Cógregatio enim regularium appellatur Conuentus , & non Capitulum. Quod notatur per Alexandrinum dist.58.cap.si quis.Vrbanus quoq; Tremetenses sui temporis fratres compellat.Anastasius illos de Calleua.Innocentius eos de Mazialura. Cælestinus II. Abbatem, & fratres nominat Santi Petri Cremonensis. Gregorius XII. Canonicis Frigionarijs, & illis Veronensibus Santi Leonardi de monte Domnico potestatem fecit ex suo Decreto vicissim transeundi in vtrumq; Monasterium, de Priorum ascensu. In quibus præsidentes perinde censerentur,vt ibidem professi.Prioresq; ipsi annui à sui capitulis legerentur . Vbi hæc verba describuntur. Quod omnes, & singuli Canonici, siue fratres eorundem Monasteriorum &c. Decretum autem subscribitur.V.Cal.Maij Pontifi. anno 2.de quo etiam in Annalibus nostris , sub eisdem verbis eiusdem Pontificis pleraq; multa quoq; Priuilegia subnotantur. Sed nec quidem de huius temporis Frigionarijs, quos Gregorius canonicos, siue fratres tam manifestò compellauerit : Verũ antiquorum hoc fuisse prænomen, Priuilegium primum eius Monasterij ante annos.150. ab eo Gregoriano apertissimè innuit, Quo in eius fundatione , & dotatione ad preces fundatoris , Alexander IIII.Eximit ipsos Frigionarios à Collectarum prærationibus:cuius initium huiusmodi Legitur . Alexander Episcopus Seruus Seruorum

Dei

Dei Dilectis filijs Priori,& fratribus Sante Mariæ in Frigionaria. Nec vſpiam Canonici, ſed fratres tantum nominantur. Subſignatur Priuilegium Viterbij. 2. Cal. Maij anno Chriſtiano. 1250. Habemus Benedicti 12. alias conſtitutiones, vbi ſingulos tamen Canonicos, fratres prænominatos legimus. Quarum proceſſus exorditur. Frater Filippus Abbas Monaſterij Santi Petri in Cælo Aureo Papienſis Ordinis Canonicorum Regularium Santi Auguſtini: Et in fine, Frater Gregorius, & Frater Apollonius Canonici eiuſdem Monaſterij interteſtes ſubſignātur. Quod ſi fraternitatem antiqui illi, & Abbas in cap: Deus qui, de vita, & honeſtate Clericorum coniunctus ſocietatem, & eiuſdem fidei, & propoſiti communionem ſolum intelligerent: non autem ſub hoc priuato nomine ſinguli compellarentur: certè, vt parum experti criminarentur huiuſmodi Proceſſuum Sapientiſſimi, & integerrimi Apoſtolici Auctores, quaſi mores, & inſtitutiones huiuſmodi Ordinis antiquas ignorarent. In Conſtitutionibus etiam Petri Damiani, electus nouus Prior Monaſterij, aut Prælatus, publicatur ſub his verbis. Frater. N. iniungunt tibi ex obedientia fratres tui, vt &c. Notantur hæc ibi lib. 1. cap. 7. de Inſtitutione Prioris. Frigdiani autem Canonici Lucenſes Paſchalis. II. à quo Conſtitutiones illæ Damianæ confirmatę ſunt, & poſteriorum Pontificum oſtendunt multa Priuilegia. Nos quoq; Bononiæ in. D. Saluatoris. Innocentij. II: Lucij, II: Eugenij. III. Anaſtaſij, & Adriani. IV. Alexandri, Lucij, & Vrbani. III. ac aliorum non nullorum mox ijs ſuccedentiū, quibus omnibus Ordinis Canonici Canonicæ Sanctiones, ſub eo titulo Prioris & fratrum vbiq; pręnotantur. Poſſem etiam innumeris Notariorum, aliorum vè documentorum exemplis idem aſtruere.

Hæc nomenclatura paſſim obuia eſt in multarum eccleſiarum erectionibus, doctationibus, Priuilegijs, & conſtitutionibus, etiam extra Italiam. Henricus Louanienſis,

Dux

Dux Lotharingiæ, vt refert Molanus in suo de canonicis, Decimam, quam in Parochia Geldoniensi possidebat cõtulit ad communem refectionem fratrum Conuentus Sãcti Petri in Louanio. Actum anno Domini ducentesimo vndecimo supra millesimum; & præcedentis sæculi anno sexagessimo quarto. Simon Grendel præbendam sacerdotalem exexit Altaris Sancti Andreæ: Quam voluit pertinere septem fratribus illius. Traiectensis Ecclesia tot opibus, Prouincijs, Decimis, tributis, & Donis, vsq; ad Caroli V. tempora cumulata, vt non minus visa fuerit regia, quàm Episcopalis esse sedes. Vnde etiam sub Adelboldo Antistite certatim accurrisse memorantur vicini Principes Brãbantiæ, Geldriæ, Hollandiæ, & alij, vt se huius Ecclesiæ clientes, quos vasallos dicunt, recognoscerent. Et tamen inter tot splendores, fratrum nomen, eis vile non fuisse, ex multis donationibus est manifestum. Henricus. III. pro anima Patris sui Conradi Imperatoris, in Ecclesia Sancti Martini sepulti, dedit prædium, quale tenuit in Villa Groninga in comitatu Trente, cum omni eiusdem comitatus districtione, ad vtilitatem fratrum, ipsi Deo incessabiliter seruientium. Otto primus, cum inibi filius eius sub Baldrico Pio studeret, dedit fratribus in duobus monasterijs, videlicet Saluatoris nostri; & Beatissimi confessoris Martini, Deo famulantibus, totum quod in Pago Lalem, & Issa habuit. Datũ in Renin anno 1443. & Regnante Ottone 3. Frethelbaldus bona sua, in Teisterbantia sita, donauit Sancto Martino, partim pro stipendiali vsu fratrum Pontificalis Cathedræ; partim pro fratribus vtriusq; Monasterij. Godebaldus Episcopus Villam Mendeblecl', in Occidentali Frisia sitam, cum appendicijs, vt loquitur, & censu, & circatu, & oblationibus, tradidit fratribus Ecclesiæ Sancti Martini. Huiusmodi autem locutio passim obuia est in antiquis scriptis cæterarum quoq; Ecclesiarum, Leodiensis, Cameracensis,

Tornacensis, Atrebatensis, & Morinensis, Cathedralium Belgij? secundũ historiã Archidiaconi Verdunensis lib. 3. antiq. Belgij, vbi leguntur litteræ ad fratres Verdunensis Ecclesiæ sub Canonica authoritate in domo B. Virginis Deo seruientes. Fraterni ergo amoris, atq; concordiæ viscera, nõ exuamus, ne à numero fratrũ Christi deleamur. Quare apud maiores nostros, vt in vita, sic in nominibus eadẽ fuit semper omniũ canonicorum quarumcunq; Ecclesiarum, etiam cathedralium, humilitas. Sed cur laboro ex antiquis Priuilegijs, & constitutionibus ordinis Canonici plura citare testimonia: cum quod intendimus ex modernis, & recentioribus probare tàm facilè valeamus? non ne Bononiæ in nostro palam Monasterio, simul cum omnibus alijs, quotidie legitur hoc prænomen fratris, dum marmorea Elogia, hunc titulum præseferentia, intuemur, excisa à fratre Francisco Ghislerio, illo in perpetuis vltimo Priore antiquorum canonicorum de Reno, ijs quoq; temporibus conseruata, fratrem nempè incisum suorum more illius antiquissimi Monasterij canonicorum? Notauimus etiam apud Venetos alterum titulũ similem Prioris perpetui fratris Francisci de Gratia in Aede Saluatoris ad Altare D. Andreæ, qui & ipse fuerat per ea tempora Benedicti XII. Scripturæ autem lapidum fides adhibetur. glo. cap. Sanc. 24. q. 2. Nicosienses item nostri, & Lucenses Sancti Angeli in Monte Brancha li id ipsum fratrum prænomen suæ antiquæ institutionis comprobarunt. Frigionarij constitutiones suas, quas nuncupant ordinationes, quibus etiam à primæua suæ Frigionariæ congregationis institutione ad præsentem vsq; diẽ vtuntur, à Venerabili Dono Paulo de Mapheis Veronensi, viro vtiq; sanctissimo, sub Eugenio Papa IV. Rectoratum eiusdem congregationis tum agẽte, editæ, & in tres partes distinctæ, per singula capita passim hoc antiquissimo fratrum consperguntur prænomine. Non deessent mihi

mihi id genus mille testimonia, quę vbiq; passimq; antiquissima recōdūtur, & nouissima quę habētur, quibus sin guli canonici regulares in monasterijs diuersis huiusmodi prænomine notantur: nisi iam scirem me in re attestatissima fuisse, quam oportuerit, longiorem. Concludamus itaq; nomen regularium peculiare antiquissimum, & sub Augustino præsertim militantium, hoc esse fratris prę nomen. Illud verò Domni recens, & secularibus Clericis magis competens.

Fateor ergo quidem Canonicos regulares per se esse Clericos. Illud enim (vt loquar more dialectico) per se esse, vel alicui inesse per se dicitur, sine quo stare in esse suo non potest: Sed canonici regulares sine clericatu, nec rectè esse, nec dici dignè sine clericatu possunt: Ergo clericatus est de substantia, idest de continentia status Cano nicorum Regularium. Quod autem sit de continentia sui status, probatur ex hoc; quòd illa dicuntur de continentia status alicuius, quæ ille, qui in illo esse desiderat, profiteri, & obseruare tenetur: Sed canonici regulares sunt huiusmodi: Ipsi enim tenentur in principio, cum ad Altare veniunt, profiteri se clericos esse velle. Quod autem sit de ipsorum met continentia, vt Domni dicantur potius quā fratres: hoc non inuenio: immò contrarium. Nam in libro Pontificali, vbi scripta sunt omnia, quæ ad ordinandos clericos, & vsq; ad consecrandos Pontifices, & cætera sacra conficienda, instituta sunt. Inter cætera descripta est forma Nouitij, se ad Altare offerre cupientis. In Rubro sic scriptum est. Tunc surgens nouitius legat cartam suam hoc modo. Ego frater N. offerens, trado me ipsum Deo, & Ecclesię Sanctę Teclæ, & promitto obedientiam secundum canonicam regulam, Domno. N. prętatæ Eccle się Archipresbitero, & successoribus eius, quos sanior pars congregationis canonicè elegerit, & ponit cartam super Altare. Hoc fit in præsentatione Nouitij. Sed & in

professione in Rubro habetur scriptum in eodem libro. Surgant Nouitij, & accepta vnusquisq; carta suæ professionis, primus legat, deinde cæteris per ordinem alta voce, audientibus cunctis, sic. Ego frater. N. promitto stabilitatem in hoc loco in honorem Sanctæ Teclę Martiris constructo & profiteor clericatum, & sanctitatem, & communiter viuendi Societatem, iuxta meum posse secundũ regulam, & constitutiones Beati Augustini, & cęterorum Patrum. Promitto etiam obedientiam Domno Episcopo, cæterisq; fratribus, in hoc loco constitutis. Ex his verbis constat clericos, qui nunc dicuntur seculares, antiquitus fuisse regulares, vt dicebamus, & vt manifestum est in verbo Archipresbitero, & in verbo Episcopo. Constat etiam Canonicos ipsos, videlicet subditos, fratres communiter fuisse vocatos, & solos Episcopos, vel Archipresbiteros titulo Domnorum honoratos. Frater est prænomen quoddam generale. Canonicus est nomen specialem declarans prærogatiuam, atq; dignitatem ipsos inter fratres. Quemadmodum enim in familijs etsi multi sunt fratres, magis tamen dignitatis prænomine vocantur primogeniti, vt potè Domini, Comites, Principes, quàm cæteri: Sic & in Domo Domini, & in religione gradus honorum assignantur, & gratiarum. His quidem superius, illis verò inferius. Canonicus igitur importat antiquiorem ordinationem, primogenituram, & consequenter præcedentiã, atq; status excellentiã, vt inter cæteros religiosos dici videatur posse Dominus. Videtur enim vt qui alterum pcedit tẽpore, pręcedere debeat dignitate, & pręnominis honestatione. Quod notant Doctores super c. quorundã lib. 6. de elec. in verbo pdicatores, & alijs pluribus in locis, vbi de ordine Mẽdicãtiũ agitur. Ex quibus antiquitatẽ generaliter ducunt, seu ab institutione ordinis, seu ab eius approbatione; quã etiã ponderant sub ordine litteræ. Verè autẽ hoc prænomen, frater, est nomẽ communi-

tatis, vnitatis, æqualitatis, charitatis, & societatis; Quale conuenit præcipuè veris, ac perfectis religiosis. Generaliter enim fratres intelliguntur, qui sunt æquales in conditione, succesſione, & dilectione; Et ideò verè fratres dicuntur in vita spirituali, quicumq; sunt eiusdem religionis, cõmunicationis, fidei, & professionis. Tenentur enim verò veri fratres æqualiter diuidere, veraciter diligere, concorditer habitare, atq; conuiuere: Sic verè omnes religiosi inter se debent omnia sua bona per mutuam subuentionem communicare. Debent alter alterum per mutuam affectionem diligere. Debent concorditer conuersari, & per mutuam vnionem, & coniunctionem viuere, iuxta illud Psalmi: Ecce quàm bonum, & quàm iucundũ habitare fratres in vnum. Frater, inquam, est vocabulum charitatis, & amoris mutui, quod à Christo Domino fidelibus suis traditum est. Hoc nomen à Christo, tamquam singulare beneficij sui testimonium, nobis traditũ, quos immensa bonitate æterni Patris sui filios, suosq; confratres, & cohęredes eligere dignatus est, ab ipsis Apostolis, & omnibus fidelibus libentissimè vsurpatum est. Quid enim cõgruentius, quàm homines se mutuò Fratres nuncupare, qui ab vno Deo ad eius imaginem creati, vno pretioso sanguinis pretio redempti, ad vnam hæreditatem, in vno spiritu vocati sunt: Qui vnum se patrem habere fatentur in cęlis, qui hic in vnam societatem, & familiam coeunt, vt postea concorditer regnum ęternum possideant, & ad eam fęlicitatem euehantur, vt sint filij altissimi, conciues Sanctorum, immò cohæredes, & confratres vnigeniti filij Dei?

Non improbo tamen ego simplicem eius prænominis, Domini, vsum, ad significandum vel primis vocibus discrimen vtriusq; ordinis, canonicorum videlicet, ac eorũ, qui vulgò fratres dicuntur, & à Gerardo magno habuerunt initium. Is enim cum Diaconus per Dioecesis Traie-

stensis Vrbes prędicaret, multosq; ad pietatem traheret; Dauentriæ multos habebat studiosos, qui Patrum libros condigno pretio describebant. Ex ijs ad instar veterum canonicorum, qui in communi viuebant, & libentius Clerici, aut fratres, quàm Canonici nominabantur, congregationem instituit, quam, reiecta canonicorum voce, appellauit fratres, & Clericos bonæ voluntatis; Quos ille, vt veteres Clericos, atq; canonicos, in communi, citra professionem, viuere voluit. Fratres etiam vulgò appelantur omnes mendicantes.

Nunc autem, sequentes communem decretorum ordinem antiquum, discutiemus alterius prænominis ethymologiam, cum inde maxima efficacia ducatur, circa rerum ipsarum cognitionem. Nomina namq; debent esse consona rebus. 21. dist. cap. Cleros. 12. q. 1. cap. clericus. 16. q. 1. cap. si cupis. 24. q. 1. cap. Pudenda. Cum alijs allegatis itidem iuribus ciuil. per glo. Viso itaq; de Prænomine fratris, consequenter, ac immediatè de Prænomine Domni, videre oportet.

De Titulo Domnorum. Cap. XIII.

NON equidem noua, sed antiquissima est hæc Domnorum prænominatio. Neq; à Christiana quadam simplicitate præsens Domnorũ titulus irrepsit, illo Dominorum contracto, apud Clericos. Nec ab vna etiam spiritus humilitate, quam maximè profitentur canonici regulares, prouenit; Vt Grammaticorum nonnulli existimant. Verum summa cum prudentia excogitatus est, atq; positus in medium. Cum enim facilè in titulis varietas nascatur. Canonica disciplina libentius honoratos apud se viros, Domnos, quàm Dominos dicere voluit, multiplici

ratione. De antiquitate huius prænominis, Domni, refert Eusebius Conradus Mediolanensis Canonicus regularis, Romæ se legisse in antiquissimo saxo, apud Sanctū Adrianum, tale memoriale. Salus Domnis nostris Honorio, & Theodosio victoriosissimis Principibus; Secretarium amplissimi Senatus, quod vir Illustris Flauianus instituerat, & fatalis ignis absumpserat. Antiquos item, pro Domino, sæpe Domnum dixisse, testatur festus Pompeius. Ex historia quoq; inuentionis corporis Sancti Protomartyris Stephani, consuetudinem hanc nominandi clericos, propter ordinis sui sacri dignitatem, cœpisse Apostolorū tempore nouimus; Etenim à Gamaliele, legis præceptore, Domnus Stephanus ibidem vocatur. Domnus, inquit Papias, quia dominatur creaturæ cunctæ, opinor, quod à Domate græco deriuetur, quod significat latinè tectum. In tectis enim publicè legebatur, quia plana erant. Vnde illud Saluatoris, quod in aure auditis, prædicate super tecta. De solo autem Papa, primo, & eximio ordinis clericorum, antiqui fideles nomen hoc intelligebant, addito propter reuerentiam, Apostolico. Vnde in Litanijs dicitur. Vt Domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conseruare digneris: te rogamus audi nos. In antiquis etiam Summorum Pontificum Priuilegijs, quibus copiosa est inter cæteros religiosos nostra Sancti Saluatoris Congregatio, in fine post Datam, dicitur. Pontificatus verò Domni Honorij Papæ II. Domni Innocentij: Domni Lucij; Domni Gregorij: Et similium vbiq; legitur. Translatum postea fuit etiam ad minores Præsules: Et demum per D. Benedictum ad suos Abbates, qui etiam Nonos appellari iussit seniores Monachos; quod intelligitur, inquit, paterna reuerentia. Sic Papias. Nonos vocamus maiores ob reuerentiam: Nam intelligitur paterna reuerentia. Sunt qui scribunt Nomnos, & Nomnas, & dicunt vocabulum Aegyptiacum. Non di-

ſpliceret, ſi deriuatum magis diceretur à Nomos, græcè, quod legem, & præfecturam ſignificat. Hoc igitur verbũ Dominum ſincopatum tenemus, dicentes Domnum. Vtebantur autem principio hoc Domno Chriſti fideles, iugiterq; vtuntur canonici Regulares, primum quidem, quia de ſolo Deo in ſcripturis ſanctis Dominum dici attendunt. Et in Hymno Angelico, qui in ſacris Liturgiæ Miſterijs canitur, legunt. Tu ſolus Dominus. Itaq;, reuerentiæ cauſa, titulum purum, atq; integrum, ſcilicet Dominum, ſoli Diuinæ Maieſtati relinquunt: Hominibus autẽ qua vis dignitate, virtute, atq; poteſtate præfulgentibus iſtum corruptum, ſcilicet Domnum, ſatis, ſuperq; eſſe iudicant; Nec enim dominantem in terris abſolutè reperies neminẽ, ſed reſtrictum in multis miſerijs, & paucorũ annorum tempore dominiũ quoduis poſſidentem. Quod etſi Monarchia huius orbis foret, vix vmbra eſſe poteſt eius dominij, quod Altiſſimus habet. Vnde verſus. Cęleſtem, Dominum: terreſtrem dicito Domnum. Turpe igitur ſibi eſſe nouerunt canonici, ſi affectarent vocari Domini.

Integrum prætera, hoc nomen Dominũ, ſciunt quoq; apud Gentiles reges, Auguſtosq; Imperatores fuiſſe odioſum, ita vt Domini titulum nonnullos eorum prorſus recuſaſſe conſtet. Scribit enim Suetonius de Octauiano cap. 53. Domini appellationem, vti maledictum, & opprobriũ ſemper exhorruiſſe: Et de Tiberio cap. 28. qui Dominus appellatus à quodam, denuntiauit, ne ſe amplius contumeliæ cauſa nominaret. Alexander quoq; ſeuerus, Aelio Lampridio teſte, cum Auguſtum nomen recepiſſet, Dominum ſe appellari vetuit. Quem vtiq; titulum ipſos refugiſſe arbitror, non tàm quòd eum Deo peculiarem remanere vellent; quàm quòd humana conſideratione, gratius eſſe intelligerent nomen pietatis, quàm poteſtatis. Ideò Benefici potius, vel Patres Patriæ dici, & haberi optarunt.

tarunt. Quid plura? & Summus Pontifex se non Dominũ vocat, sed seruum Dei seruorum. Quantò magis igitur Canonici regulares, etsi Domini dicuntur, & sunt, non tamen in hoc sibi nomine complacere debent; ne in illud Apostoli impingant idest Pet. 5. Non dominantes in cleris? Homines Domini sunt, sed carnales, qui alium Dominum habent in Cęlis, qui est Rex Regũ, & Dominus Dominantiũ, & dominatur vitæ nostræ, vt inquit Ecclesiasticus cap. 23. Cuius tàm perfectũ, cęleste, ac diuinum est Dominium, vt eius consideratione, Principes huius terrę, reges, Imperatores, Monarchæ non digni sint, qui Domicelli, Reguli, aut Domni, idest minores Domini dicantur, quòd diuini illius dominij ad terrenum, infiniti ad finitũ nulla sit proportio. Vt mirum non sit Basiliũ, Ambrosiũ, Hilarium, aliosq; veteres Patres probare Spiritum Sanctum, ex eo quod sit Dominus, esse Deum.

De hoc titulo habes in synodalibus epistolis antiquis: quem, vt dicebamus, D. Benedictus retulit etiam ad suos Abbates in regula cap. 63. in quantum, opinor, repræsentant Altissimum Dominũ, à quo omnis potestas, & dominatio in cęlo, & in terra. Dicerentur autem ipsi Domni idest dependentes, non absolutè dominantes. Vel etiam, quoniã sub hoc titulo peteretur ab eis benedictio in matutinalibus lectionibus, cum dicitur Iube Domne benedicere. Quia verò, & ipsi Abbates, cũ legere velint, benedictionem petunt sub eodem titulo à seniore, licet neq; Abbas, neq; senior sub id temporis essent in sacris promoti, hinc factum est, vt & senioribus ipsis eundem titulũ attribui voluerit. Hinc tractum etiã crediderim, vt, eadem benedictione petita, semper sub eodem titulo, & Laici meri inter se, & Moniales ipsæ, quando simul hæc Diuina persoluunt. alteri alteros non aliter benedicant. Quæ benedictio in illis tunc Abbatibus, vbiq; dum benedicerent suos monachos, erat simplex, non sacerdotalis, sed iurisdictionis

nis tantum,& regiminis; vt colligitur ex Dialogo D.Gregorij,& ex Collationibus, & Vitis sanctorū Patrum. Et perinde valebat, vt ea,quæ impenditur quotidie à parentibus erga filios. Ibi etiam D. Benedictus iubet Priores suos nominatim compellare iuniores fratres ; & iuniores vocare suos Priores Nonos , vt supra proximè præmisimus. Domnos per sincopā D.Benedictus voluit compellari suos monachos,siue natu,siue in monastica professione maiores,veluti Dominos; quasi erubuerit hoc nomine eos expressè denominari. Qui quoniā Laici erant laicale hoc nomen illis etiam primus vsurpauit: Ad reuerentiam scilicet,& ad obedientiam,non autem ad superbiā. Abbas verò appellatur Dominus,& Abbas.cap.63.Eusebius de temporibus scribit,sub olimpiade 260. quendā, in Antiochena Ecclesia ordinatū Episcopū,nomine Domnum. Et de altero Domno scribit D. Hieronymus de viris Illustribus in Serapione Antiocheno Episcopo. A quibus ausim affirmare(nisi aliter quis probauerit) in Dei Ecclesiā hoc nomen , vti pleraq; alia irrepsisse , vt à Sacerdotibus , etiā sub eo , benedictio petatur. Sic enim minores Monachi honorabant seniores,vt dictum est; Et ab his quidem senioribus huiusmodi simplices benedictiones expetebantur , vti etiam nunc fit in persolutione diuinorū inter fraternales Laicorū societates . Cum etiā nomen illud peruestigarem , Nonum , neminem in hunc diem reperi,qui mihi satisfaceret,qui diceret , neq; Latinum esse,neq; græcum. Sciebam (attestante Gregorio) D. Benedictum , spretis mundanis scientijs, Eremum petijsse : videbamq; toto ex contextu litteræ id esse verum, vt patet in Regula,in qua nullum studium ipsarum colligitur: Sed morum conuersionis tantum,& sanctæ conuersationis ad perfectum contineri normam. Cumq; diu laborarem circa originem,& ethimologiam huius nominis, tandem subijt in mentem,etiam in præsentiarum sub hoc

nomi-

nomine vulgari ethruscos familiæ seniorem, Auum, seu Attauum, vna tantum detracta litera', Nonum nominare sincopatim, scilicet vt de illo Domno; materna similiter lingua, Donum sincopari videmus; eadem sublata litera. Nonos igitur, & Donos prius legimus apud Monachos, quàm apud Clericos, citra Antistites. In quo quantum abusus valeat, hinc æstimari potest, cum hoc antiquitus honorarentur Summi Pontifices, & modò in simplices Clericos traductum fuerit, ita vt non solum canonici secu lares, & Plebani, sed etiam qui minima dignitate Ecclesiastica gaudent, eo prænominari ornamento esse putent. Immò putent, & Abbates ipsi regulares, ex quo iam Monachi omnes, etiam Nouitij id sibi vsurpent, quod solum fore Abbatum D. Benedictus decreuerat. Nullibi autem didici canonicos regulares ab eorum primeua institutione appellatos Domnos. In Augustino quidem, & in clericis eius hoc nomen legitur nunquam, quos tamen cano nicos nunc dicimus regulares. In antiquis priuilegijs, aut documentis hoc vel semel saltem insonuit. Non competit ergo ita propriè, & per se canonicis compellari Domnos, vt clerici sint; alias canonici regulares antiqui, nusquam prænomine hoc nuncupati, clerici non fuissent. Monachi dicebantur Domni, etiam quando non erant clerici: An propriè competebat Abbatibus Monachalibus, vt essent clerici? Veruhtamen D. Benedictus hos Do mnos principiò appellauit, atq; appellari mandauit, priusquàm etiam hoc nomen canonicorum regularium inualesceret, quod primum credimus emersisse in D. Gregorio. Sed aduertendum est, Clericos etiam seculares nō vbiq; omninò inuulgari hoc prænomine. Nam in Italia vti Venetijs, Mediolani, & alijs pluribus locis prænominantur Presbiteri, vel Domini, non Domni: Et nihilominus eis magis per se competit esse clericos, quàm monachis Domnos. Non omnes etiam Monachorū ordines, sicuti

ſicuti nec ipſorum canonicorum hoc prenomen præſumpſerunt: Nam & Montoliuetani inter illos, & qui Domini Saluatoris Mundi inter hos, primigenium regulare ſuũ diutius conſeruarunt. Apud Renanos antiquos notaui ego, non tantum Priores, atq; Prepoſitos, vel eos, qui aliqua, vel Archipresbiteratus, vel Rectoratus, & ſimilibus, inſigniti eſſent dignitate, vocatos fuiſſe Domnos, at cæteros quoq; omnes in priuata vita canonicos. Quod in Actibus publicis Notariorum clariſſimè conſtat; Fratres enimuerò communiter prænominabantur. Immò, & Domni, & fratres inſimul compellabantur vel ipſi Priores, ne dum priuati Canonici. Quod ego non errore Notariorum, vel inſcitia ſcribarum, negligentiaq; factum, aut Patrum noſtrorum, qui non valdè multi id temporis erant, incuria, & imprudentia permiſſum, vel vtrorumq; ſimul culpa commiſſum dixerim. Nec quia religioſi tum Mendicantes, præſertim Predicatores, & Minoritæ, qui vocantur, cum centum ferè triginta annos antea à Sãctis Dominico, & Franciſco Auctoribus, ſub Innocentio eius nominis 3. Pontifice Maximo anno ferè à Chriſto nato 220. ſupra milleſimuũ inſtituti, ac ſub inde ab Innocentij ſucceſſore proximo Honorio comprobati fuiſſent, mundum ferè ſub ea tempeſtate repleuerant; Cumq; nulla ordinis dignitate, nulloue honoris titulo præſtarent, quippe qui non honorum modò, ſed rerum etiam humanarum omnium contemptum profiterentur, non contenti, quod cum Clericis religioſis, ſeu canonicis regularibus, nec nõ Monachis ipſis, fratres religionis cauſa, quaſi ab vno omnium Parente Deo progeniti, communi nomine dicerentur, peculiariter quoque fratrum prænomine ſubmiſsionis gratia, appellari voluerunt; cum Canonici contra, & clauſtrales, qui appellantur, bello, peſtilentia, ſchiſmate, inteſtinis diſsidijs, atq; alijs calamitatibus permultis, vna cum dignitatibus, titulisq; ſuis ferè conſumpti eſſent:

Quare

Quare cum florerent illi, & vbiq; crebresceret fratrum aura, deficerent hi, & canonicorum vix vspiam, aut etiam Monachorum nomen exaudiretur, id vsu venerit, vt deinceps, cum in priuatis Colloquijs, consuetudineq; familiari vulgò dicti, tum etiam in publicis actis ab indoctis, ac imperitis Notarijs in scripti fratrum prænomine fuerint, sicuti Mendicantes. Ita alij Religiosi, quicumq; ob eam causam id facile passi fuisse videntur, quòd non satis (vt antea significauimus) intelligerent, aut etiam tum parui penderent canonicæ institutionis rationem; quæ videlicet religiosorum nominum, atq; ordinum confusio illud effecit, vt his quasi tenebris, & caligine obducta diù homines latuerit. Nullam istarum sanè rationum veram nos recognoscimus: Immò contrariam omninò sententiam sustinemus, & quòd pleraq; horum ordinum antiqua Monasteria fratrum prænomen inobseruantię tradiderint, hoc verò Domnorum vsurparint, eam causam inuenimus fuisse, quòd existente diù in Gallijs Apostolica Sede, & schismatibus deinde per diuersa tempora dilaniata: illa canonicorum Monasteria sub Prælatis perpetuis, & Monachorum, ad eam ruinam deuenere, vt illis deficientibus, commendarentur Clericis simpliciter secularibus, seu maioribus Prælatis, qui ne dum regulam, & ritus eorum Monasteriorum Floci penderent: verum etiã, & habitum sũmere perhorescerent: immò solo nomine tum Claustrali offenderentur. Vnde ea detestatio Monasteriorũ sequuta est, vt Canonicis, seu Monachis Monasteriorum huiusmodi Commendatarijs, quasi proditis, indignarentur illis subijci, à quibus pro conductitijs Capellanis, non pro suis fratribus habebantur. Conducebantur autem pro ijs Clerici simpliciter seculares, vbi haberi poterant, ne Populi, vulgatis saltem quotidianis sacrificijs Altaris in illorum Ecclesijs, fraudarentur. Quod si qui veterani ibi vel canonici, vel Monachi remansissent, & hi nihilominus, illis

Cleri-

Clericis permixti, idem stipendium perciperent, cum scirent propterea re ipsa à claustrali districtione defecisse prenomen etiam ipsum claustrale cum horum Clericorũ prænomine, vbi Domni compellabantur, commutarunt, ne quid scilicet ab illis Contubernalibus in re, & nomine hoc discreparent. A quibus in vtriusq; generis plerisq; postea etiam reformatis, nomen ipsum continuauit, vt ex eo saltem, non mendicantes fratres, tum pullulantes omnifariã religionibus, dignoscerentur. adeo quod post nomen fratrum, hoc ipsa ex mendicitate in his factum est. Quamobrem Rainerius, Prior vnus ex Renanis post recuperatam à Commendatarijs Monasterij sui Renani libertatem, quasi nullo amplius Domino extraneo subiecti, sed Domni ipsi, & fratres simul denuò effecti, fratris prænomen potius reassumpsit, quàm illud vsurpatum, Domni; retinueruntq; alij successores eius, tum Priores, tum Canonici, eius dulcedine Prænominis fratrum nimis oblectati. Eisdem infortunijs coacti Canonici ad Monachos refugere, apudq; illos, vt dictum est, non parum temporis conuiuere: quemadmodum in cęteris quibusq; religiosis obseruantijs conformabantur ipsis; ita eodem sub titulo ipsorum prænominari cæperunt; ne conuersationem vllo pacto confundere, dissimilesq;, aut inferiores illis, vel etiam prænominis differentia, viderentur.

Pręterea, si Dominus dicitur qui habet seruos, & mancipia: & serui quidem sic appellati sunt, quòd superati iure belli, possent occidi, sed seruantur Imperatorum cõstitutione lib. 1. Pandectarum de statu hominũ. De verb. sign. lege 239. (non enim à seruiendo nomen habent, vt Domini à dominatione: quod docent Grammatici) inde etiam mancipia, quia manu capta sunt. Clarum est profectò iure belli, neq; Monasterijs, neq; Ecclesijs vllos seruos obtigisse, eo quòd Canonici, & omnes Ecclesiastici cęlestis militiæ castris ita adscripti sunt, vt nihil habeant cũ

ter-

terrena militia commune. Quòd autem Canonici, & cæteri Religiosi multo tempore, multos seruilis conditionis homines in suis familijs possederint, ac possideant; ex pia, & liberali donatione factum esse non ambigimus lib. 2. Concilij Acquisgranensis. cap. 3. in to. 3. Gratianus causa 12. q. 2. Conc. Tolet. 4. ca. 66. ca. 67. Immò Ecclesię motu pietatis emunt, vel redimunt seruos à Barbaris. Gregorius magnus lib. 9. ep. 17. & 18. lib. 3. Epis. 25. & 27. lib. 5. ep. 10. & lib. 2. vita. cap. 46. Amplius non seruos, nec mancipia vocant; Sed pueros, sed familiares, sed oblatos. Surius in vita S. Gerardi. Ad 24. Septembris. Adhuc si Dominus est, qui plerisq; in locis temporalia quædam rerum dominia obtinet, vt agros, & vineas, hortos, & prædia multa possidet, variasq; iurisdictiones, vel per se, vel per suos exercet: equidem Canonicos regulares, cùm nihil proprium habeant, sed omnia in commune, ad nutũq; suorum Prælatorum dispensabilia, clarè patet Dominos non esse, sed propter vsum tantùm Domicellos, atq; Domnos. Quin vel Prælati ipsi hoc titulo Dominorum non videntur digni, quia non sunt propriè Monasteriorũ, Ecclesiarumue Domini, sed Procuratores. 23. q. 7. c. quod autem dicitur. Non sunt illa bona Ecclesiastica, nostra; sed pauperum; quorum procurationem quodammodò gerimus, non proprietatem: & vsufructuarij. Vt de dona. Fraternitatem. Et de peculio Clericorum. Si quis. Competeret id fortè magis sęcularibus Canonicis, qui Prębẽdarum suarum, & redditNuum Ecclesiasticorum Domini sunt. Quamuis enim multæ extent in hac controuersia Doctorum sententiæ: communis tamen iurisconsultorũ, ac Theologorum sententia est, clericos Dominos esse redditNuum Ecclesiasticorum, & grauiter quidem Deum offendere, illis abutentes; non tamen obligare ad restitutionem. Quod à Reuerendissimo Marco Antonio Columna Salernitano Archiepiscopo in lib. vlt. de Ecclesiasticorũ

red-

redditum origine; & ab alijs, operosè, & doctè explicatum est. Sed ab hoc dominio ipsi etiam non honorantur Dominorum titulo, cùm multi sint redditibus, opibusq; ipsis ditiores, qui Domini minimè vocantur: parumq; fit propter diuitias Dominum vocari. Quare vtriq; scilicet Regulares Canonici, atq; sæculares, conuenientius Domni, quàm Domini vocantur. A quibusdam verò Patres dicuntur, honoratiori titulo, quasi Senatores Ecclesiæ. Canonicus, inquit Guilhelmus Episcopus Parisiensis, est nomen officij, operis, militię clericalis: non autem redditum, præbendarum, aut emolumentorum; quæ postea accesserunt. Ab ipsis igitur Canonicis potius satagendũ est, vt serui agnoscantur, quàm Domini; sicut eorum vocatio postulare videtur. Sunt enim vocati in sortem ministerij Ecclesiastici; dicente Christo, Matt. 20. Quicumq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus; sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis. Seruire autem dicuntur, quando non suum temporaneum commodum, sed aliorum spiritualem salutem quærunt. In qua functione, cum se Romanus Pontifex maximè obligatum esse non ignoret, seruum seruorum se vsitatissimo, & notissimo titulo nominat.

Ex dictis autem, vide quisquis es lector, ne in errorem inducaris, credendo, proindè titulo Domini honorandos nequaquam homines mortales fore. Legitur enim sine dubio, quod dictum est, sed & alibi legitur, apud Apostolum ad Ephes. 6. & ad Coll. 3. & 1. Tim. 6. Quicumq; sub iugo serui Dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis seruiant, quia fideles sunt, & dilecti, qui beneficij participes sunt. Hæc doce, & exhortare.

tare. Nec minus clarè idem monet Petrus Apostolorum Princeps in priori Cath. ep. 1. Pet. 2. Etsi enim dicitur, vbi supra; Tu solus Dominus; Tu solus altissimus. Dicitur etiam Leu. 11. 19. 20. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Et similia huiusmodi multa. Ita Apostolus 1. Thimi. 1. dicit. soli Deo honor, & gloria: Rom. 12. postea scribit. Honore inuicem præuenientes. & ad Tess. 1. 2. Vos estis gloria nostra. Sicut ergo Christus; Lucæ. 18. nō negat alios esse aut bonos, aut Patres, aut Magistros, dum dicit, Nemo bonus, nisi solus Deus. Et Matt. 23. Patrem nolite vobis vocare super terram; vnus est enim pater vester, qui in coelis est: Nec vocemini Magistri, quia Magister vester vnus est Christus. Sic etiam prioribus Locutionibus iudicatur, alios à Deo non esse, aut Dominos, aut Sanctos, aut honore, vel gloria dignos. Sed omnia hæc eo tendunt, vt significetur in Deo esse supereminens excellentiæ gradus dominij, sanctitatis, honoris, gloriæ, bonitatis, magisterij, & paterni animi; qua ratione quidem nemo alius dici posit aut Dominus, aut sanctus, aut honore, vel gloria dignus: aut bonus, aut magister, aut etiam Pater. & vt non sit necesse omnia hoc loro explicare. Præterea etiam, sicut apud græcos, Chiros, frequenter honoris vocabulum est; sic apud Latinos vsitatum est, quosdā, non dominij caussa, sed honoris, aut beneuolentiæ gratia vocare Dominos: sicut ad modestiam pertinet, quòd huius, aut illius seruos nos aliquando appellemus. Ita quidē Sarra propter solam maritalem præminentiam Dominum suum appellauit Abraam. Diuus Pater Augustinus Dominos vocauit Madaurenses ep. 42. Tertullianus aduersus gentes in Apologetico, docet quonam modo suū Dominum vocet Imperatorem, idest more communi, & tanquam vicem Dei gerentem. Verùm ad nostrum Domni titulum redeamus. Maximè verò acceptum est vsu in Canonicis hoc Domnorum prænomen, postea quàm

Martinus V. Congregationem Frisonariam nouiter excitauerit anno 4. sui Pontificatus. Non est hoc auté, quod propriè, & per se, vt diximus, competat canonicis regularibus; sed illud profectò summum, vt sint Clerici, & quòd sint communes. Quod abundè declarat D. Thom. contra impugnantes Religionem. Vbi dicit, quòd quamuis Augustinus reuocauerit hoc interdictum, vt nullus Clericus esset, nisi sine proprio viueret; de quo habetur cap. certè 12. q. 1. non reuocauit tamen, quin illi Clerici essent, qui secum sine proprio degerent. Et 22. q. 189. ar. 5. concludit Canonicis regularibus competere per se esse clericos. In cap. licet de Off. Iud. ord. Abbas asserit Clericos in quãtum communes esse propriè clericos. Quando autem homini clericis aut concessum, aut permissum est, quouis intuitu id factum sit, præ cæteris religiosis Domnos vocari, sobriè, ac modestè, vti profectò debent; hoc tanto prænomine, altero priori, & magis Religioso non cõtempto, fratrum scilicet, vt demonstratum est. Quando similiter nostris Canonicis Rhenanis accessit transitio, & vnio Canonicorum S. Ambrosij à Gregorio 12. in Monasterio Illicetano institutorum, ipsi quidem fratrum sibi prænomen sumpserunt, vel ea, quam superius attulimus, ratione, vel à pristina heremitana professione; vndè à Gregorio vocati in ordinem Canonicum fuerant. Fratres prænominabantur Canonici S. Ioannis in Monte in Ciuitate Bononię. Vnde Ioannes Andręas in Prohemio suæ Nouellæ, dum eos Iuris Canonici scriptores commemorat: ex quorum operibus se in illo opere condendo adiutum fuisse fatetur: allegat etiam opus fratris Iacobi Canonici S Ioannis in Monte, qui ad hoc solum laborauit, vt soluere glosarum contraria non soluta. Sub Pio autem eius nominis quarto Pont. Max. rursum quodammodò in lucem prolata, & agnita est Canonicorum regularium dignitas, ac existimatio: & sicuti ordinem canonicum quouis

nis iure præcedere non solum Monacalem; sed quamlibet cæterorum omnium Religiosorum Congregationẽ, per ipsum met Pontificem, vltimò declaratum est: ita etiã titulo, qui videretur, cæteris dignitate superior, id est Domno, Canonicus ordo maximè decoratus est. Quam ob rem nostris etiam patribus anno salutis 1565. ritè magno omnium consensu, lege ternis magnis comicijs perlata, pristinum hoc idem nomen receptum est, vt Domni, sicuti antea semper ab initio, Canonici nostri vocarentur. Quod ipsum iurè efficere potuisse videntur. tũ priuilegiorum auctoritate, quibus omnia sua ternis magnis comicijs instituere, ordinare, redintegrare, ac moderari Canonicæ Reip. nostræ legitimum iam inde ab initio fuit: tũ verò ratione ipsa, propterea quòd nouum nomen non induxerint, sed vetus potius restituerint: & qua ratione dimisso Domnorum prænomine, illud fratrum accepissent, eadem rursus hoc ipso recentiore ab legato priscum illud legitimum, & ab initio comparatum, in vsum reuocarint. Siquidem qua quid fit, eadem ratione licere videtur: neque enim vel Principum priuilegio attributũ, vel Decreto Patrum, aut constitutione Pontificium inditum Canonicis Regularibus, illud est aliquando: sed vel ratione susceptum ab initio, cùm nullis adhuc prænominibus, sed proprijs tantummodò nominibus vterentur, cùm clerici, siue Canonici omnes, tùm verò sacerdotes, atq; adeo Ecclesiasticis dignitatibus prędicti viri quibuscũq; tãquã clericalis, sacerdotalisue dignitatis cõmune quoddã insigne, ac monimentũ: vel cõsuetudine retentũ, ac roboratũ: vel eodẽ modo, ac iure dimissum pro tẽpore, ac repetitũ est Domnorũ pręnomen, vt nihil mirũ videri cuiquã oporteat, si Canonici Patres nostri certo cõsilio, ac ratione intermissũ antea sua sponte iamdudũ vltròquoq; quasi postliminij iurè recepere originis, ac dignitatis suæ pnominationẽ. Propter autẽ duo hęc, de quibus iugiter ptractamus

nomē fratrū scilicet, quòd Patres nostri diù retinuerè, ac propter habitum super indutum, idest scapulare, nonnulli fuere semper, qui nostræ dignitati oblatrarent, in dubiū reuocare volentes essemus, nec ne, veri Canonici, pręcipuè autem anno salutis 1456. congregationis verò 49. sub diem 16. Iunij Calixtus 3. Pont. Max. anno sui Pont. 2. declarauit Congregationem esse verè fundatam sub Canonico habito regulari, & eam potiri priuilegijs, præeminentijs, & gratijs omnibus dicti ordinis. Quæ declaratio tunc necessaria fuit, ex eo quod fratres Prædicatores S. Mariæ Nouellę de Florentia, qui pręcedunt vbiq; cæteros fratres Mendicantes, nitebantur etiam pręcedere canonicos nostros in processionibus, asserentes, eos esse Mēdicantes, & non veros Canonicos, immò fratres esse in Ecclesia Dei nouissimos. Contra quos Dominus Christophorus de Podio I.V.D. Archipresbiter Bononiensis, & Vicarius D. Orlandi de Bonarlis Archiepiscopi Florentini anno Domini 1460. publicauit coram fratre Cipriano Priore S. Mariæ Nouellæ de Florentia Ordinis Prædicatorij infrascriptum dicti Calixti Priuilegium. Notarius fuit Ioannes Sernardi de Legri Florentini Notarius Archiepiscopalis.

Priuilegium Calixti. III.

CALIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Sacrę merita Religionis, sub qua dilecti filij Prior Generalis, & Canonici Congregationis S. Saluatoris, ordinis S. Augustini in humilitate spiritus deuotum, & sedulum exhibent Altissimo famulatū, condignè merentur, vt votis eorum in his, quæ fauoris sunt, & gratiæ Apostolis fauoris præsidium liberaliter impen-

impendamus. Sanè pro parte Prioris, & Canonicorum prædictorum nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd ipsi, quibus ab Apostolica Sede per eius literas, vt omnibus, & singulis priuilegijs, indulgentijs, gratijs, exemptionibus, & libertatibus alijs Canonicis Regularibus dicti ordinis generaliter concessis, & quibus ipsi Canonici Regulares, & eorum loca in genere potiuntur, & gaudẽt: ipsi quoq;, & eorum domus potiri, & gaudere valeant, concessum fore dignoscitur: ex certis eorum animos mouentibus rationabilibus causis cupiunt, se fore veros dicti Ordinis regulares Canonicos per sedem præfatam declarari, & pro talibus in posterum vbiq; censeri. Quare pro parte Prioris, & Canonicorum præfatorum asserentium, quòd ipsi secundum regularia instituta dictorum Canonicorum regularium profitentur, & degunt: ac Rochetum, prout alij Canonici prælibati deferunt: nobis fuit humiliter supplicatum, vt ipsorum voto super hoc opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, Priorem, & Canonicos de Congregatione huiusmodi fuisse, & esse veros Canonicos regulares dicti ordinis, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia tenore præsentium declaramus. Decernentes, quòd ipsi de cætero perpetuis futuris temporibus pro talibus censeri, haberi, & reputari; nec non omnibus & singulis præeminentijs, & in publicis actibus, ac priuilegijs, & gratijs, quibus præfati Canonici regulares ordinis prelibati potiũtur generaliter, & gaudẽt: potiri, & gaudere debeant, vt existentes veri Canonici regulares ordinis prelibati: ac mandantes quorumcumq; locorum Diocesanis, vt eos pro talibus in singulis publicis, & alijs actibus censeri faciant, ac etiam reputari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscumq;. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã nostrę declarationis,

constitutionis, & mandati infringere, vel ei ysu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incar. Dom. 1456. sexto Cal. Iunij Pont. nostri anno 2.

In hoc, vt patet, priuilegio cômẽdatur ꝑcipuè humilitas; Hoc eodem priuilegio, & alio Innocentij VIII. vsi sunt Patres nostri Romæ ad tuendam præcedentiam nostram contra fratres Sancti Clementis Ordinis S. Ambrosij ad nemus. Quò circa emanata est sententia in fauorem nostri à Reuerendissimo D. Dominico de Mangoneselis de Narnia, & Narniensis Ecclesię Canonico, Locumtenente Reuerendissimi in Christo patris, & Domini Iacobi Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopi Arboren. Sanctissimi Domini N. Papę, & eius almę Vrbis Vicarij: Anno à Nat. Domini 1496. Indict. 14. die 23. Mensis Ianuarij. Pôtificatus Sanctissimi in Christo P. & Domini nostri Domini Alexandri Papæ VI. Anno 4. & per Guillielmum Baillon pub. Notarium &c. Similiter contra fratres S. Ceciliæ de Vrbe; Patrum nostrorum, ob quam factũ est, vt parum curarent à principio an Domni, siue fratres nuncuparentur, nisiq; aliquorum importunitate coacti, declarationem præfatam exquisiuisse, apertũ est. Noua simili ex causa Iulius Papa 2. aliud postea eiusdem tenoris priuilegiũ donauit anno Domini 1512.

Priuilegium Iulij. II. Papæ.

IVLIVS Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Inter cæteros in militanti Ecclesia, veluti regina in vestitu de aurato circumdata varietate plantatos ordines, ad dilectos filios Congregationem S. Saluatoris ordinis S. Augustini Canonicorum regularium, qui sub suaui iugo religionis, & regularium institutionum obseruatione sedulum ipsi Saluatori nostro Domino Iesu Christo in humilitate spiritus præbent famulatum; dirigentes nostræ considerationis intuitum, & attendentes, quòd nos, dum Cardinalatus honore fungebamur, Ecclesiam S. Petri ad vincula de Vrbe cùm illi annexa S. Agnetis extra muros dictæ Vrbis de licentia Sedis Apostolicæ eidem Congregationi (cuius protectionem aliquandiu gessimus, & illius profectum salubrem quantum potuimus, procurauimus) concessimus, & multa pro eiusdem Ecclesiæ S. Petri, & ædificiorum eius reparatione, & reædificatione, ac pro commoditate Prioris, & Canonicorum inibi pro tempore diuinis beneplacitis insistentium, etiam postquam ad summi Apostolatus apicem fuimus diuina fauente clementia assumpti, exposuimus, dignum extimamus illi Congregationi, & Canonicis pręfatis, ipsiusq; Congregationis Monasterijs, locis, ac personis concedere, per quæ possint ipso Saluatori eis semper assistente, gratum in eius beneplacitis exibere famulatum. Sanè cùm sicut accepimus aliàs plures immunitates, & priuilegia diuersa, gratiæ, fauores, & indulta spiritualia, & temporalia per diuersos Romanos Pontifices prædecessores nostros præfatæ Congregationi, illiusq; Monasterijs, locis, personis, bonis, & rebus cócessa fuerint

Nos cupientes, vt dictus filius modernus, & pro tempore existens Prior Generalis dictę Congregationis, & Canonici præfati, & eorum curæ commissi, eo potius possint Domino in eius beneplacitis famulari quo cognouerint huiusmodi priuilegia, & immunitates pro illorum subsistentia firmiori, etiam nostræ approbationis robore communiri; ac etiam Prioris Generalis, & Canonicorum, ac Congregationis huiusmodi commoditatibus, & augumẽto, statuiq; prospero, & foelici quantum cum Deo possumus adiuuante salubriter consulere, ipsosq; Generalem Priorem, & Canonicos, ac Congregationis huiusmodi singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & poenis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum; harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes: ac omnia, & singula monasteria tàm dictæ Congregationis, quàm beneficia monasterijs dictæ Congregationis vnita, annexa, incorporata, & possessa, ac quæcumq; alia, & singula priuilegia, gratias, fauores, immunitates, exemptiones, & indulta tàm spiritualia, quàm temporalia eidem Congregationi, ac illius Monasterijs, locis, & personis, sub quibuscumq; tenoribus, & per quoscumq; Romanos Pontifices Imperatores, Reges, Principes, & quoscumq; alios Christi fideles concessa, illorumq; omnium tenores, ac si de verbo ad verbũ præsentibus insererentur, eisdem præsentibus pro expressis habentes motu proprio, nõ ad Prioris Generalis, & Canonicorum præfatorum, vel alicuius alterius pro eis nobis super hoc oblatę petitionis, instantiam; sed de nostra mera liberalitate, & deliberatione, certaq; scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, literas omnes, ordinationes, constitutiones, & consuetudines, quibus ipsa Congregatio regitur, & gubernatur,

tur, ac omnia, & ſingula alia priuilegia, gratias, fauores, immunitates, exemptiones, & indulta huiuſmodi auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & innouamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, atq; omnia, & ſingula inuiolabiliter obſeruari decernimus. Volumusq;, vt quicquid dubij in dictis priuilegijs, ſeu aliquo eorum pro tempore emerſerit, id data verborum ambiguitate, & varia Peritorum interpretatione in fauorem dictæ Congregationis, & locorum particularium eiuſdẽ Interpretari debere; & vbi ipſi in aliquibus redderentur dubbij, ſeu ancipites: ſecundum bonum æquitatem ad fauorem ſalutis animarum ſuarum, illa etiam largiſſimè intelligantur, & interpretentur, non autem ſecundum iuris rigorem, aut Doctorum opiniones, vel ſubtilitates; & cuius vis particularis Monaſterij, ſeu loci; tàm vniti, quàm vniendi, præſentis, & futuri dictæ congregationis priuilegia, conceſsiones, remiſsiones peccatorum; & indulgentiæ, quocumq; nomine nuncupatæ, immunitates, & gratiæ conceſſa, & concedenda tàm per Romanos Pontifices, quàm alios quocumq; Reges, Duces, Baronos, Principes, Dominia, & Communitates in omnibus, & per omnia ipſi toti Congregationi, & alijs etiam particularibus Monaſterijs, eſſe communia, & ad illa extendi, & extendimus per præſentes. Inſuper etiam vltra prædicta priuilegia eidem Congregationi, vt præfertur, conceſſa, hac perpetua, & irrefragabili conſtitutione motu, & ſcientia ſimilibus, ſancimus, quòd omnes, & ſinguli dictæ Congregationis Canonici Ordinem ipſum profeſsi, præſentes, & futuri, quàmuis in diuerſis Monaſterijs, ſiue locis pro tempore maneant, vnum tamen corpus, & vna Congregatio exiſtant: ac ſub vna, eademq; lege atq; obſeruantiæ regularis vnitate, morumq; conformitate eiſdem conſtitutionibus, priuilegijs, ordinationibus, conſuetudinibus, & ſtatutis viuant: Ipſaq; cõgregatio ab Apoſtolica Sede vltra

centum

centum annos instituta, & meritò toties approbata ab vniuersis Christi fidelibus, in reuerentia, & deuotione habeatur: decernentes, vt in omnibus, & singulis praeminentijs, etiam in publicis actibus, ac priuilegijs, & gratijs pro veris Canonicis regularibus ordinis, & congregationis prædictorum habeantur, & reputentur, prout hactenus fuerunt auctoritate Apostolica, & ex certa scientia tenore præsentium habemus, & declaramus. Mandamusq; quorumcumq; locorum Diœcesanis, vt eos pro talibus in dictis singulis, publicis, & alijs actibus censeri faciant, ac etiam reputari. Nos enim eos, & existentes veros, & indubitatos Canonicos regulares ordinis prælibati, quibus à dicta Sede Apostolica scapulare, quod insigne claustralium est, gestandum super Rocheto in præfatæ Congregationis primordijs ex speciali munere, & deuotione donatum extitit omnibus, & singulis præeminentijs, etiã in publicis actibus, ac priuilegijs, & gratijs quibuscumq; alij Canonici potiuntur, & gaudent, potiri, & gaudere censemus, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis 1512. 4. Non. Aprilis, Pont. nostri anno 14.

Priuilegium Sixti. IV.

SIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Benigna clementia Sedis Apostolicæ: quę digna dignis consueuit impendere sic pia loca religione cõspicua: in quibus inuiolata viget obseruantia regularis, feruet charitas, reflorct honestas virtutum plantaria per bonorum operum studia, & pręclara sanctitatis merita iugiter reuiuiscunt: patet hospitalitas gratiosa, & deuotæ laudis frequentia celebrisq; venerationis instantia diuinæ attollitur gloria maiestatis, congruis honoribus,

noribus, & fauoribus prosequitur: quod priuilegia his concessa Apostolico munimine roborata, perpetuò firma, & illibata persistant, ac ipsorum locorum personæ ab omni perturbatione, & oppresione securæ deuotius valeant sub suam contemplationem Creatori omnium reddere famulatum. Sanè pro parte dilectorum filiorũ Prioris Generalis, & Canonicorum Regularium Congregationis Sancti Saluatoris, Ordinis Sancti Augustini, sub regulari obseruantia degentium. Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd quondam Angelus Corrario, tunc Gregorius XII. in sua obedientia de qua Senen. Dioces. existebat, nuncupatus, quandam domum Sancti Saluatoris tunc ordinis fratrum Hæremitarum Sancti Augustini, in Prioratum canonicorum regularium eiusdem Sancti Saluatoris nuncupatum erigens, inter alia eisdem Canonicis pro augumento diuini cultus, paterna dilectione cõcessit motu proprio, & ex eius certa scientia. Voluitq; & ordinauit, quòd prædicti Canonici, & eorum pro tempore successores, essent Sedi Apostolicę immediatè subiecti, & omnibus priuilegijs, gratijs, exemptionibus, & libertatibus eis hactenus, ac ordini fratrum Hæremitarũ, prædicatorũ, & Canonicis regularibus huiusmodi, ac monasterijs, & locis eorum, tam per sedem præfatam, quam alios quoscumque concessis, gaudere valerent. Et per bonę memoriæ Antonium Episcopum Bonon. ipsius Gregorij Camerarium, ac Gabrielem electum Senen. Thęsaurarium, & Ioannem electum Ragusin. certas constitutiones, & ordinationes faciendas, ratas, & firmas habens illas motu simili cum decreto irritatem approbauit.

Postmodum verò fęlicis recordationis Martinus Papa Quintus, prædecessor noster, attendens Canonicos prædictos singularis deuotionis claritate fulgere, eorumdem foelicem statum incrementis salubribus protegendo, præmissa, ac omnia in dictis litteris contenta, pro expresi

habens

habens, ac defectus, si qui interuenissent, supplens ex certa eius scientia etiam confirmauit: & eos: qui tunc erant Priores, & Canonicos dictæ congregationis, & eorundẽ bona præsentia, & futura ab omni superioritate, quorumcunq; secularium, vel regularium Iudicum, & officiorum exemit, & poenitus liberauit, & sub Beati Petri, & Sedis Apostolicæ protectione suscepit, & immediatè voluit subiacere; ac etiam eidem Antonio Camerario, vt constitutiones, reformationes, & innotiones, immutationes, & errectiones ad vitam, & normam dictorum Cononicorum secundum Deum conseruandam, ederet, & faceret oraculo viuæ vocis commisit, eius super hoc conscientiam onerando, & sub sequenter idem Antonius inter alia statuit, quòd duæ partes cuiuslibet Capituli Generalis per dictos canonicos regulares, futuris temporibus celebrandi, addere, diminuere constitutiones prædictas, easq; corrigere, mutare, & declarare, ac de nouo instituere possent, pro ipsius duabus partibus cuiuslibet capituli Generalis videretur ad diuinum honorem, & religionis augumentum: & dictorum canonicorum profectum expedire, & deinde pro parte ipsorum canonicorum piæ memoriæ Calisto Papæ 3. etiam prædecessori, exposito quod ipsi canonici, ex certis eorum animos rationabilibus mouentibus causis cupiebant, se veros dicti ordinis canonicos fore, & ita in singulis ipsorum locis, & Prioratibus, & in quibuscumq; actibus, tam publicis, quàm priuatis haberi, & reputari, & tales per sedem prædictam declarari, præfatus Calixtus prędecessor noster ipsorum canonicorum in ea parte supplicationibus inclinatus, præfatos canonicos, veros canonicos regulares, & tales vbique censeri declarauit, & mandauit, & canonicorum regularium prædictorum priuilegijs immunitatibus concesis ex certa scientia de cætero gaudere voluit. Et succesiuè fęlicis recordationis Paulus Papa 2. Immediatè prædecessor noster

ſter conſeruatione fœlicis regiminis Congregationis,& Canonicorum prædictorum priuilegijs, & conſtitutionibus canonicorum prædictorum litteris, inde ſuper minimè expeditis,robur Apoſtolicæ Sedis adiecit: & deinde per alias ſuas litteras ordinationes ipſorum in capitulis generalibus factas ſuper electione Prioris,& Viſitatorum ſeu deffinitorum dictæ Congregationis confirmauit pro quibus quidem ordinationibus prouidetur quod Prior Generalis, aut duo vel tres ex viſitatoribus præfatis; & alij viſitatores ſimul ad libitum dicti Generalis, aut omnes ſimul, vel ſeparatim, pro vt eidem generali ſecundũ ingruentiam negotiorum viſum fuerit expedire,cum ea, quam ipſe Generalis concedere eiſdem,tàm coniunctim, quam diuiſim voluit,facultate,monaſteria viſitare teneãtur. priuilegia, & indulta dictæ congregationis conceſſa decernendo, quo ad alia in ſuo robore permanſura; pro vt de prædictis,& alijs in prædictorum ipſorum prędeceſſorum litteris plenius continetur, nobis fuit humiliter ſupplicatum,vt conſtitutionibus,reformationibus, innouationibus, immutationibus, correctionibus, & ſingulis litteris prædictis, ac in eis contentis, quibuſcumque pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ Sedis adijcere,aliasq; in præmiſsis oportunè prouidere,de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati,Conſtitutiones,reformationes,innouationes,immutationes,correctiones,ac ſingulas litteras prædictas,& in eis contenta,ac inde ſecuta quomodocunq; auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium,ea certa ſcientia approbamus,plenumq; robur,ac vim,& vigorem obtinuiſſe,& obtinere decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus ordinationibusq; Apoſtolicis, ac omnibus illis,quæ ſinguli prædeceſſores prædicti, in præfatis corũ litteris non obſtare voluerunt, cœterisq; contrarijs quibuſcunque: Et inſuper ipſis Priori,& Canonicis, quòd de

de coetero omnibus, & singulis priuilegijs, immunitatibus, fauoribus, indultis, & gratijs spiritualibus, & temporalibus per nos, vel prædictos, aut quoscunq; alios prędecessores nostros Romanos Pontifices, vel alios quomodo libet, sęu sedem prædictam, præfato ordini Canonicorũ Regularium Sancti Augustini, & fratribus Hæremitarum ac Congregationi Lateranensi, & alijs etiam eiusdem ordinis, membris, & illorum personis, monasterijs, & locis in genere concessis, & pro tempore concedendi in omnibus, & per omnia, ac si dictæ Congtegationi nominatim concessa forent, potiri, & gaudere valeant. Hęc non etiam quod priuilegia gratię, & indulta spiritualia, & temporalia vni ex monasterijs seu Prioratibus dictæ Congregationis per eandem sedem, vel alios quoscunque concessa, & in posterum concedenda, omnibus membris, & locis eiusdem Congregationis concessa intelligantur, ac communia existant, & opitulentur eadem auctoritate indulgemus: Nec non constitutiones in tribus ipsorum Capitulis generalibus successiuè factas, approbamus, & confirmamus, supplentes omnes defectus, si qui interuenerint in eisdem: Nec non ipsi Priori, & Canonicis, vt illas etiam quoscumq; alias adiectiones constitutiones, etiam per dictum Antonium factas, & in futurum per Congregationẽ ipsam in generalibus Capitulis, pro tempore celebrandis, perpetuis futuris temporibus faciendas, modificare, innouare, corrigere, emendare, suspendere, & in totum, si eis expedire videbitur tollere possint, auctoritate præfata concedimus, & quę perfectionem dictæ congregationis concernunt, & diuini cultus augumentum, ac si per sedem prædictam confirmatæ forent, valere, & plenum robur obtinere decernimus: quodq; etiam Prior Generalis, aut visitatores, nunquam soli, vel singuli visitent tenore præsentium statuimus, irritũq; & innane decernimus, si secus super his per quoscunque, quauis auctoritate,

scien-

ſcienter vel ignoranter contingerit attentari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, conſtitutionis, conceſsionis, confirmationis, ſuppletionis, decreti, & ſtatuti infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum, Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem Anno incarnationis dominicæ Milleſimo quadragenteſimo ſeptuageſimo tertio: quintodecimo Calendis Iunij: Pontificatus noſtri anno ſecundo.

5 Ab humilitate ſimiliter commendantur in Priuilegio Iulij noſtri Patres; qui, & ſi non Domni, ſed fratres maluerunt aliquandiu prænominari; attamen veros, atq; indubitatos Canonicos eos, & fuiſſe, & eſſe, & futuros declarauit Summus Pontifex Iulius huius nominis 2. Præterea ex ſcapulari maximè illos oſtendit celebres, quod eo fuerint à Summo Pontifice Gregorio 12. Speciali ex munere decorati. Donum autem, quod eſt à Summo Pontifice, quis, niſi omninò imprudens, temerarius, vel ingratus, probro dare audeat? An Iulius, Calixtus, & cęteri à Gregorio Magno Pontifices omnes, quia potius ſeruos ſeruorum Dei ſe vocarunt, quàm Domnos, Pontifices non fuerunt? Quia ſimiliter ijdem Almucias induerunt, quas nec Petrus primus in hac Sede Vicarius, nec Clemens, nec Linus, nec plerią; alij ex proximis eorum ſucceſſoribus nũquam geſtarunt; ideo Summi Pontifices non fuerunt? Ita quidem nec Patres noſtri deſierunt vnquàm eſſe Canonici Regulares veri, quandocunq; in Spiritu Sanctę humilitatis, atq; charitatis, quæ ſunt virtutes præcipuę Chriſtianæ Religionis, atq; omnium virtutum fundamenta, & baſes malunt fratres prænominari, quàm Domni; & cum cęteris omnibus religioſis habitu quodam communicari. Reſcipiſcant igitur, & tandem calumnijs ſuis finem imponant,

nant, quidam nostræ dignitatis immduli. Sinant Canonicos primogenitos Domini Saluatoris, qui nulli omninò sunt infesti; qui in humili loco spontè discũbunt, sua pace, suaq; humilitate, sua inquam charitate sub silentio perfrui. Et hæc de titulo Domnorum satis: nunc de dignitatibus. Hunc titulum, & ordinem consequentibus.

De dignitatibus Ordinis Canonici. Cap. XIV.

POST prærogatiuam tituli Domnorum, quę maximè deberi Canonicis regularibus demonstratum est à nobis; non ab re quidem nunc immediatè subnectimus considerationem de ipsorummet dignitatibus Ecclesiasticis in vniuersali. Habent igitur Canonici Regulares sui ordinis dignitates omnes gradus Cathedrales, vt vel à principio significatum est. Omnes enim Antistites Ecclesiarum ipsi constituerunt, ordinauerunt, atq; per vniuersum distribuerunt, Patriarchas, primates, Archiepiscopos, Episcopos, Archidiaconos, Decanos, Archipræsbiteros, Prothonotarios, Abbates, Præpositos, Priores. Nimirum cùm, & Sanctissimi Pontifices Maximi cum suis Clericis sub persecutionibus in Chriptis, vel Speluncis Latitantes, & post in sacro sancta Lateranensi Ecclesia etiam regijs infulis coronati cum suis Cardinalibus à principio vsq; ad extrema quasi tempora huius ordinis fuerint: quorum triumhpis vndecunq; cælestis Curia extra omnem catalogi numerum propterea redundat, vel sanguine, vel sacerdotio, vel vtroq; longè corruscantium, & in Patriarchatu Alexandrino, & Ierosolimitano, & Aquileiensi, & in plerisq; Metropolitanis Orientalibus, & Occidentalibus Ecclesijs vbiq; terrarum quamdiù partes illæ apud

Chri-

Christianos fuerũt. Ioãnes de Nigraualle Sedis Apostolicæ Bibliotecarius in sua Cronica, quæ dicitur Epilogus Cronicarũ numerat quinquaginta, & quatuor Pontifices maximos ex hoc ordine à Formoso citrà, qui fuit anno 891. electus Pontifex; numerat autem ex quo tempore nomen hoc Ordinis Canonici Regularis inualuit. Antea enimuerò nomina Regularium non audiebantur, vt præmisimus. Verum multò plures extiterunt ante formosũ. Secundum Speculatorem omnes primitiuæ Ecclesiæ Sũmi Pontifices fuerunt Clerici regulares: Petrus inquam, Linus, Clemens, & cæteri successores; vt expresè patet per textum clem. 12. q. 1. cap. Dilectissimis; vbi ostendit omnes Clericos primitiuæ Ecclesiæ fuisse regulares. Nam in fine illius Capituli ostendit quomodo regulis Apostolicis parebant omnes; ergo erant regulares. Et sic Patriarchæ, Episcopi, & Archiepiscopi successiuè vixerunt regulariter, vota paupertatis emittentes, quia in cõmuni viuebant ad Vrbanum vsq; Papam inclusiuè; vt habetur 12. q. 1 cap. Scimus. Vbi expresè demonstrat quomodo vniuersus Clerus regularis erat, & vota emittebat, sicut nunc faciunt Clerici regulares; Item in cap. duo 12. q. 1. dicit Hieronymus, quod Clerici debent habere omnia communia. Quod autem Apostoli vota emiserint, licèt supra declaratum aliquo modo fuerit; attamen pluribus alijs rationibus arguitur à Doctoribus: primo D. Aug. rationem summè probabilem adducit, volens, quòd aliquis non fuerit, ita intelligens doctrinam euangelicã, sicut intellexerunt Apostoli, qui fuerunt conuiuantes cũ ipso Christo: nec adeo quisquam perfectè impleuerit perfectionem euangelicam, sicut ipsi fecere lumine diuino illustrati, atq; accensi. Potest idem confirmari per verba D. Pauli dicentis de se ipso, & de alijs Apostolis. Nos, qui primitias spiritus accepimus. quasi dicat sicuti nos Apostoli primos gradus cõmunicationis Spiritus Sancti

accepimus,ita ex consequenti maiora,& perfectiora opera sumus operati, quàm fuerint reliqui omnes sancti, videlicet Benedictus, Basilius, Augustinus, Hieronymus, Franciscus, Dominicus, &c.Deduci hoc idem potest per illud communiter quæsitum, & disputatum; An scilicet Patriarchis, & Prophetis, cęterisq; ante Christi Aduentum, vel post Apostolos sanctis, maior copia spiritus sancti data fuerit, quàm ipsis Apostolis. Quocircà breuiter conclusum fuit, neminem vnquam nec Abraam, nec Dauid, nec Benedictum, nec Paulum primum Hæremitam, vel Antonium, vel Dominicum, aut Franciscum tantam spiritus sancti habuisse copiam,nec adeò perfectè,atq; regulariter, sicut Apostolos vixisse Pet. de Pal. in 4. in ead. dis.tenet quoque ipse omnes Apostolos tria vota, sicut nos religiosos,emisisse; quia omnes erant verè Clerici regulares, quod & nos dicebamus à principio cum ante nominum distinctionem illam re ipse pro sui nominis diffinitione idem professi essent, & regulares cap. Clericus 12. q.1. cum omnibus, quæ tunc sugessimus in §. 18. Regulares,& altero §.expressius. Num eos sæculares potius,à quibus hæc Decreta regularitatis manarunt,an regulares appellabimus? Sed hoc longius prosequi nimis ociosum est in re presertim tam manifesta. Et si non desunt qui contendant hunc ordinem in Augustino assumpsisse principium.quod quàm malè contendant,hinc saltē argumentari potest, quòd nusquàm apud Augustinum nec de hoc ordine Canonico, nec de Canonicis, nec de Regularibus legunt; quæ vtiq; nomina sicuti ante Augustinum, ita tempore Augustini,& post Augustinum per annos multos etiam super centum,ne dum fuere innata,sed neq; concepta. Erupere scilicet nonnulla sub Gregorio,vt dictum fuit sususupra. Veruntamen ijdem qui contendunt hoc attestantur Augustinum cum suis Clericis fuisse Canonicum regularem. Qua pro attestatione euacuatur illa consequentia

Alexan-

Alexandrini, quod licet in primitiua Ecclesia Clerici essent communiter viuentes:non erant ob id regulares;quia non erat in vsu tale nomen: Etenim Augustinus cum suis clericis fuit de illis communiter viuentibus, & quorum tempore non erat in vsu huiusmodi nomen; attamen ab omnibus appellantur Canonici regulares. Sed nec Augustinus aliam Regulam in sua reformatione dedit, nisi Apostolicam, quam seruauit ipse cum suis Clericis;de qua super attigimus non pauca. Nec dedit habitum, quem p robauimus testimonio Hieronymi fuisse ante Augustinum: & multo minus professionem; de qua etiam apertissimè supra disseruimus. ex quo nihil habent quod somniant isti pro initio huius ordinis in Augustino. Asserit Ioannes de Nigraualle præfatus, omnes Pontifices antiquos, & modernos accipere pro habitu Camisiam Romanam in signum eius antiquæ professionis Canonicæ,qua olim constabat vniuersa Ecclesia in Chatedralibus: quod profectò in maximis Pontificibus verificatur:Nã inferiores Pontifices,qui fuerint prius in aliquo ordine professi,prçterquàm in Canonico, non possunt eam accipere. Primus Beatus Syluester cum suis Clericis, quos prius secum habuerat, latitans sub persecutionibus Ecclesiam Lateranensem erexit, triplici Diademate (vt fertur) à Costantino Flauio mox coronatus. Inter cuius Ecclesiæ Clericos paulò post adnumeratus est Hieronymus. Nec longè post Gelasius Afer Valerij Episcopi Hypponensis filius (fuit autem Valerius natura Græcus) qui promouit Augustinum in Præsbiterum, & inde in successorem suum: à quo Augustinus Præsbiter factus, accepit Hortum,vbi fabricauit Monasterium Clericorum. Gelasius autem Clericus inde venit Romam, fugiens fortasse, vt dicebamus, persecutionem illam Vuandalicã,sub qua obdormuit Augustiuus ipse.Marcellinus de temporibus scribit post Fęlicem.III.secundùm Platinam,& ad sensum Panuini.II. fuisse coronatum Gela

sium Afrum. Fœlicis verò tempore factam stragem illam Africanam sub Hunnerico Vuandalorum Rege, in qua diffugatis, exulatisq; plusquam trecentis triginta quatuor Ortodoxorum Episcopis, Ecclesijsq; ipsorum clauis, plebs fidelium varijs subacta suplicijs, beatum agonem consumauerunt: hæc Marcellinus. Gelasius ergo profugus & ipse fortassis ex eo turbine, Romæ tum Clericus apud Lateranum seruiebat, quando in Pontificem Maximum anno Domini CCCCXCII. die XI. Martij fuit sublimatus. Ecclesia verò Lateranensis ex Canonicis regularibus ad sæculares venit per Bonifacium VIII. anno Domini MCCXCIIII. in vigilia Natiuitatis Dominicæ Papam creatum. Cuius Ecclesiæ regularitatis antea legi ego per plura Pontificum antiquorum priuilegia. Et inter alia (vt nouissima referam) Gregorij. VIIII. sub datum Laterani anno suo primo. 1127. in quo nominatim sunt Prior, & fratres; hæc duo nomina, quæ nusquàm deinceps leguntur in sæcularibus. quibus, cum scribitur, dicitur Capitulo, & Canonicis. Nam Prior, & Fratres in Regularibus tantum vbiq; leges, præsertim apud antiquos. Eugenius quoq; IV. qui fuit creatus Papa anno Domini MCCCCXXXI. die III. Martij in sua reformatione, antiquam eius Ecclesiæ regularitatem recenset anno suo. XV. Seculum autem secundum pro Clericis regularibus hac in Ecclesia fuit infra annum M. & MC. quo Eduense Concilium, & subindè Turonense cauit pro illis. Ne quisquam scilicet eorum, posset ad Monachos transire, quamdiù sui ordinis Ecclesiam inuenire posset. Et qui transisset, reuocaretur, essetq; perpetuò vltimus in Choro sub memoriali Cucula cap. nullus. &c. mandamus. 19. q. 3. His namq; temporibus floruere huius Ordinis reformatores illi, de quibus in superiori dicebamus. Benedictus Papa XII. in Constitutionibus suis cap. de reliquijs, inquit: Deniq; soliciti sint Antistites, Abbates, Præpositi, Priores Religionis præfatæ. & sub nomine An-

ne Antistitum intelligit omnes gradus Cathedrales vsq; inclusiuè ad Pontificem Maximum.

Patriarchæ, & Primates idem sunt dis.80.cap.1. Iacobus frater Domini fuit primus Primas, vel vt alij dicunt, Archiepiscopus creatus dist. 66. cap. Porrò. Ecclesia autem illius Hierosolimitana Patriarcalis est postea effecta, & ætate quidem cæteris prior, dignitate tamen quatuor alijs Patriarcalibus Romana scilicet, Cõstantinopolitana, Alexãdrina, & Antiochena posterior: In quibus etiã Antiochena antiquior, vltima reddita est: & Alexandrina cessit Cõstantinopolitanę pro secundo loco, nã primũ locũ semper obtinuit Romana dis. 22. cap. Renouãtes, & seq. Hierosolimitanã verò primã Ecclesiã fuisse regularẽ, super satis declaratũ est, cũ ostenderemus, omnes Clericos primitiuę Ecclesiæ, vel ipsos Apostolos in abdicatione ꝓpriorũ sub regula vitę communis fuisse professos. Repete quæ super absoluimus ex cap. Dilectissimis. & cap. scimus. 12.q.1.& ex doctrina B. Thomæ, & pet. de Pal. in 1.p §.34. Religiosos, & seq. videlicet 35. expressiùs. Id quod pariter concludendum videtur de Antiochena, cui paulò post primus præsedit Petrus: & subsequenter de Romana, ad quam idem translatus fuit, consecrato Egnatio in superiori dis. 22. cap. sacrosancta. Argumentum huius regularitatis pro his Ecclesijs in re; quamuis hoc nomen tunc non esset, est dictum cap. Clementis. Dilectiss. qui fuit discipulus Petri, & eius successor, scribentis ad Conclericos suos Hierosolimitanos, & Iacobo eorumdem ibi Antistiti, de quo mox super; & recensentis commune sodalitium in ea Ecclesia Hierosol. sub vita communi, & abdicatione propriorum, quod & illis mandat perpetuò obseruandum, atq; conseruandum. Est nec non huius rei potissima ratio d. cap. scimus: & cap. Videntes ead. 9. sed maximè huc quadrat cap. cum beatissimus. 24.q.1. vbi dicitur, quòd Marcus Euang. Alexandrinam fundauit Ecclesiam eisdem regulis, & tra-

ditionibus, quibus Petrus Romanam. Quadrat & illud B. Thom. pro sententia Hieronymi, modum perfectioni congruum fuisse apud primos credentes in Iudæa sub Apostolis, & apud Aegiptum sub Marco Euang. vt 3. rd. §. 34. ac Religiosos; ex quibus clarè elicitur, has quatuor antiquiores Ecclesias Patriarcales fuisse nedum Regulares, sed regularissimas, à quibus reliquæ regularitatem sumpserunt. Arg. cap. quia. 12. q. 1. De Aquileiensi Patriarchali, ad quam primum D. Marcus ordinauit Hermacoram, Hieronymus hanc fidem ad historiam temporum facit. Aquileienses Clericos sua etiam ætate haberi quasi Chorum beatorum. Nec mirum cum Hermacoroas ordinatus non potuerit aliud tradere, quàm quod suo ab Ordinatore susceperat d. c. cùm beatissimus.

Sunt tamen qui sentiunt Marcum ipsum fundasse, ac instituisse ipsam Patriarchalem, in eaq; ordinatione, seu institutione præsentes ibi ordinasse Hermacoram: Nam Petrus Damiani scriptum ita reliquit. Marcus ex Alexandria Venetias, Deo disponente, est transuectus, vt qui totum Orientem, velut aureus Lucifer, illustrauerat; nunc per plagas Occidui Climatis præsentiæ suæ radijs eniteścat, per Aegiptum quippè sibi dedicat ortum, per Venetias tenet occasum. Illic Alexandriæ sortitus est Ecclesiæ solium; hic renascentis Aquileiæ nouum statum Principatum: erant. n. tunc Aquileia, cum scriberet Damianus, dirupta à solo ex iterata sæpenumero Barbarorum incursione; qui dum prædæ Italicæ hiniarent, hanc veluti Italiæ ostium, quo excludi videbantur, subruendam duxere.

Archiepiscopos. Primũ Archiepiscopum diximus modò super, creatum fuisse Iacobum minorem Domini fratrem; & hunc Archiepiscopatum suum Patriarchalem fuisse regularem. In Archiepiscopatu Mediolanensi Ioannes And. scribit suo tempore fuisse Canonicos regulares. Clem. 1. de elec. legimus B. Arnulphum, siuè Ruphum reformasse

formasse Archiepiscopatum Lugdunensem Regularem & Auinionensem in Gallijs, & alias innumeras Ecclesias Cathedrales,& Abatiales, ac etiam huius ordinis inferiores. Nec infælicius laborauit in Italia, vbi etiam in pluribus monasterijs Canonicis, illius adhuc Constitutiones seruantur. Auinionensem autem Archiepiscopatum nostris ferè diebus ad sæculares deuenisse cognoscimus ab Innocentio VIII. Papa creato anno Domini 1484. die 19. Augusti, instante Iuliano Cardinalis S. Petri ad Vincula qui illius tunc Archiepiscopum gerebat, & qui postea Iulius II. Papa fuit anno Domini MDIII. die prima Nouembris.

Episcopos. Innocentius. III. scripsit Episcopo Acconensi de Canonicis Nazareth, quos innothescit esse professos; ex. de reg. cap. sicut nobis. & in cap. cum super de confessis. Scripsit ad Canonicos Betleemiticos. cap. cum super elect. ex: de causa possess. & proprie: de quibus, & de suis attestatur Iacobus de Vitriaco Canonicus Regularis, qui fuit tunc Episcopus ille Acconensis, & tempore Innocentij III Legatus in Ierusalem, Cathedrales esse, & Regulares; apud quos D. Hieronymus degit ædificato monasterio, & diuersorio, ne forte, inquit, & modò Ioseph cum Maria in Betleem veniens non inueniat hospitium, scribit ad Pamachium, hîc, dicit, Laudes matutinas fuisse institutas. In Libraria frattum Minorum apud Sepulchrum Domini existentium, est decretum Paschalis Papæ. II. de huiusmodi Canonicis, & Episcopatibus, quos longè antè Vrbanus II. qui anno Domini MLXXXVIII. die XII. Martij Papa creatus fuit, ad regularem eiusdem ordinis obseruantiam reduxerat, vt patet ex literis plumbeis, & apostolicis; & ex. de reg. c. sicut nobis. dicitur qualiter Canonici Betleemitici, & Nazaretenses emittebant professionem secundum D. Patris Augustini, & dabant habitum lineum, qui est propriè habitus regularis Canonicorum, vt supra ostensum

est. & tex. locum illum vocat Canonicam. Et nota, quòd ibi glosa vtitur verbo Profiteri sub verbo Monachari; quòd largè sumitur, cum tamen ibidem obseruaretur Canonica professio, vt patet ex antiquis bullis ibidem in Archiuijs reconditis. Refert idem Iacobus de duabus Ecclesijs regularibus Montis Syon, altera in cænaculo superiùs, & altera inferiùs. Refert & de illa in Caluarib apud dominicum Sepulchrum; facit.n. vnum opusculum de omnibus Ecclesijs earum Iudææ partium, quæ adhuc suo tempore sub illis primis Apostolorum institutis regulares perseuerabant. Nec ommittit Ioppem, & duas in monte Oliueti. Garro politanum Episcopatum legimus regularem ex. de Vo.& Vo.red. cap. per tuas. Idem de Aromatensi. de reg. cap. sanè. vbi notatur in glo. circa transitum de Canonicis ad Monachos; & è contra pro laxiori, aut districtiori vita, quæ pro tempore semper consideranda est. Pet. Damiani inuit suo tempore reformatam Ecclesiam Bessuntinam fuisse in Epis: quam scribit ad eius Episcopum Belluacensem, & Carnotensium Ecclesias refert Vincentius historiographus lib. 26. cap. 51. reformatas à B. Iuone. In Cathedrali Vigoriensi Canonici regulares eligebant suum Episcopum cap. innotuit de elec.: habes idem de Episc. Eugubino, & Tiplenarte, seu Castellano in Vmbria in Ducatu Spoletano, cum alijs innumeris in Italia.

Decanos. De his mentio est primùm apud D. Benedictum cap. 21. & Decani dicuntur, quod denis essent præpositi; & apud D. Augustinum. in lib. 1. de Moribus Ecclesiæ cap. 31. contra Maniclæos: & apud Ioannem Cassianum in lib. 4. de institutis cænobiorum cap. 7. instituti sunt autem ad exemplum Decanorum, quos Moyses ex consilio Iethro Sacerdotis constituit. Inter Canonicos verò vnicuiq; collegio quantumcunq; numeroso, vnicus Decanus constituitur, qui ab omnibus Capituli caput agnoscitur; & curam animarum habet tàm Canonicorum, quam inferioris Ec-

ris Ecclesiæ suæ Cleri. Vide Conc. Lat. sub Alex. III. habitum cap. 3. Conc. Trid, sess. 24. cap. 12. reform.

Archipræsbiteros, lib. 1. Decretal. tit. 25. antiquitus erant Archipræsbiteri S. R. E. qui nunc sunt, & dicuntur Præsbiteri Cardinales.

Archidiaconos. In constitutionibus Benedicti. XII. de Archid. legitur ex titulo 23. lib. 1. Decretal. qui est de officio Archidiaconi. Conc. Trid: sess. 24. cap. 12. vide Greg. lib. 2. ep. 14. 15. 16. Gratianus dis. 25. & in cap. præterea. ex. de præb. fit mentio de Archidiacono Ecclesiæ Tolosanæ, qui erat regulariter professus; & glo. declarat ibi de regulari canonico, qui potest fieri Archidiaconus in Ecclesijs Cathedralibus: & D. Lambertus de Fagnanis Bonon. qui postea fuit anno Domini MCXXIV. Honorius Papa. II. dum esset Canonicus regularis S. Mariæ de Rheno, fuit simul etiam Archidiaconus Ecclesiæ Episcopalis Boniæ. Apud Belgas Leodiensis Ecclesia propter amplitudinem suam septem habet Archidiaconatus, & ex ea, dignitate meruit habere, ad Summi Pontificatus apicem euectos, tres suos Archidiaconos nempè Stephanum. X. dictum ab alijs. IX. anno Domini MLVII. Vrbanum IV. anno Domini MCCLXI. & Gregorium. X. MCCLXXI. qui inter beatos Belgij numeratur.

Prothonotarios. De his legitur in constitutionibus Benedicti. XII. Sed hoc scio nullum alium Ordinem regularem posse habere Prothonotarios, nisi Canonicum.

Abbates. quod Canonici, etiam Abbbates habere solent, est elegans caput. 37. Parisien. conc. quod habitum est sub Ludouico, & Lotario Imperatoribus. Est autem tale. Decet immò necesse est, vt Abbates Canonicorum attendant ad quid Abbates vocentur. Si Patres spirituales sunt, & filios spirituales Domino gignant; iuxta illud Apost. Secundum Euangelium meum Ego vos genui: meritò Patres appellantur: si verò secùs incesserint, tanto nomine se

indignos

indignos faciunt. Talem Abbatem habuit traiectensis Ecclesia S. Gregorium, cum esset Vicarius S. Bonifacij Archiepiscopi sui, vt apud Hucbaldum, & alios scriptores videre licet: huius Gregorij sanctissimam vitam S. Ludgerus primus Episcopus Monasteriensis descripsit. Quid autem mirum est, Canonicos Traiectenses viros Apostolicos, qui libentissimè, & se fratres vocabant, & ab alijs vocari cupiebant, præfectum suum Gregorium dignari titulo Patrem, aut Abbatem nucupasse? Quid verò amplius? cum in quibusdam Canonicorum Ecclesijs detur Abbas sæcularis Præposito dignior, quales in Episcopio, & Dictione Episcopi Leodiensis duodecim numerantur in Leodiensium cronicis, nempè S. Mariæ, Sanctiq; Lamberti Leodiensis. S. Mariæ, & SS. Harlindis, & Renulæ Eitzensis. S. Mariæ, Sanctiq; Georgij, Sanctæq; Odę Amaniensis. S. Marię, & S. Domitiani Hoyensis. S. Mariæ, Sanctiq; Seueri Meffiensis. S. Mariæ Cennacensis. S. Mariæ, Sanctiq; Hadelini Cellensis. S. Mariæ Namurcensis. S. Marię, Sanctiq; Perpetui Diouantensis. S. Mariæ. Sanctiq; Petri Alnensis. S. Mariæ, Sanctiq; Theodardi Tudiniensis. Sanctæ Mariæ, Sanctiq; Rumoldi Mechliniensis. Hannoniæ Comes Abbas est Ecclesiæ, atq; Canonicæ S. Vualdetrudis in Ciuitate Montensi; & in dicta Ecclesia Comes Balduinus agnomine diues sepultus est; addito Abbatis titulo, vt refert Molanus lib. 2. cap. 5. D. Bernardus ep. 148. scribit Odoni Abbati regularium Clericorum & 149. scribit Abbati Canonicorum Clericorum Trecensium. Ioannes Andr. in cap. innotuit de elec. dicit, quòd Canonici reg. habent Abbates, sicut colligitur, inquit, ex cap. Cumana, in eo. tit. & cap. præced. & c. quanto de off. ord. & c. intelleximus de ęta. & qual. sed habetur Abbatia S. Victoris in Cella Veteri apud Parisium cæleberima; ad cuius Abbatem scribitur cap. cum dilectus de elec. & de rescrip. cap. ex insinuatione. & de testibus; significarunt cuius fuerat Prior Thomas ille, qui exemplo

B. Lauren-

& Laurentij pro illius iuribus, & facultatibus conseruandis martyrio coronatus fuerat in ea Canonica regulari. & ille Vgo doctor celebratissimus nunquam intermoriturus, tempore Innocentij II. qui fuit Canonicus reg. & tunc temporis florebant Cannonici reg. in Ecclesia Lateranensi, vt patet ex priuilegijs dignissimis ibi existentibus eiusdem Innocentij II. Ex item de postul. cap. ex parte fit mentio de Abbate Canonicorum reg. Item de sen. & re iud. cap. cum, & clarè ibi habetur, quòd erat eo loci Abbas Canonicus reg. Et illa Ecclesia Remensis Diæcesis erat: deindè habetur etiam in cap. significasti clem. 11. ex. de homic. quomodò erat Abbas in Canonicis reg. Præterea manifestius habetur hîc in Italia. de Abbatia S. Andreæ Vercelensis, quæ semper fuit Canonicorum reg. cum titulo Abbatiali, & fuit in maxima dignitate. Postremò habetur Abbatia S. Petri ad Aram in ciuitate Neapolitana, quæ semper fuit Canonicorum Regularium cum Abbatiali dignitate. Similiter & de alijs multis dare possemus exempla, sicuti de Abbatia in cælo aureo Papiæ dignissimè fundata à Rege Italiæ. & de Abbate S. Marci in Castellia, qui est Canonicorum regularium, & confert supra ducenta Beneficia canonicis regularibus. Tandem habetur clarissimum hoc in ipsa Beati Patris Augustini Regula, vbi dicit obediendum esse Præposito, & Præsbitero, qui omnium curam gerit, idest Abbati, interpretantur Doctores.

Priores. Obseruandum nouimus in huiusmodi Abbatialibus canonicis Priorem apud Antiquos esse secundam dignitatem post Abbatem cap. cum olim de Priuil. nominantur Priores & Canonici S. Crucis in cap. Dilecti de Iudi. Prior & Clerici de Giisebergensi extra de Elec. cap. in causis apud Ecclesiam Tolosanam, quam semper regularium Canonicorum à primariæ sui institutione fuisse constat, fit mentio de Priore, & saniore parte Capituli. & ex regist. Inno: III.

Præpo-

Præpositos. Præpositus est secunda dignitas apud Priorem. De Prioribus, & Præpositis vbiq; legis tum apud Veteres, tum apud Recentiores, & nunc maior pars Monasteriorum huiusmodi Canonicorum sunt in vsu sub his Prioribus & Præpositis in Aquisgranensi Concilio sub Ludouico Augusto editi sunt duo capita, quę prorsus veterem Pręposìtorum statum illustrant cap. 138. Concilium Coloniense anni 1549. Innocentius III. tit. de Clerico excomunicato, Decano, & Priori Coloniensi scribit. & Geodebaldus Episcopus Traiectensis iuxta commune consilium, inquit, Prioratus mei: Itẽ vnanimi assensu Prioratus. Præpositum tamen legis etiam post Episcopum in Cathedralibus Regularibus, vt in sermone D. Augustini de communi vita Clericorum. & in Reg. Priorem quoq; post Episcopum legimus in Ecclesia Eugubina, dum adhuc Regularis perseueraret. Factę sunt quoq; in aliquibus Ecclesijs Regularibus primæ dignitates Præpositi, quæ adhuc continuant, & de quibus habetur in Constitutionibus Benedicti. 12. Per Præpositum in Ecclesijs Clericorum primò significabatur Episcopus. Vnde apud Ciprianum Epistola 4. legitur. Quantum perniciosa res est ad sequentium lapsum ruina Præpositi. In tantum contra vtile est, & salutare, cum se Episcopus per firmamentum fidei Fratribus præbet imitandum. Quæ vox apud Ciprianum in multis Epistolis frequentissima est pro Episcopo. Et similiter vsitata est à Tertulliano in Lib. ad Maryres. Et sic interpretatur illud Pauli Heb: 13. Obedite Præpositis vestris. Apud Renanos Canonicos prima dignitas post Priorem, erat Præpositus; Quia. n. propter molem occupationum Episcopi vel Prioris, frequenter ab Ecclesia Cathedrali, siue à monasterio, & à Canonicis suis abesse cogebantur; ideò ab Episcopo in Clero suo, & à Priore in collegio suo vnus constituebatur, qui eo absente, Præpositi nomen & officium gerebat. De Præpositi auctoritate, pręter id quod nomen ipsum indicat,

dicat. multa leguntur in corpore iuris Canonici in Reg. Benedicti 12. cap. 65. in Concilio Aquisgra: cap. 138. & 139. In Moguntiacensi Synodo, & alibi aliquando Magister, aliquando Minister dicitur. Vt plurimum est dignitas ipsa principalis apud Canonica Collegia. Patet igitur ex his Canonicos reg. habere omnes dignitates, & gradus Cathedrales.

De Insignibus Ecclesijs Regularibus Cap XV.

VT autem clariùs appareat de supradictis dignitatibus apud Canonicos reg. nunc per tabulam ad modum ipsius Ioannis de Nigraualle in suo libello, qui dicitur Epilogus Cronicorum ep. 13. cap. 18. subnectimus Ecclesias principales, in quibus floruere, ac suas vnicuiq; regno, & prouinciæ secundum scriptores antiquos, assignabimus. Ex Cathedralibus itaq; digniores Ecclesiæ, quæ à dictis Canonicis decoratæ leguntur sunt infrascriptæ.

In Iudaa, & Galilaa.

Archiepiscopalis, vel Patriarchalis Hierosolimitana, Betleemitica, & Nazaretana, Metropolitanæ.

In Aegipto.

Patriarchalis Alexandrina.

In Vrbe Roma.

Sancta, & in toto orbe primaria. Ecclesia Lateranensis, quæ est Papalis. Lateranensem Basilicam asserit Raphael Volaterranus annos propè octingentos anteà Canonicos reg. tenuisse: sed & S. Crucis, & S. Marię nouæ Tépla diù possedisse, mosq; fuerat, vt qui Titulis his Cardinales præessent, ex eorum cenobijs profitentes existerent. Idem de S. Praxedis, & Potentianę Titulis nostra priuilegia testantur.

Pentapoli.

Omnes ferè Ecclesiæ ibi regulariter à Canonicis Regu laribus institutæ regebantur: vt in Vita S. Aniani discipuli S. Marci apud Canonicos reg. legitur.

In Galia.

Archiepiscopalis Auinionensis Metrop. Arch. Arelatensis Metrop. Archiep: Zanzaronensis Metrop. Episcopa les verò sunt omnes infrascriptæ: Anicensis, quæ vtitur Pallio, & de qua electus fuit Clemens. IV. in Papam anno Domini MCCLXV. & in suis ordinationibus, & Constitu tionibus Canonicorum reg. sæpè nominat superpellitia il lorum Canonicorum reg. Remensis; Lugdunensis: Vendunensis; Veomagensis; Rothomagensis; Narbonensis; Turonensis; Semensis; Bituricensis; Gugonensis; Ambianensis; Magalonensis; Pictauiensis; Gratianopolitanus in Delphinatu; Stirpensis; Auxitana; Albiensis; de hac refert Petrus Rebuffus in Praxi beneficiorum tit: de erec. Eccle. in Cathedralem sæcularem, vel in alium statum nu. VIII. cum tamen omnes ferè Ecclesiæ Regni Franciæ id temporis essent regulares; quia tunc feruor deuotionis magnus aderat. Sed refrigescente capite, membra etiam frigida fiunt: Vndè factum est, vt pauca Monasteria huius Ordinis in Gallijs nunc inueniantur; & religionis ferè Zelus extinguatur. Vormaciensis; dè qua fuit Burcardus vir ille doctissimus. Parisiensis Canonica S. Victoris est celeberrima; de qua plurimi prodiere viri literis & sanctitate cōspicui: vt in 2. lib. huius Voluminis declarabitur, cùm de pluribus huius ordinis reformationibus tractabitur.

In Hispania.

Episcopales, quæ fuerunt Canonicorum reg. ibi Eccle siæ, sunt: Hieronensis; Monstensis; Vlixiponensis; de qua fu it S. Antonius posteà Patauinus nuncupatus: Carthaginen sis; Iuliensis, Cordubensis; Cariolamensis; Syracusana; Ara gonensis, Hispalensis; Callarogensis; Barchinonensis; Vti-

censis;

tensis; præter has habemus celebres Canonicas, vt Roncesuallensem, de qua Martinus Azpilcueta Nauarrus Doctor in iure Canonico famosissimus, Monasterium S. Petri Cordubensis; de quo fuit Hugo de Tollieto doctrina, & sanctitate per celebris. Toleti Agaliense cænobium in Suburbio; de quo fuit S. Illefonsus, siuè Alphonsus doctor egregius genere ex prima nobilitate Toleti ortus; & S. Eugenio Archiepiscopo Toletano consanguinitate coniunctus: D. Isidori Hispalensis Episcopi Discipulus primùm Abbas præfati Cænobij constitutus: & vita functo Eugenio, à Clero, & populo Toletano inuitus Præsul creatus, floruit circa annum Domini DCXXX. & hæc ex fratre Alphonso Orozco in Cronicis B. Augustini, & suorum Heremitarum.

In Regno Castellæ

Episcopalis Oxomensis, de qua sub Didaco Episcopò fuerunt instituti Canonici reg: qui & fecit B. Dominicum Canonicũ suũ, & ibi velut singulare Iubar emicuit, de virtute in virtutem mira celeritate progrediens, plusquam triginta annis; vt refert auctor Roseti fol. 25. col. 4.

In Regno Nauaræ.

Pampalonẽsis Metropolitana, de qua fuit Martinus de Arles, & Andosilla Theologus celebris, & Pampalonensis Cathedralis Archidiaconus.

In Aragonia.

Archiepiscopalis Tarraconensis Metrop. Archiep. Cesaraugustana Metropolitana.

In Germania.

Archiepiscopalis Salseburgensis Metrop. Episcopales Vllonensis; Brudensis; Bituricensis; Meuiensis; Bergensis; Bingensis; Serragonensis; Pictauiensis; Treuirensis; Madeburgensis; Basiliensis; Argentinensis; Maguntinensis.

In Burgundia.

Tarrantasiensis Metrop. Carnutensis Episcopalis, de

qua

qua fuit B.Iuo Episcopus,& Cardinalis magnus Reformator huius Ordinis.

In Alemania.

Brandeburgensis Archiepiscopalis.

In Scotia.

Archiepiscopalis S. Andrææ Metropolitana.

In Vasconia.

Tolosana Ecclesia Metrop: Tarmensis.

In comitatu Veneisino.

Episcopalis Vraniensis Ecclesia.

In Cathelonia.

Episcopales Gerundensis,& Dertusensis Ecclesiæ.

In Prouincia Prouincia.

Episcopales Dragoniensis,& Seueranensis Ecclesiæ.

In Anglia.

Omnes iam erant Ecclesiæ regularium Canonicorum Cathedrales,vt in Anglicanis historijs patet.

In Britannia.

Erat percelebris Cincillacensis Canonica;in qua floruit B.Albinus Confessor, & Episcopus in prouincia Venetorum natus,& Canonicus reg.

In Augustana ciuitate.

Venerabilis Canonica fuit B.Vrsi,in qua floruit B.Bernardus Conf.& Can.reg.& in Metropolitana Cæsaraugustana floruit Magister Martinus Garzias, postea Episcopus Barchinonensis vir doctissimus. In eadem S. Saluatoris Metropolitana floruere Mag.Petrus Arbuesius Epilensis Theologus,& hęretice prauitatis Inquisitor à Neophitis ex Iudaismo occisus,& miraculis clarus.Ibidem Mag. Didacus Diest Boleensi Theologus,&Philosophus.

In Vormatia.

In situ Heyne cænobium D.Petri Apost.vbi Rutgerius Venray natione Theutonicus literatissimus claruit anno Domini MCCCCXCIIII.ex Abbate Tritemio.

In Flan-

In Flandria.

Celebres fuere Canonicorum Macinensium, & Morinensium Ecclesiæ.

In Vuestphalia.

Celebres fuerunt Canonici Paderbornenses á Meinulpho Archidiacono instituti.

In Brauantia.

In Sylua Zoricensi iuxta Bruxellas oppidum Cenobium Vallis viridis; vbi Ioannes Rusbrachius Prior Sanctitate, & eruditione clarissimus cælebratur; quem nonnulli alterum Dionysium Areopagitam appellant, cum ingenti gaudio spiritum cælo dignum exhalauit anno à Christo nato MCCCLXXXI. annum verò suum agens 88.

Apud Transiselanos.

Celeberrima Canonicorum reg. domus Vuoideshemij à Florẽtio Gerardi Magni discipulo, & successore fũdata.

In Dictione Traiectensi.

Quinq; Collegia regularium Canonicorum celebrantur; maximè verò in mõte D. Martyris, & Virginis Agnetis propè Zuollam; vbi Thomas de Lzempis natione Theutonicus vir in scripturis diuinis doctissimus, & sanctimonia præclarus floruit sub Gregorio XII·MCCCCX. vt refert Tritemmius. Qui Traiectenses Canonici ab Odulpho instituti dicuntur: sunt & Canonici Vltraiectenses.

Apud Belgas.

Commendantur Canonici reg: Leodienses; Hoxomenses; Verdunenses; Insulenses; Præmonstratenses; Guatinenses ab Odfrido instituti, vel reformati, vt rectius loquamur: Monasteriẽses S. Saluatoris, & S. Ludgerij Cõfessoris.

In Louania.

Fuerunt Canonici reg: admodùm celebres, vt testatur eius Prouinciæ historia.

In cap. innotuit de elec: fit mentio de Synnoniensi Ecclesia Episcopali, & canonica regulari.

In Coimbria.

Sunt valdè famosi Canonici reg:S.Crucis.

Famosa est Vellesiensis Ecclesia, de qua Martinus Perezius ab Ayala ordinis militaris S. Iacobi prius Canonicus reg:postea Episcopus Guidixiensis, deindè Segobiensis, ac tandem Archiepiscopus Valentinus moritur anno Domini MDLXVI.

In Affrica.

Episcopalis Hyponensis Ecclesia;Baianensis; Sebastianensis; Tagastenensis; Adrumentinensis; & aliæ plurimæ Canonicæ ab infidelibus detentæ.

In Tuscia.

Lucana Episcopalis; Perusina; Nursina; Molensis; Narnensis: Beneuentana.

In Vmbria.

Episcopalis Eugubina; Castellana Ecclesiæ. Et vt ommittam breuitatis causa in tota Italia demùm leguntur fuisse Septingenta Monasteria Canonicorum reg. celeberrima, vt Volaterranus, & cæteri Cronistæ scribunt: Sed & hodie pariter in Gallia, alijsq; Regnis, atq, Prouincijs, ac præcipuæ in Hispania,vt testatur L. Io: Trullus,comperiuntur Canonicorum reg.complures Collegiatę,insignes Ecclesiæ, Cathedrales, atq; etiam Metropolitanę: in quibus viri literis,& moribus clarissimi, Prælatorum, Capitulorumq; electione admituntur, sacrumq; Augustini Ordinem alacri vultu ingrediuntur. Solum illud primarium Aug: institutum retinent,& colunt,à cæterarum omnium congregationum institutionibus, & legibus longè alienū, atq; diuersum:nam præter solemne religionis votum, iuxta regulam S. Aug: emissum, nullas habent huius ordinis generales constitutiones:habent quidem ipsorum domus paucula quædam statuta ab eisdem Canonicis condita: non tamen à Sede Apostolica confirmata. Habent item Monasteria Ecclesijs coniuncta,septisq; conclusa. Habent reli-

religioſorum more dormitoria, & refectoria. Deguntq; ſub ſingulis cuiuſq; domus Prælatis aut Priore, aut Præpoſito, aut Abbate. Ab Epiſcopis ferè omnes exempti immediatè gubernationi Summi Pontificis ſubijciuntur. In hunc vſq; diem nullam erectam Congregationem, nulloſq; Viſitatores regulares agnoſcunt. Clericorum veſtibus, & pileis nigris vtuntur, raſura capitis clericali contenti. Inſigne autem regularis ordinis eſt aut tunica, ſiue camiſia linea alba, interiori nigræ, talariq; veſti ſuperaddita, patens tamen, aut certè, & vt plurimum eſt minor veſtis linea alba, quam vulgus Roquetum appellat. Profeſſorum verò ſignum præſtant duæ tenues alę lineæ ab humeris ad brachia pendentes. His alis lineis Nouitij ante profeſſionem carent. Longum itaq; diſcrimen cernitur in hoc Ordine à cæteris omnibus erectis Congregationibus, quia hic illuſtris Ordo cum Collegiatas Cathedraleſq; Eccleſias obtineat, & moderetur, habet dignitates, Archidiaconatus, Officia, Perſonatus aliaq; quamplurima tàm ſimplicia, quam curata beneficia regularia, quæ iuxta Iuris Canonici, & ſacri Conc. Trid. decreta Canonicis reg: ſunt conferenda, ab eiſq; gubernanda; quibus profectò Canonica Hierarchia plurimum decoratur, & illuſtratur. Cæteræ Congregationes tantam Monachorum, ac Fratrum imaginem & ſimilitudinem ſibi aſſumpſerunt, vt iam quibuſdam non tàm Canonici, quàm Monachi videantur. Ob idq; Canonici reg: Italicarum congregationum apud Hiſpanos Monachi iudicantur. Auguſtinus Ticinenſis Canonicus reg: in 4. parte ſui Propugnaculi, refert, ſuo etiam tempore controuerſum fuiſſe, An Lateranenſes Canonici eſſent Canonici regulares. Et de noſtris iam non multò antè ditum eſt, neceſariam fuiſſe, & Calixti, & Iulij II. declarationem; etenim re exactè dijudicata Canonici reg: per Apoſtolicam ſententiam eſſe, fore, ac fuiſſe declarati ſunt: Canonicus enim ordo ex clericatu, & regulari ſtatu

cõstat, qui licet varijs in locis sit reformatus. vnus tamen, atq; idẽ ordo est in spetie in omnibus Canonicis regularibus; in quibus vna, & eadem reperitur professionis, & habitus ratio idest regulæ Augustinianæ professio, & linea toga, quàmuis inter ipsos aliquanta, eaq; accidentaria differentia reperiatur. Quã rem explicat eleganter Iacobus Bergomẽsis in suis Cronicis lib. 14. anno MCCCCVII.

De Canonissis Cap. XVI.

HABET etiam hic Ordo Canonissas, vel Canonicas idest Virgines, ac Mulieres deuotissimas communitèr, atq; regulariter in Claustris strictissimè viuentes, quemadmodum ipsi Canonici reg: Huiusmodi est Monasterium S. Mariæ de Virginibus Venetijs: S. Spiritus Eugubij: S. Petri Mauellini Brixiæ: S. Archangeli Fanensis: S. Laurentij Bononiæ; S. Io: Euangelistæ Lucensis; & quam plurimę aliæ in Italia. Habitum album scilicet Rochetum, aliæ quidem cum scapulari; aliæ simpliciter deferentes Decreto olim ab Alexandro Papa. III. Vidi ego nonnulla earum priuilegia; nempè Gregorij. IX. Innocentij IV. Bonifacij VIII. Ioannis XXII. Eugenij. IV. & Innocentij. VIII. Summorum Pontificum. Teutonia frequentes habet Canonissas. Nonnulli earum nomen, & originem referunt in Ludouici Pij. tempora, inter quos est Gobellinus auctor vitæ S. Mainulphi; de cuius natali tractat Surius Tom. 5. die 5. Octob: Alij autem in anteriora tempora, eòquòd Iustinianus Mulieres Canonicas nominet. Ioannes Nider Ord. Præd: Thæologus, & Conc. Basil. ad Bohemos Legatus in suo de Varietate Religionum M.S. scribit se summam inquisitionem fecisse super sæcularium Canonissarum origine, nec inuenire potuisse, nisi quòd ex prima fundatione fuerint

ſuerint Sanctimoniales, vel Benedicti, vel alterius, exceptis paucis collegijs recenter pro nobilium ſuſtentatione fundatis: quibus tamen verbis ſi Niderus ſignificare voluerit eas, quæ nunc Canoniſſæ dicuntur, olim fuiſſe veri nominis Monacas, quæ tria vota monaſtica ſolemniter profiteri ſoleant, non poſſumus ei hac in parte conſentire, eòquòd animaduertamus apud veteres, ſicut inter Canonicos, & Monacos, ſic etiam inter Monacas, & Canonicus diſcrimen fuiſſe, vt patet in Tom. 3. conciliorum 46. cap. Pariſienſis Concilij. Comperimus, inquit, quoſdam Canonicos, & Monacos poſthabito religionis ſuæ pudore monaſteria ſanctimonialium tàm Monacharum, quàm Canonicarum in conſulto Epiſcopo ſuo imprudenter, atq; irreuerenter adire. Vuolffangus Epiſcopus habebat intra vrbem Ratiſponenſem duo Virginum Monaſteria Inſtituti Canonici. Si autem primas fundationes intueri velimus, ſanè Meinulphus à Carolo Magno de fonte ſuſceptus, cum eſſet Canonicus, & archidiaconus Paderbornẽtis in ſuo Budicenſi Patrimonio conſtruxit Monaſterium, & Eccleſiam; inſtituitq; illic Congregationem Sæcularium, vt vocant, Canonicarum; quarum ordo, ait Gobellinus, in Concilio Prouinciali apud Aquiſgranum recens inſtitutus erat. quam fundationem Ludouicus Imperator ratam habens, ſuo annulo obſignauit. Intelligendus eſt autem ſic Gobellinus, non in eo Concilio Prouinciali tum propriè inſtitutus Canoniſſarum Ordo; ſed tum primum ab eo Concilio, approbatum Ordinem, qui antea fuerat in Dei Eccleſia, aut innouata eius ordinis regula: nam Canonicæ Hiuellenſes, & Audenſes inſtitutionem S. Gertrudis, & Begghe fundatricum ſuarum longè anteriorem oſtendunt, & regulam habuiſſe omninò à S. Benedicti, & quacumq; alia monaſticæ profeſſionis diſtinctam. Has autem clariſſimi nominis Fundatrices cum Pipini primi Brabantiæ Ducis proles fuerint: notum eſt Ludouici Impera-

toris, cuius demùm Pipinus eius nominis tertius Auus fuerit, tempora multum antecessisse. Si Gebertus ad annum 820. huiusmodi Canonissas nominat clericales sanctimoniales: Ex his quidem factæ sunt duæ species; regulares videlicet, & sæculares. De regularibus illud est in 3. Conciliorum Tom. Eugenio. II. & Conc. Rhemensi ascriptum cap. 3. Statuimus, vt sanctimoniales, & Mulieres, quæ Canonicæ nominantur. & irregulariter viuunt, iuxta beatorum, Benedicti, & Augustini regulam; vitam suam in melius corrigant, & emendent, superfluitatemq; vestium, & inhonestatem deserant. Quod si non impleuerint, si qua ipsarum mortua fuerit, christianorum careat sepultura. Proibemus etiã, ne in earumdem collegia, aliqua, nisi quę regulariter fuerit victura, recipiatur. De sæcularibus facit cap. cum ex dilecta de maioritate. & Bonifacius in sexto cap. indemnitatibus; & Clemens. V. in suo opere cap. attendentes sua decreta iam olim tulerunt: & has quidem Romana Sedes tolerat, non tamen earum statum, regulam, aut Canonem approbat.

De præstantia Ordinis Canonici super alios. Cap. XVII.

EX dictis iam satis liquet, Ordinem Canonicũ inter omnes Ecclesiasticos Ordines, siuè Congregationes, primatum, atq; maioritatem obtinere, antiquitate scilicet, doctrina, regimine, nobilitate, atq; sanctorum numerositate: ita Rosetus Doctor Parisiensis lib. de Regione ecclesiastica: Ita Ioannes de Deo eximius Doctor Hispanus lib. de Dispensatione: Ita Ioannes de Nigraualle in suo Cronicarum Epilogo, contestantur.

Antiquitate quidem, quia à Christo, & sub Apostolis est in-

est institutus à B.Marco apud Alexādriā dilatatus; à B.Iacobo Hierosolimis,& Clemēte Pont.Rom.& cæteris apostolicis viris obseruatus; ab Vrbano Papa, & insigni martyre decreto reformatione Zelatus; à sequētibus, vt puta Syluestro, Cipriano, Gelasio, & alijs, confirmatus: D. Hieronymi Epistolis informatus: à D.Aug: restauratus,& regula decoratus; & iussu Gregorij Magni in Occidētis partibus ampliatus;& quia demùm à Canonicis ipsis regularibus cęteri ferè omnes religiosi originem habuerunt. Doctrina verò alios omnes excellit, quia cęleberrimis doctoribus claruit. Regimine superstat cæteris; quia Pōtifices cōplurimi Ecclesiam rexerunt sanctissimè, vt demonstratum est in cap. De dignitatibus ordinis Canonici. Nobilitate præcedit, quia Imperatores, Reges,& Duces maximi hunc ordinem assumpsere. Ioannes Molanus in suo lib. 2. de Canonicis cap. 29. in Sanctæ Leodiēsis Ecclesiæ Laudem plusquàm memorabile refert, vno, eodemq; tempore, cum Innocentius. II. præsente Bernardo Abbate Leodium ingrederetur, resedisse in Clero D. Lamberti Regum filios nouem: Ducum XIV: Comitum XXX: Inferiorum nobilium. VII. Canonicos omnes num. LX: ex quibus non pauci erant sacræ theologiæ Decretorum, aut legum Doctores; inter quos Petrus Cluniacensis Abbas ad Alberonem Episcopum scribens lib.4.ep. 53. Hezelonem, Tezelinum, Algerum, canonicos, magnosq; suo tempore Magistros humilitatis discipulos maximoperè collaudat: sed & Guicciardinus hanc ciuitatem ob tam illustrem,& spectabilē Leodiensis Ecclesiæ clerum ex vulgari prouerbio Paradisum præsbiterorum vocat. Hunc ordinem, relicto mundano diademate, sunt ingressi Chilperius Rex Francorum; Lothocarius. IX. Germanorum Imperator: S.Robertus. XLI. Rex Francorum Lucius XLII. Rex Brittaniæ: Iodocus Regis Brittaniæ filius Henricus primus quartus Germanorum Imperator: Arnulphus Dux Lothiringæ: Vitalis Can-

dianus Dux XXVI. Venetiarũ: Petrus Gradenicus XXIX. Dux Venetiarum: Vrsus Patritianus. XXX. Dux Venetiarum: Laurus Maripetrus XL. Dux Venetiarum. & hæc ex lib. Ioannis de Nigrauallc ſupracitato. Illud etiam non ommito, Pontifices omnes, Archiepiſcopos, in quam, & Epiſcopos, quando conſecrantur, effici Clericos regulares per ſolemnem profeſſionem, & accipiunt habitum, ſcilicet camiſiam Apoſtolicam in ſignum profeſſionis, & in memoriam, quod olim tota Eccleſia catholica tam in Patriarcalibus, quàm in Epiſcopalibus per ipſos regulares Canonicos regebatur, vt declaratum eſt. Ex Molano item lib. 1. de Canonicis cap. 5. Rex Francorum honoris cauſa dicitur Canonicus in multis eccleſijs: & alij Principes, qui iure nonnullo, dum adſunt, Collegij vtuntur; nullum tamen inde beneficium percipiunt, aut expectant. Coronãdus Rex Romanorum, & Imperator futurus indutus Superpelliceo, & Almutia recipitur à Canonicis S. Petri in Canonicum, & in fratrem prius, vt petet in Pontificali. Epiſcoporum huius Ordinis eſt numerus vigintimilium, & centum cum trigintaquinq;: Archiepiſcoporum verò numerus duorum milium, & ſeptingentorum cum quindecim: Cardinalium etiam ad illud vſq; temporis, quo Ioannes præfatus de Nigraualle ſcripſit numerus fuerat duorum milium, & ſeptingentorum, & ſexanginta ſeptem. Cathedrales Eccleſiæ, quæ tempore ipſius reſtabant in diuerſis regionibus regiſtratæ ſub eodem ordine erant num. quingentæ, & vltra; & erant tàm Archiepiſcopales, quàm Epiſcopales. Cœnobia Canoniæ, Prioratus, & aliæ Collegiatæ huius ordinis Eccleſiæ erant regiſtratæ numero ducentæmillia, & quingentæ: In Europa ſolùm olim ad quatuor millia quingenta, & quinquagintaquinq;. Abbates ex eodem ordine baculo paſtorali, & mitra vtentes, centum millia, & vltra; Abbatiæ verò numeratæ, decem millia; & vltra: Numerus deniq; ſanctorum huius ordinis

vix col-

vix colligi poteſt tàm Martyrum, quàm Confeſſorum ex ipſo. Anaſtaſius Cardinalis,& S.R.E.Bibliotecarius in ſuo Catalogo ad Carolum II. Gallorum Imp: pro certo quodam tùm numero,refert circiter ſexdecim millia centum, & vltra: Martyres quidem vndecim millia,& ſexcentum; Confeſſores autem quatuor millia, & quingenti reperiuntur in diuerſis Catalogis ſanctorum, ac Martyrologijs, & antiquis hiſtorijs.

Quarè ob hanc tantam Canonicæ inſtitutionis præeminentiam,meritò Aquiſgranenſis Concilij Patres cap.115. Canonicos ſuæ dignitatis admonent: Quia, inquiunt, euidenti auctoritate liquet Canonicam inſtitutionem præſtare cæteris inſtitutionibus debere; neceſſe eſt qui huius profeſſionis cenſentur nomine, procurare qualiter in ſemetipſis eamdem inſtitutionem vita, & moribus exornent potius, quàm dehoneſtent: Quò enim aliquis in altiore eſt gradu, aut ſtatu; quò plura, aut maiora ſortitus eſt dona; eò ad virtuſiorem vitam eſt obligatus: Etenim cui plus datum eſt, plus exigitur ab eo: qui ergo Canonicus eſt, non ſolùm tenetur ad præcepta legis ſed etiam ad ea,quæ ſpecialitèr Canonicis iniunguntur.

De Corona capitis. Cap. XVIII.

CORONA, quam in capite portant ipſi Canonici reg:ab inſtitutione.S.R.Eccleſiæ,ſignum præcipuum eſt eorum ſupereminentis dignitatis ſuper cæteros quoſcunq; religioſos; & Regni,quod eſpectant, in conglorificatione Saluatoris ſui Ieſu Chriſti; ſiquidem per eam regia dignitas declaratur,quæ & obid Corona appellatur cap.clerici de vita, & hon.cler: Corona, inquit Magiſter Sent. in 4. diſ. 24.ſignaculum eſt,quo ſignātur Clerici ideſt ſortiti in partem

partem sortis ministerij diuini. Corona regale decus significat Clericorum; quibus, ait Petrus, Vos estis genus electum, regale sacerdotium: Quos enim Deus in suos elegit inquit D. Hieronymus ex Gratiano in cap. Duo sunt, 12. q. 1. hi temporalia omnia deposuerunt; quod rasio capitis significat. Capili vero, qui remanent, designant, quòd aliqua debeant retinere ad sustentationem Glos. ibi: in ver. depositio. Hi victu, & vestitu contenti, nullam inter se proprietatem retinentes, habent omnia cõmunia, quod vtiq; habitus conformitas declarat: Hi sunt reges, & se & alios virtutibus regentes; & ita in Deo regum habent, quod corona in capite designat. Vide. glo: not: in clem: 2. de vi. & hon. cle. Hac ratione dignitatis excelsæ Domni vocantur, sicut Domni multis in locis dicuntur ipsi Regum filij. Tonsura crinium, inquit B. Dionisius Areop. lib. de Eccl. Hier. cap. 6. par. 3. vitam mundissimam indicat, & nulla figura fucatam; & quæ nullis fictis coloribus inductis animi deformitatem exornet; sed ipsa in se ipsa non humanis vetustatibus, sed singularibus, & vnicis ad Dei exactissimam similitudinem properet. quod verò D. Petrus Apost: Ep. sua prima cap. 2. Fideli populo tribuit: Vos genus electum regale sacerdotium, gens Sancta; peculari quadam, & magis propria ratione ad ecclesiasticos ministros pertinere, facilè intelligitur; & si non desint qui, vel perfectioris vitæ proffessionem à Clericis susceptam, circuli figura, quæ omnium perfectissima est; significari existiment; vel externarum rerum contemptionem, animiq; ab omnibus humanis curis vacuitatem declarari putent; quòd capilli superuacaneum quiddam in corpore tondeantur. Primum autem omnium ferunt nonnulli, Apostolorum Principem eam consuetudinem induxisse, ad memoriam coronę, quę, ex spinis contexta, Saluatoris nostri capiti fuit imposita; vt quod impij ad Christi ignominiam, & cruciatum excogitarunt, eo Apostoli ad decus, & gloriam vterentur; simulq;

mulq; significarent, curandum esse à ministris Ecclesiæ, vt omnibus in rebus Christi Domini nostri specimẽ, & figuram gerant: Quo circà perpetuò illam conseruare oportet; &, vt quisq; in altari deinceps ordinis gradu collocatur, sic eius Orbis forma latius circumscribi debet: Annal. Fort. de off. Eccles. lib. 2. cap. 5. lib. 4. cap. 39. & Beda de Hist. Angl. lib. 5. cap. 22. Isid: de Eccles. off. lib. 2. cap. 4. & Albin. Hac. in lib. de diui. off. tit. de consec. cleric. Rab. Maur. de instit. cleric. lib. 1. cap. 3. Iuo Carnot. in serm. de excell. Sac. ord. & sexta parte Decr. cap. 4.

D. Gregorius lib. mor. 14. super Iob num. 55. explicans illa verba: Et abstulit coronam de capite meo: sicut, inquit, caput corporis prima pars est; ita principale interius hominis mens est: Corona verò victoriæ præmium est, quod desuper ponitur, vt qui certauerit, remuneretur: qnia ergo multi aduersitatibus præssi minimè in certamine perdurant: in eis sancta Ecclesia, quasi coronã de capite ammitit. Corona quippè in capite est superna remuneratio in mente; & sunt plerìq;, qui dum aduersitatibus affliguntur, superna præmia cogitare negligunt, & ad perfectionem victoriæ peruenire non possunt. In ijs itaq; corona de Capite aufertur; quia supernum, & spirituale præmium de mentis cogitatione tollitur; vt exteriora iam tranquilla appetant, & æterna præmia, quæ cogitare consueuerant, non requirant. Vel certè caput fidelium non immeritò sacerdotes accipimus, qui pars membrorum Domini prima sunt: vndè & per Prophetam caput, & cauda exterminari dicitur, vbi videlicet, & capitis nomine Sacerdotes, & caudæ appellatione Prophetæ reprobi designantur. Corona ergo de capite aufertur, cum supernæ remunerationis præmia etiam ipsi deserunt, qui in hoc Ecclesiæ corpore præesse videbantur. Et plerumq; ducibus cadentibus latius succumbit exercitus, qui sequebatur. Et lib. 17. super eodem num. 71. coronaberis de capite

pite Amana de vertice Sanir, & Hermon de cubilibus Leonum: Coronandum, inquit, Christum de capite Amana idest fidelium; fides enim interpretatur idem verbum; de vertice Sanir, & Hermon de cubilibus Leonum; quasi dicat corona Christi est victoria fidelium suorum contra Dęmones, peccata, & mundum: Hermon siquidem interpretatur destructio; totiès enim coronam fideles offerunt, quoties, præfata vincentes, confitentur Christum: Et clerici, qui sunt caput fidelium, præcipuè destruere debent peccata, superbiã, Auaritiam, Luxuriam, & alia; Et ita deferentes coronam, coronare Christum suum, glorificantes eius vitam sanctissimam, imitando illam. Hoc regnum, & eius coronam à nobis auferre conantur Desertores Ecclesiæ, & erroribus apud indoctam, & malè affectam plebeculam, fidem conciliare student; inter cætera primo loco illi obijcientes abusus nostros, quibus euulgandis, & exagerandis declamationes suas ad populum, multipliciter ornant; aut potius onerant: Nam sępè illarum maximam partẽ talibus flosculis insumunt, vt nasutulos suauiter demulceant: Et sanè (quod magno pudore nostro debemus agnoscere) grauiores fuerunt abusus nostri, etiã si ad veritatem nihil addatur, quàm vt dissimulari possint. Vtinam autem ipsi priusquam eò calamitatis veniretur, turpitudinem nostram ad regulas tàm in scripturis, quàm Patrum, & Conciliorum decretis præscriptas abstergere voluissemus: quod quia factum non est, æquo animo ferre debemus, si nobis improperentur: & in nobis impleatur cominatio Malachiæ Proph. in nomine Domini Altissimi dicentis cap. 2. Et nunc ad vos mandatum hoc, ò Sacerdotes, si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris; & maledicam illis, quoniam non posuistis super cor: Ecce ego proijciam vobis brachium, & c.

& cap. quæ vnusquisq; legere suo commodo poterit, dum intelligat verba huiusmodi, causa calamitatis, quam patimur, tàm apertè continere; easq; nobis vita nostra tàm clare ostendere; vt nullum pateat subterfugium, nec alio referre possimus, quod in exilio nobis agendum sit, quod bonis, & possessionibus, laudibus, & coronibus, quas Dei benedictione, & fidelis populi consequuti eramus, expoliati simus, quàm in propriam culpam nostram, & vitę nostræ demerita; quia coronam nostram non custodiuimus. Agnoscenda est igitur culpa, & ad veram reformationem totis, coniunctisq; viribus incumbendum.

Quo tempore Canonici reg: communem vitam deseruerunt. Cap. XIX.

TEMPORE Costantini Imperatoris, affluentibus opibus, pietas, & communis vitæ regula decrescere visæ sunt; ita omnes Canonici scriptores asserunt. Meminit eius dissolutionis Abb. Trithemius in Hirsaugiæ Cronicis ad annum 975. hunc in modum: Sub Theodorico Archiepiscopo Treuirensis Canonici maioris Ecclesiæ, ibidem abiecta vita regulari, quam hucusq; in eadem Ecclesia maiores eorum continuauerant, desuerunt esse regulares; & facti sunt nomine, & conuersatione sæculares: quorum exēplo malo Canonici quoq; S. Paulini Treuirenses; S. Castri in Confluentia; Moguntinenses; Vuormacienses; Spirenses; & complurium aliarum ecclesiarum diuersis quidem temporibus, sed vno consensu regularis vitæ, communitatem abiecerunt: In tom. 1. Epitom. de omnibus Germaniæ Episcopatibus, Noribergæ anno 1549. ædito, legimus sub Baldrico XXII. Episcopo Spirensi, qui decessit anno nongentissimo octuagesimo septimo, cæpisse Canonicos

Neme-

Nemetum (quemadmodùm etiam Vuormacienses,& Moguntinos) monasticæ vitæ professione abiecta, seculares fieri, seorsum habitare, ac propria habere, & annuos prouentus inter se distribuere. Et de XXI. Paderbornensi Episcopo agens Bernardus, ait; quartus huius nominis, passus est, vt Canonici Paderbornenses obseruantiam regularé, quæ hactenùs viguerat, mutarent in secularium Canonicorum statum. Obijt anno 1254. & similia de Treuirensibus habentur in Centuria prima Monasteriorum Germaniæ maximè illustrium fol. 41. & 46. sensim hæc disciplina perijt. Leodij feruor sese remisit sub Alberone II. sed magis deperijt sub Radulpho, qui disciplinam penitus collabi permisit: & si acerrimè à Lamberto quodam, qui spiritu Prophetiæ clarebat, admoneretur. Idem rigor sensim sese remisit Traiecti: & videtur sub Godbaldo Episcopo prima præbenda data esse Decano maioris Ecclesię, iuxta commune consilium prioratus sui, vt loquuntur, in laboris temporalis consolationem: Sed hæc etiam Coloniæ immutata sunt sub Philippo XXXXIV. Episcopo: Laxioribus enim præualentibus, alij in regulari obseruatione permanere volentes Nussiense Monasterium incoharunt: Laborauerunt autem nonnulli illis temporibus, vt inter Canonicos communem vitam aut conseruarent, aut collapsam reuocarent; inter quos fuit S. Vuolffangus, de quo celebrat fæstum Ecclesia 31. Octob. qui cùm esset Episcopus Ratisponensis, in sua Ecclesia Canonicæ vitæ collapsa instituta reformauit; in id intentus, vt simul in Refectorio ederent, & extra Claustrum horis incongruis ne exirent, neq; silentij disciplinam negligerent. Cæterùm paulatim benè reformata ijsquoq; in locis conciderunt. In Italia Commendatariæ Monasteriorum factæ in manu sęcularium, omnem obseruantiam, vt aliàs diximus, de medio tulerunt: sed cum totiès de sęcularibus clericis, & Canonicis mentionem fecerimus, reliquùm est nunc

pro

pro complemento huius primi libri, de Ordine, ac ſtatu Canonico, etiam de illorum origine pauca dicamus.

De Origine Canonicorum ſæcularium. Cap. XX.

OB conuerſorum multitudinem, ac fidelium, atq; credentium populorum, cum miniſterium Monachorum regularibus Canonicis additum pro diuino miniſterio ſatis eſſe non videretur: ipſamet Eccleſia, cuius eſt ſolius id muneris prouidentia, aliud genus Clericorum adinuenit; idq; permixtum. Quod ſcilicet primum irrepſit ſub fermè temporibus poſt Syluestrum, & Conſtantinum (nam ſub perſecutionibus antea nihil huiuſmodi legimus) & ponitur pro tertio genere Chriſtianorum, inter eos videlicet regulares, quorum vtriq; naturæ communicat: de quo notat Hoſt. in principio ſummæ, alludens ad illud Hieronymi cap. duo ſunt: 12.q.1. vbi aduerte Hieronymum, vt & hoc obiter hic declaremus (ſi tamen Hieronymus eſt) in primo genere Chriſtianorum includere Monacos inter Clericos ſub nomine Deo Deuotorum; qui malè, & textu, & gloſa exponuntur pro conuerſis; nam ſic Monachi excluderentur ex Chriſtianis, cum minimè compreendantur ibi in ſecundo genere Laicorum ducentium vxores, & propria poſſidentium; ſicut enim Dioniſius in ſua Hierarch. Eccleſ. tres ordines principales circumſcripſit cap. 6. videlicet Clericalis; Monaſtici; & plebis ſacræ; & Monaſtici Theraupentas, ſeu cultores diuinis nominibus appellari dixerat: Ita Hiero. eoſdem diuina appellatione Deo Deuotos pariter expreſsit, & tres ordines ad duos reduxit, duobus in altero communicatis. Neq; enim conuerſi tunc erant, de quibus intelligit

ligit glo.cum subdistinguit, quòd aliqui possunt contrahere, aliqui non; contra expressum ibidem Hieronymi sensum. Neq; Hier.exposuisset sub eo nomine Conuersorum, quo noua item expositione pro Monachis indigeret; de quorum incunabulis ediderat opus ad Nepotianum 16. q. cap. si Clericatus: expungendum est ergo illud in textu; Conuersi: quod minus etiā quadrat phrasi, & eruditioni Hieronymi; & in Glos. pro Deo Deuotis exponendi Monachi, ne excludi videantur, vt dictum est, de genere Christianorum; præsertim qui sic etiam pro Deo Deuotis, intelliguntur: cap. qui verè ea.q. vbi dicitur, quòd Deo se deuouerint: sed vt verum fatear nescio quid obstrepit auribus meis ex eo Hieronymi textu, vt suspicer satis non esse Hieronymi. Ex hac autem origine, quam cæteris omnibus religiosis præstant ipsi canonici reg. fit, vt diuersis nominibus, & à iure, & à consuetudine, & secundùm diuersa loca aliquando Clerici, aliquando Præsbiteri, aliàs Monachi nuncupentur; quod communiter in Cronicis consueuit: Præcipuè verò Ioannes Trithemius nonnullos præclaros Canonicos regulares Ordini. Benedictino ascribere solet, vt de Vgone de Follietto, & Petro Damiani signanter facit, ea fortè occasione, quòd nomen Monachi ob vitam communem, & trium votorum solemnē professionem à Canonicis emissam; ipsis Monachis quandoq; tribuitur. Sic & omnes Religiosi vocentur Clerici: Sed Canonici reg. dicuntur Clerici primitiuè: Monachi verò, & alij Religiosi, qui post Concilium generale fuerunt instituti, & approbati, facti sunt, & dicuntur clerici dispensatiuè: Canonici postea sæculares dicuntur Clerici deriuatiuè. B. Pater Aug. in sermonibus de communi vita Clericorum quosdam suos conclericos, præsbiteros nominat; & Innocentius III. in cap. significasti el. 2. ex. de huiusmodi, & alibi multis in locis.

Vulga-

Vulgariter Canonici reg. à Cronicis dicuntur Prçsbiteri tribus rationibus: primò; quia originaliter, & principaliter viguit in eis ordo præsbiteralis à Christo, & ab Apostolis institutus; sicut etiam Roma propriè, & principaliter dicitur Vrbs; licèt aliæ ciuitates eodem appellentur nomine: at illa sic antonomasticè. Deindè dicuntur prçsbiteri à digniori vocabulo, cùm vniuersaliter Canonici reg. ad Præsbiterium destinentur; & communiter ipsi & Præsbiteri sint, & sacerdotes, quod non est sic in alijs religiosis; hac vtique ratione Venerabilis Beda licèt fuerit Monacus, tamen appellatur Prçsbiter à digniori nomine officij, quo sacerdos erat: Tertiò dicuntur Præsbiteri ab officio prædicationis, quod communissimè habent ad differentiam Monacorum; quia prædicatio post Episcopos pertinet ad Præsbiteros, & sacerdotes, quod frequentius obseruatum fuit in Ecclesia; præsertim antequàm pullularent quatuor Mendicantium Ordines, qui approbationis suæ initium meruerunt ab Honorio III. circa annos Domini 1221. Monachi quoq; ipsi dicuntur impropriè Canonici reg. multis in scripturis, & locis; quia scilicet Monasteria habitant vnanimes, & viuunt in communi; Monasterium enim ab vnitate dicitur. Ob eãdem rationem sæpè Canonici largo modo appellantur Monachi, quasi per communem vitam simul vniti, vt in cap. post translationem ex. de renun: vbi textus Canonicos S. Frigdiani Monacos nuncupat, cùm hoc etiam termino Monachi, & monastica vita, & otium monacale; & tamen constat ex antiquissimis illius Ecclesiæ annalibus sine interpolatione ibidem semper continuasse Canonicos reg: Hinc est, quòd æquiuocè scriptores, vt dicebamus, quandoq; posuerunt Pontifices Monacos fuisse, qui certissima tamen veritate Canonici fuerunt regulares; & sic etiam alij religiosi Monasteria inhabitantes Monachi appellantur, licèt non sint Monachi propria. Dicuntur

etiam Canonici aliquãdò Monachi à vita solitaria, quam extra vrbes non nunquam eligunt, sicut de multis Canonicorum Cænobijs patet, quæ extra Ciuitates, & hominum frequentias sita sunt, & multis propterea in locis, & historijs ipsi regulares Canonici, quandoq; Clerici; quandoq; Præsbiteri, quandoq; Monachi appellantur.

Sed reuertamur ad Clericos generis permixti, vt faciebamus: ex clericatu enim communicant naturæ Clericorum quantum signat sacramentorum dispensationem, vt prætulimus ex verbis D. Aug: cùm in ipso Clericatu sint cum illis eiusdem essentiæ, quam principiò cum sanctitate etiam profitebantur. Communicant item naturæ sæcularium laicorum ex possessione propriorum, & renunciata communiter viuendi societate. Quæ sanctitas, vt Aug: interpretatur, decentissimus erat quidem Clericorum nascentis Ecclesiæ status: nam cùm paucitas tunc existeret Clericorum, & Ecclesiarum, poterant sic viuere commodè, & sic perdurare potuissent, vt patet ex cap. Dilectissimis; & ex altero cap. Vrbani Videntes; & cap. Scimus, & multis alijs. 12, q. 1. Multiplicato autem mirum in modũ, vti postea factum est, clericorum numero, difficilè nimis illa communis vita tolerari potuisset. In remedium itaq;, ac subsidium opportunissimum S. Mater Ecclesia mixticum genus instituit Clericorum, qui votum paupertatis non habent annexum, neq; obedientiæ, quam non quisq; in domo sua prestare suo Episcopo possit. Placuitq;, inquit Abbas, Sedi Appostolicæ, quòd status eorum sit idẽ primitiuæ Ecclesiæ, & gaudeat eorum priuilegijs, ne deformaretur status Ecclesiæ vniuersalis: etenim quæ maior deformitas accidere potuisset, quàm si tot populi passim, & vbiq; pro sua necessitate, vel etiam commoditate, sacramentorum, & Euangelij ministros non habuissent? Hinc sanè tota christianorum turbatio & periclitatio foret. Reuer. D. Præpositus, postea Cardinalis Alexandrinus in suo de-

ſuo decretorum apparatu in cap.1.diſt.43.notat diſtintionem ab ipſa primitiua Eccleſia deriuaſſe ſecundum triplex genus Clericorum, quod paulatim, & ſucceſſiuè excreuit in Eccleſia: primum videlicet genus eorum, qui clerici ſęculares dicuntur, proprium habentes, & ſeparatim viuentes: aliud verò genus eorum, qui proprium habent, nec profitentur, ſed collegiatim viuunt, & ij dicuntur Clerici collegiati; tertium verò genus eſt illorum, qui primitiuum, & Apoſtolicum viuendi modum retinent in communi viuentes, & tria profitentur vota eſſentialia religionis; & ij propriè dicuntur Clerici regulares in communi viuentes, vt eſt tex: in cap. Decimas 16.q.1: iuncta glo. & cap. in omnibus de conſec. d. 5. & glo. ibi in verbo Clerici canonici exponit de Canonicis reg: Nec obſtat, quòd vbi ſupradicit Præpoſitus, quòd tale nomen Regulares Clerici in primitiua Eccleſia non eſſet in vſu, quia ad hoc dicendum eſt, quòd ſi in primitiua Eccleſia tria vouebant religionis eſſentialia; ergo ex conſequenti à diffinitione ad diffinitum erant regulares clerici: quia ſicut non valet in prim: Eccleſia non erat in vſu nomen Chriſtianorum, vt notat glo. in cap. Sacroſancta eccleſia, 22. d. Ergo chriſtiani non erant; ſic in propoſito regularium Clericorum nomen non erant in vſu, ergo non erant Clerici regulares; eſt omnino falſum.

Canonicos item Sæculares voluit eſſe mater Eccleſia, & Clericorum aliquos eius mixti generis, hoc nomine decorauit, præcipuè illorum virtutis reuerendæ gratia, & ipſinſmet noui clericorum ſtatus dignitatis ampliandę cauſa, vt dentur in illis etiam aliqui gradus, & tituli maioris honoris, quorum intuitu animos ad res præclarè gerendas acrius excitaret. Importatq; in illis hoc nomen Canonici, non quidem expreſſum eius ſignificatum, quòd propriè Canonicis reg. conuenit, at præeminentiam quãdam, & meritorum debitam recognitionem ſuper alios

Clericos Sæculares, veluti ipsius Episcopi confratres, consiliarij, & Assessores cum Episcopo suo molem Ecclesiastici ministerij deferentes, eamdem in iuuanda plebe solicitudinem, & curam habentes.

Quare sicut manus carnales Episcopi annulis ornatur, quas prę cæteris eius membris honorantes deosculamur; ita & Canonicos præ cæteris Clericis reuerimur, ac tamquam præcipua membra, & manus Episcopi coadiutrices, obseruamus. At quæ ratio est, quòd Canonici reg. quandoq; in locis Conuentualibus quibusdam prępōnuntur Clericis, & Canonicis sæcularibus quandoq; postponūntur? Canonici reg. cedunt Canonicis sęcularibus, & Clericis quandoq; in locis publicis, non ratione dignitatis, sęu antiquitatis; sed ratione capitis eorum dignioris, qui est Episcopus, & ratione dignitatis eorum Ecclesiæ, si est Ecclesia Cathedralis. Reliqui verò Clerici, siue Canonici Ecclesiarum Collegiatarum, vel Parrocchialium cedebant ipsis Canonicis regularibus in omnibus locis publicis ratione antiquitatis, quia ipsi sęculares Clerici à regularibus originem habuerunt. Et hoc dudum Romæ obseruatum inuenimus per antiquam consuetudinem, & Apostolicas ordinationes; vbi Canonici reg. in processionibus, & Lytanijs maximę Ecclesiarum Parrocchialiū præponerentur omnibus clericis, & Canonicis sęcularibus: ita Ioannes de Nigra valle Bibliotecarius Romæ testatur. In Auenionensi Archiepiscopatu, qui diù fuit Sedes Vicarij Dei, & successoris Petri in Gallia, vbi per longa tempora Summi Pontifices Curiam suam tenuere, Canonici reg. temporibus Processionum constituebantur in dignori loco semper, videntibus Summis Pontificibus ipsis, & cum vniuersalis curiæ testimonio approbantibus. In Ecclesia Vlisbonensi principali Archiepiscopatu Portugallię dum celebrarentur processiones in ipsa ciuitate Canonici reg. ingrediebantur Chorum Ecclesię Cathedralis

dralis maioris, & ipsi regulares tunc vestiebant se habitu, & cappa sicut sęculares Canonici, vt videretur inter eos quædam cõformitas habitus, etiam in ipso progressu Cleri ad processiones: ad funera similiter collocabantur semper proximi Canonicis sæcularibus, cùm & ipsi sint Canonici, & Clerici, & ita semper habiti sint, atq; tractati præteritis temporibus; immò, quod magis est, tempore Quadragesimæ ipsi sæculares Canonici se vestiebant vestibus, & cappa sicut incedunt Canonici regulares; tunc & ipsi quamdam obseruantiam ostendentes. In tota etiã Hispania vbi Canonici reg. non haberent Ecclesias Cathedrales, semper tamen ipsi regulares in processionibus ingrediebantur Chorum sæcularium Canonicorum ad præstolandum progressum processionum, Monachis, & alijs religiosis seorsum in priuatis suis Cappellis commorantibus. Per Constitutiones autenticas Synodales Ecclesiæ Astensis antiquas, quæ maxima maturitate, doctrina, & discursione cælebratæ fuerant à toto Clero, & sapientibus illius populi, exemplo etiam ciuitatum circumuicinarum, vt in omnibus esset conformitas, statutum fuit, vt Canonici reg. locum haberent proximum Cappellanis ciuitatis, demùm Canonici S. Martini. Hæc constitutio Synodalis facta fuit anno Domini 1328. de mense Aprilis. In Archiepiscopatu etiam Mediolanensi hoc seruabatur vbi erant quasi infinitæ Ecclesiæ, & Præposituræ Canonicorum Reg. qui deferebãt habitum Lineum, vt aliàs dictum est à nobis. Quòd autem Clerici tempore B. Ambrosij essent ibi quasi omnes Regulares, & communiter viuentes, colligitur ex sermonibus ipsius S. Ambrosij; & præsertim 12. q. 1. cap. cui portio Deus est. Qui est textus Ambrosij, vbi ait cui portio Deus est, non debet curare, nisi Deum, &c. Vnde quando Clerici tonsurantur, eis dicitur; Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. De assistentia Canonici Reg. monasterij S. Victoris in Eccle-

sia,& Choro Cathedrali ciuitatis Parisiensis; qui, tanquã principalis,& optimè regulatus, atq; institutus, ordinare chorum,& officia,& reliquas obseruantias ipsius Ecclesię regulares, & spirituales ad optimos mores, & consuetudines regularium clericorum, vt aliàs etiam dictum est, non debet aliquis dubitare, quia speculator in lib. Rationalis diu: off. in parte 6. in rub. de Hæbdomada in Albis; dicit; Cum esset dubitatio de officio diuino, dicendo. In Dominica in albis; quia aliqui dicebant, quòd tantũ tres psalmi, & tres lectiones dicendæ erant: arguit ita tertiò; quia inter Canonicos reg. & alios Clericos, qui vsurpato nomine, dicuntur sæculares; nulla debet esse quòd ad hoc differentia: nam & ipsi magna ex parte antiquitus regulares fuerunt; vt patet 12.q.1.cap. quia tua; & cap. scimus: & cap. necessaria; & seq. & cap. certè; & de vita, & hon. cle. cap. quoniam. Sed certum est, quòd Canonici reg. in Octaua Resurrectionis dicunt in Nocturno nouem lectiones cum octo responsorijs; quia sic etiam facit Romana Ecclesia; sequitur ergo, quòd imitandi sunt ipsi regulares Clerici; quia seruarunt optimè regulas, & Canones diuini officij. Sed si quis videre velit constitutiones antiquissimas diuini officij quo modo ipsi regulares Clerici constituerint, & ordinauerint officia huiusmodi; videat constitutiones Pasqualis Papæ vetustissimas: Sed hactenus de hoc.

De his Canonicis sæc. inquiunt nonnulli; Canonici sæc. cùm id nominis à Regula nulla trahant; reliquum est sic vocari, quia annuè recipiant canonem, hoc est pensionem, vel præstationem, quæ illis singulis annis ex Ecclesiæ fructibus persoluitur; quæ significatio Canonis apud D. Aug. & apud Iurisconsultos est frequentissima; sic enim legitur: Canon aurarius; Canon delegationis; Canon frumentarius Vrbis Romæ; Canon vrbicarius; Canon Vrbanus; Canon metallicus; Canon vestiarius; Canon

non nauli; Canon Telonei; Canon glebæ,& similia : Item Canonicæ vestes; Canonici equi; Canonica pensitatio,& huiusmodi locutiones ; vnde qui huiusmodi canones recipere solent,Canonicarij dicebantur ; ita in Cassiadori variarum lectionum libris epistola extat lib.11.scripta Ioanni Canonicario Tusciæ: & lib. 12. alia ad Canonicariũ Venetiarum ; & in corpore Iuris Pontificij de præben. & dignit.legitur : Non est congruum , vt præbenda careat , qui in Canonicum noscitur esse receptus . Malè sentiunt alij hoc vocabulum; Sæculare; iuxta illam interpretationem Iudæorum 4. Es. 3. qui verum Dei cultum profitentes habere,se ab alijs secernebant, quos in sæculo esse dicebant; quò illud spectat. Pondera in statera nostras iniquitates,& eorum,qui habitant in sæculo,& non inuenietur nomen tuum nisi in Israel. Quo sensu,& vas electionis scripsit tit. 2. Gratiam Dei omnes erudire; vt abnegantes impietatem,& sæcularia desideria,sobriè,iustè, & piè viuant in hoc sæculo. Sed non sic intelligitur in proposito; accipitur sæcularis pro eo , qui negocijs huius mundi implicatur, qui sollicitus esse debet quomodo vxori placeat; quomodo liberos honestè educet,& edoceat: A' quibus negocijs cum sese Ecclesiasticus ordo Deo mancipatus,abstrahere debeat,dicente Apostolo 2.Tim.3. Nemo militans Deo implicat se negocijs sæcularibus : alij ad eorum discretionem sæculares dicti sunt; neque in hac ratione prǽfati Canonici sæculares esse dicuntur : Tertia significatione sǽcularis dicitur qui in sǽculo,siue in mundo, & orbe terrarum habitat. Qua ratione omnes homines quantumuis ad monasteria,aut Heremos recesserint,sǽculares sunt; quia in orbe terrarum existunt. Cæterùm qui vt idest. Cor. 7. vtuntur hoc mundo tamquam non vtentes ,& vt omnibus solicitudinibus mundi renuncient , se ad portum claustralis vitæ retraxerunt; secundum aliam significationem, quam antea explicauimus,sæculares esse

negantur. Nec ista quidem ratione Canonici dicuntur sęculares, quod vt laici in sęculo, hoc est inter sæculares homines conuersentur, & mansitent; & ipsi sæculo se conforment; sed pro eo quod tam arctum viuendi propositũ non complectuntur, quàm arctum illi tenere videntur, qui regulares appellantur; qui in Claustris ab omni mundi strepitu, vt melius diuino cultui die noctuq; inhæreant, segregati sunt. Scite autem à Gullielmo Episcopo Parisiensi notatum est contra primos de his Canonicis malè opinantes, neminem sani capitis dubitare, quin Canonicus nomen sit officij, operis militiæ clericalis, non autem reddituum, præbendarum, aut emolumentorum, quę postea accesserunt; pleriq; enim in Ecclesijs Canonici præbendas non habent. Cæteris postea similiter absurda cogitantibus de ijsdem Canonicis sæcularibus, manifestum absq; dubio fiet, magnam illorum esse in Ecclesia Dei dignitatem, & multam functionem, si attentius munia, & officia illorum obseruauerint; validosq; in Ecclesia Dei opitulatores esse cognouerint. Quamuis enim in cauendis vitijs, & amplectendis virtutibus eorum, & Monacorum distare non debeat vita, vt inquit sin. Aquisgranensis cap. 105. hoc tamen peculiare habet canonicæ vitæ institutio, vt cum Episcopo suo debeat quisq; pro sua vocatione, molem Ecclesiastici ministerij ferre: Qua functione; & si præ cæteris habeantur honoratiores, qui in Cathedralibus resident Ecclesijs, veluti ipsius Episcopi confratres, Consiliarij, & Assessores, clero autem inferiorum Ecclesiarum non eadem sit auctoritas; habet tamen & ille suam in iuuanda plebe sollicitudinem, & curam. Canonica enim vita requirit, vt sub obedientia Episcopi in vinea Domini laborent, & gregem Episcopali eius curę concreditum, cum eo pascant exemplis bonæ vitæ, officioq; canonico; & quia diuersę vocationes, & distinctę spiritus donationes sunt, vt quisq; secundum suam vocationem

tionem talentum sibi concreditum vtiliter in vsum Reip. expendat; ne veluti sal infatuatum ab omnibus conculcetur Mat. 5. ac veluti seruus piger, & inutilis in tenebras exteriores proijciatur. Quid enim turpius, quàm assumptum esse in Senatum Ecclesiæ, & sibi viuere velle, non autem alijs, prout possit prodesse? Ministrum esse Reip. Christianæ, & pro eadem Rep. laborare nolle? An non est hoc degenerem esse Christi militem? Beati sunt ergo illi Canonici, & verè omni laude dignissimi; qui, non contenti bona vita, & canonico Ecclesiæ officio, secundum mensuram donationis, opitulatores esse cupiunt in Ecclesia Dei, scientes hanc esse vocationem suam: Vnicuiq; enim datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, addit Apost. vt significet diuisiones gratiarum, ministrationum, operationum dari. non vt eis habitis quiescamus 1. Cor. 12. sed vt ad vtilitatem communem eis vtamur. Quod quam maximè locum habere debet in ijs, qui ad sortem ministerij Ecclesiastici vocati sunt, & de altari viuunt: vnde & canonicæ regulæ primaria fuit institutio, vt essent sub Episcopo Clerici, qui nunc Canonici dicuntur; Sanctè secundũ canonem suum viuentes, & prompti ad omne Ecclesiasticum ministerium, ad quod à Præposito suo ordinarentur. Quamquam autem hæc vetus disciplina collapsa sit, non sic tamen defecit, quin boni Canonici in huiusmodi sanctis officijs aut à superioribus requisiti, aut vltranea voluntate charitate in Remp. Christianam eos impellente, libenter se se exerceant: Vnde & se, & ordinem suũ non modò apud bonos; sed etiam apud malos plurimum commendant; quia verò canonici ex suamet institutione sunt opitulatores, & cooperarij Episcopalis sollicitudinis; ideo à Patribus Trid. Concilij monentur ea morum integritate pollere, vt meritò Ecclesiæ Senatus dici possint sess. 24. cap. 12. de reform. Nunc autem videndum nobis est; quomodò in suos primogenitos magis affecta

sem-

semper, atq; intenta Sancta Mater Ecclesia numquam eorummet reformationem intermisit; & si iugiter omnes ad perfectionem inuitauit. Id autem in sequenti secundo huius Operis libro breuibus explicaturi pollicemur.

Finis Primi Libri.

LIBER SECVNDVS

DE ORDINE, AC STATV CANONICO.

De multiplici reformatione ſtatus Canonici. Cap. I.

PLVRES, variasq; reformationes in hoc Ordine conijcimus, pro quo ſemper Patres, Doctoresq; ſanctiſsimi laborauerunt. Marcus Euangeliſta, hunc viuendi modum perfectioni congruum, vt ex D. Thom. qui citat Hieronymum de viris illuſtribus, primus tranſtulit in Aegiptum, quem apud Iudæam Iudæus didicit ſub Magiſtro ideſt Petro Apoſtolo, vt refert Caſsianus in libro de hiſt. mon. in prin. fuit autem Marcus ex genere Leuitico Iudęus; qui, vt dicitur 24. q. 1. cap. cum beatiſsimus: Nephas eſt credere, quòd alijs regulis, & traditionibus ſua decreta firmauerit, dum Alexandrinam conderet Eccleſiam, quam his, quibus Romanam

nam Magister suus cum sine dubbio ab eodem fonte gratiæ vnius spiritus fuerint Magister, & Discipulus; nec aliud ordinatus tradere potuit, quàm quod ab ordinatore suscepit: de quo etiam cap. sacrosancta d. 22. De solo Marco fit mentio primùm; & si enim hęc institutio emanasset à diuersis,non eodem loco positis,& per vniuersum terrarum orbem dispersis; nulla tamen ordinatio circa præfatam institutionem magis composita fuit, quam ab ipso Marco. Hæc ordinatio potiùs fieri debuit per S. Marcum,quàm per alium;tùm quia Petri discipulus;tùm quia ex genere Leuitico erat; & quia etiam litteratus latinè mirificè videbatur; & ad conscribendum Euangelium destinatus,exornandamq; Apostolicam institutionem,& suã Alexandrinam Ecclesiam; quæ sicut media est inter Hierosolymitanam,& Romanam; ita cuilibet communis ad participandum idonea cognoscitur. Impugnant siquidẽ nonnulli hanc D.Marci ordinationem, dicentes, non esse verisimile ipsum D. Marcum voluisse Clericalem vitam instituere, cum pollicem sibi præciderit, ne fungeretur Sacerdotis officio; vt inquit B. Hier. in vita ipsius, & notat Glos. 55.di. Si quis abscidit. Sed quàmuis D. Marcus recusaret ex humilitate Sacerdotium,tantò magis dignus videtur, vt etiam inuitus Alexandriæ Episcopus constitueretur; quia Sacerdotum vita decorabat plus cæteris, iuxtà Historiam B.Hier. in eius Euangelij principio annotatam. Dato etiam, quòd sacerdotis functionem consequi non posset; Episcopi tamen officium,quod est prædicare,& in via Apostolica omnes ad Christum dirigere, poterat excellenter complere. Marcus,inquit Hieronymus, Euang. primus Alexandriæ Christum annuncians, instituit Ecclesiam tanta doctrina,& vitæ continentia;vt vniuersos Christi sectatores ad exemplum sui impelleret. Et rursus, Philo inquit disertissimus Iudæorum; Idcircò à nobis inter scriptores Ecclesiasticos ponitur, quia in libro,

bro, quem ſcripſit de prima Marci Euang. Eccleſia apud Alexandriam Vrbem, in Laude noſtrorum verſatur, Chriſtianos non ſolum ibi, ſed in multis quoq; Prouincijs eos eſſe commemorans, & habitacula eorum Monaſteria nuncupans. Fecit itaq; Philo librum de vita contemplatiua, in quo aſſerit, primos illos B. Marci diſcipulos contẽplationi, & orationi ſemper fuiſſe intentos. Hunc Marcum, inquit Euſebius lib. 2. cap. 17. & ſeq. ſuæ Eccleſ. Hiſt. tradunt primùm ad Aegiptum perrexiſſe, atq; ibi Euangelium, quod conſcripſerat, prædicaſſe, & Eccleſiã primùm apud Alexandriam conſtituiſſe. Tanta autem repertur multitudo virorum, ac Mulierum credentium primo ingreſſu exemplo ſobrietatis eius, & continentiæ congregata, vt etiam conuerſatio eorum, qui per ipſum crediderant, & vita totius abſtinentiæ, ac frugi, ſobriaq; conuiuia librorum memoriæ mandarentur à viro diſertiſſimo Philone, in quibus omnia Eccleſiæ Conſtituta complectuntur, quæ & tunc tradita ſunt, & à nobis in hodiernum vſq; diem ſeruantur. Sed & abſtinentiam, ſeueritas eorum duntaxat, qui nunc in Eccleſijs, aut Monaſterijs degunt, deſcribit ad liquidum. A quibus in primis exigitur renunciare omnibus facultatibus, & bonis cedere; quẽ locum citat Caſsianus de inſti. renunt. cap. 5. dicens, quòd qui minus indigenarum relatione cognouit, Eccleſiaſtica hiſtoria poterit edoceri. Huic hiſtoriæ Gratianus etiam plurimum tribuit in Decretis §. Monacos cap. hinc eſt 16. q. 1. Præterea, quàm vera ſint iſta ex doctrina diuini, & magni Dionyſij in lib. de Eccle. Hier. certiſsimè innoteſcit.

Hermacoras, Diſcipulus Marci ordinatus ab eo ad Eccleſiam Aquileienſem, mox primus apud Aquileiam eãdem viuendi rationem ſeruauit. Nec enim argumentum eſt, ipſum alijs regulis, & traditionibus illam Eccleſiam condidiſſe, quàm eius Magiſter Alexãdrinam, vt in cap.

ſacro-

sacrosancta Romana; & est tex. Anacleti Papæ 22. d. & de hoc est tex. notabilis in cap. cum beatissimus Petrus 24. q. 1. Et sunt verba Leonis Papæ ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum. Vide eorumdem historiam. Hieronymus ad historiam temporum Eusebij scribit sub Olimpiade 289. Aquileienses Clericos suo scilicet tempore quasi Chorum beatorum haberi, quod scripsit fuisse circa annum salutarem 378. ante baptismum Augustini anno quidem 11.

Anianus eiusdem Euangelistæ Discipulus, & in eodem Episcopatu successor; cuius natalem sanctum diem Canonici regulares celebrant ipsis Kal. Decembris, vt legitur in quinta lectione officij eius à B. Marco in mandatis accepit, vt ne ab Apostolicis regulis discederet, sed in communi vitam agens, suos quoq; discipulos in ea diligenter erudiret; adeòq; prædicationem suam miraculis illustrauit, vt & montem de loco ad locum ad comprobandam Euangelicæ scripturę veritatem, transtulerit; quo facto Regem Pentapolis ad Christum conuersum, & baptizatum, eodem adhortante per omnem prouinciam Ecclesias ædificasse, Clericosq; ibi regulariter viuentes instituisse, intelligimus.

Hunc modum Clemens Marci, sub eodem Apost. Petro, Condiscipulus, & eiusdem Apost. in Apostolicam Sedem postea successor anno Domini 77. ex decreto suo sanxit primus in Clericis, quibus scribit, vitam communẽ esse omnibus necessariam, sed imprimis Deo militare cupientibus: cohortaturq; eos ad eam prosequendam iam susceptam, vt ait, & ne ab Apostolicis regulis deuient. Si cohortabatur Clericos alterius Ecclesiæ, & eis præcipiebat quatenus non recederent à regulis Apostolorum pro regulari instituto vitæ communis; multò magis suos sub eodem præcepto continebat, successor præsertim sui Magistri in eadem Ecclesia Romana. Arg. quo mox supra

prà cum beatissimus. Vide cap. Dilectissimis 12. q. 1. Vrbanus senior ille sanctissimus,& anno Domini 225. Pont.creatus, ad quem Cecilia direxit Valerianum sponsum suum; testificatur cap. scimus. Vitam communem in Clericis maximè ad sua, vsq; tempora per annos circiter ducentos vigisse, vigereq; & c. videntes ea.q. cauet sub anathematis spiculo quatenus suscepta, vt & ipse dicit,perpetuò conseruetur. Pro eius Decreti obseruatione B. Laurentius Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus,cuius historia notissima est apud Christianos, fuit in primis detentus, & assatus ob facultates Ecclesiæ, quarum minister, & dispensator dum fidelis existens Decio eas exhibere, recusauit,malens mortem vel crudelissimã appetere, quàm, vt diximus, Decreto Vrbani præmissi deesse. d. c. videntes.Sed quòd ob has facultates magis,quàm ex alia causa Martyr effectus sit, dum in Craticula superpositus vreretur ad impijssimum Tirannum dixit. Assatum est, iam versa,& manduca:Nam facultates Ecclesiæ,quas requiris in cælestes thesauros manus pauperum deportauerunt: Et hoc est,quod S.Augustinus dicit, hominem tàm sanctę conuersationis fuisse, vt coronam martyrij tempore pacis inuenerit. Temporibus nostris,inquit, passi hanc præstiterunt gratiam,vt fidem præteritam confirmarent.Pluraliter loquitur,passi,nam quod fecit Laurentius, idem refertur de Tito Diacono, pauperibus Romæ pecunias distribuente,ac propterea interfecto sub Cælestino 1. anno salutari 429. Vide Prosperum de temporibus: Sed quòd hoc decretum Clementis,& Vrbani maximè viguerit sub persecutionibus, fidem facit Hieronymus sua temporą deplorans, de captiuo monaco (natus autem videtur sub Flauio Constantino, qui pacem Ecclesiæ dedit) vide tũ Hieronymum ad Rusticum Episcopum hoc in proposito. & cap.repetita dist.93.cap. Diaconi vlt. Et ne propterea sanctissimum institutum prorsus exolesceret,ad Nepotianum edi-

num edidit lib. mores omnes Clericales pro hac Apostolica regula complexus: Vbi de se præ cæteris scribit. Si Ego pars Domini sum, & funiculus hereditatis eius, non accipio partes inter cæteras tribus, sed quasi Leuita, & Sacerdos, viuo de Decimis, & Altari seruiens, Altaris oblatione sustentor: Habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam Crucem nudus sequar. 12. q. 1. cap. clericus. Ipse autem Hieronymus ad Capricianum scribit, se fuisse infantem temporibus D. Antonij & Athanasij Episc. Alexand. quando scilicet Athanasius Episcopus ordinatus est, qui fuit sub Syluestro, & Constantino. Vide Hieronymum de viris illustribus. Et Eusebium de temporibus: nam Eusebius scribit Antonium natum Olimp. 284. anno tertio ætatis eius anno 106. expleto: Hieronymus autem anno 423. suæ ætatis 91. sub Bonifatio Papa primo, & sic videtur eo natus anno, quo Athanasius Episcopus ordinatus est scilicet anno Domini 333. scripsit autem Hieronymus de moribus & vita clericorum in cap. si clericatus 16. q. 1. cuius etiam opusculi est illud clericus.

Idem præstitit D. Ambrosius Episcopus Mediolanensis Hieronymi Coetaneus in lib. de fuga seculi. Et quod in Archiepiscopatu Mediolanensi essent quasi infinite Ecclesiæ, & Præposituere Canonicorum regularium, & illi Clerici ipsarum Ecclesiarum deferrent habitum lineum; sicut & modo in aliquibus faciunt; & essent quasi omnes ibi regulares, & communiter viuentes, colligitur ex serm. ipsius D. Ambrosij, & præsertim 12. q. 1. cap. cui portio Deus est, qui est textus Ambrosij.

Verum cum excrescente hominum malitia, vita hæc Clericorum relassata esset, etiam clerici à primo feruore charitatis refrigescerent, B. Augustinus à D. Ambrosio baptizatus sub annum suę ætatis 33. vt illos ad pristinam Apostolorum normam reduceret, post susceptos ordines

Sacerdotales à S. Valerio Episcopo Hipponensi, statim monasterium Clericorum instituit, ac viuere cæpit secundum regulam Apostolorum, vt ipse testatur in libro 9. Confessionum, & in sermone, qui incipit: Charitati vestræ: Ibi alloquens Ianuarium, qui simulabat cum ipso velle viuere, inquit; Quomodo viuere velimus, quomodo, Deo propitio, viuamus, ipsa de Actibus Apostolorum lectio vobis recitatur, vt videatis, vbi sit descripta forma, quam desideramus implere. Hic apud Africam Præsbiter & deinde Episcopus cum Clericis suis in monasterio primus habitauit: Et de eisdē moribus, quibus Hieronymus, sermones postea senex plures habuit, sub titulo Communis vitæ clericorum: tandem libellum composuit. Canonicorum autem regularium ab hac Augustini, quam ab initio profiterentur, regula conceptum legitur nomen, quod numquam in his antea fuerat auditum: non quia Augustini regula, vnde dicerentur peculiariter iam inde ab auctore ipso sexcentis quinquaginta amplius ante annis non vterentur: Sed vel quod nihil ea præter Apostolicam vitam contineret, atq; ordinaret, quæ res satis vnico canonico nomine explicaretur: vel quod extra monasteria, nec dum Canonica pęnitus interciderat institutio, vt ferè Alexandri, & Innocentij tempestate: quæ nimirum caussa fuit, vt ex clericis, canonicis regulares ij dicerentur, qui in Canone Apostolorum iuxta Augustini regulam persti tissent: at qui canonicum solum nomen retinuissent, canonicam verò vitam, & mores quodam modo abiecissent, ac sæculi luxum, & rerum dominium repetiuissent, ij Canonici seculares nuncupati sunt, vt hac à regularibus nota discernerentur. Ordo item canonicus nouum in regularibus clericis Augustini titulum sub hoc additamento sumpsit ab Innocentio Tertio citra, quamuis innumera quoq; interim legantur Priuilegia pro antiquo tenore, priorem absolutè conseruantia. Verum ante Concilium

Lateranense sub eo Pontifice,quo cautum est, ne quis inconsulta Sede Apostolica,eligat nouum Collegium,nulla prorsus de Ordine Augustini mentio reperitur. De Regula autem eius, & ab eo Innocentio, & alijs prius in Decretis mentio est ab anno duntaxat salutari citra millesimum: antea hoc nomen habetur nusquàm; nec Augustinus ipse Regulam appellauit; siuè quia dudum inuexerat contra Thiconium Donatistam regularum conditorem; etenim contra huius septem regulas differit D. Augustinus lib.3.de vita Christiana; de quo etiam refert Gennadius in lib.de viris illust.quod fuit partis Donatianæ; siue quia non sit ausus D.Pater, ne fortè Apostolorum regulas,quas vltrò adimplendas, decorandasq; suscepisset cũ Clericis suis, deindè quasi nouus Regulator ex hac sua circumscribere,seu aliquateuus eleuare videretur.Eugenius IIII.in reformatione Lateranensis Ecclesiæ: quæ tamen parum fausta fuit, & diuturna; sic exorditur: Huius profectò sacri Ordinis(loquitur de Ordine Canonico regulari) & sancti propositi post Apostolos primùm in Alexandrina Ecclesia Marcus Petri Discipulus institutor fuit,& conditor; & sanctæ memoriæ Vrbanus insignis Martyr,& Pontifex generalis Decreti Ordine, reformauit; ac gloriosus Doctor Augustinus diuinis regulis, & doctrina decorauit. Decorator ergo Augustinus fuit regulę Apostolicæ,non alterius auctor. Vis agnoscere decoratorem? lege in fine eius sermonis,quem Regulam Eugenius appellat,sequutus Pascalem 11.de quo mox,vbi dicitur: Donet Dominus,vt obseruetis hæc omnia tamquam spiritualis pulchritudinis amatores; Ex illis namq; exornauerat Regulam Apostolicam; rediderat q; multicoloris flosculis pulchriorem; Quo in opere laborauerant prius, & Hieronimus,& Ambrosius. Neq; enim refert, si Pictores diuersi alicuius Imaginem diuerso ornatu, diuersisq; coloribus repræsentent; cum hac varietate in primis na-

tura

tura obiectetur, arrideatq; illa magis sępe oculis nostris. Reuocator, & restaurator eius regulæ dicitur præcipuè Augustinus; licet multi fuerint Religiosi, & sanctissimi Patres ante iqsum Augustinum in Cænobijs viuentes: vnde ipse in sermone 21. ad fratres Hęremitas, qui incipit, vt nobis per literas; sic ait: Videte fratres, quòd ante me fuerunt multi, quos imitari debemus; non tamē sicut ego, secundum Apostolicam vitam alios viuere docuerunt: & subdit: Attendentes omnia communiter habere, & possidere; quia in celsitudine paupertatis viuentibus non licet nisi, vt vnum sit cor, & vna anima, & omnia communiter possidere. Noluit autem Augustinus librum suum intitulare Regulam; sed speculum potius (si speculum tamen id nominis indidit) quo normam illam Apostolicam per omnia diligenti studio ibi intersertam speculari possent perspicacius omnes, qui eam Clericorum cum maiori decore sub vita communi, sequi voluissent; clericis enim huiusmodi tantum edita est, non alijs; quamuis ex eo concilio pleriq; ordines, etiā Mendicantium, qui postea emerserunt, sub ea militare compulsi fuerint; ex quibus illud quoq; contigit, vt tot nouorum multiplicatione Monasticus ordo ita ab antiquis, vt ordo Canonicus, absolutè nuncupatus, & ipse S. Basilij, & S. Benedicti subdistingueretur, promulgata generali constitutione, vt Religiosi omnes, qui nouam Religionem auspicarentur, sub vna ex Regulis approbatis militarent: Quo factum est, vt omnibus quoq; veteranis (si hactenùs fortassè nullam habuissent) aliqua earum in posterum summeretur; & qui inter Monacos regulam Basilianam elegissent, ordinis D. Basilij: qui verò Benedictinam, D. Benedicti, propterea notarentur; sicuti D. Augustini Cathedrales, & alij Monasteriales Clerici, seu Canonici vniuersi Regulares, etiam illi, qui ordinis D. Marci adhuc intitulantur; quorum tametsi anteá pleriq; sub regula simpliciter Apostolica, suisq; tan-

tùm partim certis probatis moribus, partim editis statutis vixissent: hanc tamen Augustini omnes pariter iam vulgatam acceperunt: ex qua eumdem simul ordinem profitentur Canonicum regularem, seruato illis duntaxàt D. Marci suo titulo, tùm ob reuerentiam S. Euangelistæ; tùm ob antiquitatem, quippè qui sub illo de primis exierint, vt inter hos Clericos regulares idem ordo Canonicus perindè bifariam diuisus, generaliter constet, vt Monasticus inter illos; inter quos tamen hoc interest, quòd binæ istos nunc regulæ separant; ij vnica omnes connectuntur. Præstantissimum itaq; hocce genus Clericorum à Canone Apostolorum, vnde initium sumpsit, primùm Canonicos, deindè verò ab Augustini regula, quam illi à reformatione professi sunt, à Patribus rectissimè Regulares dici cæpti sunt; non quòd vtrumq; à regula nomen Græcum, & Latinum esse ignorarint; sed vt altero institutionis Apostolicæ initium; altero redintegrationis, & eius quidem non Seueri, aut Gelasij, sicut alterius cuiusuis posteriorum, sed Augustini ipsius successum declararent, quasi ab Augustino reperatos, seu restitutos Canonicos dicerent. Qua potissimum etiam ratione D. Augustini Canonicos eosdem vocatos non dubitamus; tametsi haud scio an rectiùs Canonici Apostolorum, Apostolicìue dici potuissent, vt primùm ab Apostolis instituti: neq; enim ex eo quod Canonici regulares D. Augustini dicantur, argui potest, quòd eos ipse instituerit; huiusmodi enim argumentum non procedit in nominibus proprijs; vndè non sequitur necessariò Bolognetus appellatur, ergo est de Bononia: Perusinus dicitur, ergo est de Perusia; sola enim nominis similitudo non est satis ad confirmandam cuiusq; originem, vt notant cómuniter Doctores, & Bar. ff. so.ma. & probat tex. in lib. fi. §. pen. ff. ad Muncip. de incol. de quo latè per Legistas in rub. ff. col. matr. qui ex hoc inferunt ad multas quæstiones. Præterea, non est bo-

ex consequentia vna res denominatur ab vno; ergo ille fuit primus auctor illius rei; quia patet instātia in multis, & præsertim in libris ff. qui dicuntur Iustiniani, & tamen constat Iustinianum non esse auctorem, illarum legū, sed Iureconsultos; verùm dicuntur Iustiniani propter reformationem, quam ipse fecit; Ita regula Canonicorum regularium dicitur S. Augustini, attenta reformatione, quam idem fecit. Nec putes, quòd per reformationem huiusmodi factam ab Augustino, abolita, & deleta sit antiquitas illa primæ originis, atq; institutionis ipsorummet canonicorum reg. quia & si res aliquando inspecta reformatione assumat nomen à reformatore; attamen reformatio, & talis noua denominatio iam non prosternit, nec delet vetustatem, atq; rei reformatæ originis antiquitatem; immò ipsa antiquitas, & origo semper debet esse in consideratione, ad eamq; semper est recurrendum, pro habenda cuiusq; rei veritate Cap. Ieiunium ele. ij. 66. dist. in le. 1. in fine C. de impo. lucra. descrip. lib. 11. quod à primordio tituli posterior quoq; formatur eueutus. Hinc Pius V. concedens Canonicis reg. Lateranensibus peculiare officium de insignioribus sui ordinis sanctis, in Bulla ante officium S. Augustinum vocat primum Apostolici ordinis reformatorem: Quòd tamen non ita intelligendum est, quasi eius tempore Clericorum disciplina illa primitiua, vt dicebam, collapsa, & dissoluta fuerit: quāuis enim D. Hieronymus in suis epistolis aliquoties perstringat Clericorum nimium luxum (est enim luxus omnis disciplinæ venenum) satis tamen notum est communem vitam in eorum collegijs sub Episcopis, aut eorum Vicarijs non tantum vsq; ad D. Augustini tempora, sed etiam multò post floruisse; quamuis luxus, atq; rerū abundantia quibusdam in locis vigorem illum Ecclesiasticæ disciplinæ relaxauerat. Eatenus ergo dicitur D. Augustinus primus Clericorum Canonicorum reformator, qui

cum sub diuersis Episcopis, & in varijs collegiorum Conuentibus multum Canonica eorum regula variaret; ipse moribus Clericorum valdè accommodatam scripsit regulam, quæ passim ab innumeris congregationibus est acceptata. Deindè rectè dicitur primus Canonici ordinis reformator; quia cum antea clerici non solerent esse monasteriales, ipse ex clero suo Hiponensi fecit veri, & proprij nominis Monasterium; ex quo initio cum veluti ex fonte limpidissimo multa scaturierint eiusdem sanctissimi instituti collegia, hinc ipse primus nominatur Canonici ordinis reformator, quòd clericorum collegia ad illum honorem exaltauerit; vt non tantum essent Cœnobia, sed etiam veri nominis Monasteria, in quibus vitæ communis instituta excellerent.

Sanè, cùm inter tres regulas approbatas antiquitus, & in Decretis canonizatas videlicet S. Basilij: S. Benedicti, & S. Augustini, clarum quidem est regulam S. Benedicti longè alijs duabus tempore posteriorem: illarum autem duarum, quæ alteram præcesserit, non est vsquequaq; notum, cùm ferè comtemporanei fuerint S. Basilius, & S. Augustinis, licèt senior Basilius, sed Augustinus regulam suã fecit adhuc iuuenis, videlicet cum esset 37. annorum, & fortè Basilius senex existens, regulã suam edidit. Ad hoc facit, quòd quando Augustinus ordinauit regulam suam, nihil constabat sibi de regula Basilij, vt apparet ex verbis suis in serm. 21. ad fratres Hæremi. Regulam D. Augustini est media, & maximè discreta; regulę namq; SS. Basilij, & Benedicti sunt fundatæ super bona stabilia: regula S. Francisci, & aliorum quorumdam SS. Patrum, hoc, & eorum pręcia interdicunt; regula verò D. Augustini admittit bona stabilia in communi, & prohibet in particulari. De hac regula, vel de his sermonibus, quos Augustini speculum vocat Possidius (si de eo tamen opere, vt reor, locutus est) hæc intulit: Augustinus prodesse omnibus

nibus volens, & volentibus multa librorum volumina legere, & non valentibus, ex vtroq; diuino Testamento veteri, & nouo præmissa præfatione, præcepta diuina ad vitę regulam pertinentia excerpsit; atq; ex his vnum Codicem fecit, vt qui vellet, legeret, atq; in eo, vel quam obediens Deo, inobediensq; essent, agnosceret: & hoc opus voluit appellari Speculum. Possidij auctoritatem cauit Ecclesia Romana in festiuitate eiusdem S. Augustini, ideo non opus esset circa hoc alia probatio, cum doctrina catholicorum doctorum non aliundè, quàm ab ipsa Romana Ecclesia auctoritatem sumpserit, vt dicit S. Thomas in quo lib. ar. 2. d. 7. & ipsa Romana Ecclesia tamquã speculum nobis proposita fuit imitanda, vt dicit tex. in cap. si Romanorum d. 19. & in cap. Ecclesiarum d. 11.

Epithoma Regulæ D. Aug. & reformatores eius plures. Cap. II.

HAec assimo, quæ debet scire, & facere Canonicus Regularis; primum, vt concorditer viuat, & cor suum habeat in Domino; Non dicat, nec habeat proprium; superflua non quęrat; si pauper fuerit, non erigatur pro societate diuitum, vel nobilium: si diues, aut nobilis extiterit, pauperes fratres non contemnat: superbiam caueat, in bono libenter oret: cum orauerit, hoc corde verset, quod ore profert: carnem domet, cum discretione tamen, vt seruire possit, non superbire: Ad mensam attentè audiat lectiones; si infirmi, aut deliciosi aliter tractantur In victu, aut in vestitu, ei molestum non sit: non delectet eum pulchritudo vestium, nec appetat placere vestibus, sed moribus: In omnibus motibus suis nihil faciat, quòd cuiusquam offendat aspectum; sed quod suam deceat sanctitatem. Caueat

oculorum petulantiam, semper se videri à Deo cogitans; Illum timeat: si fratrem suum peccare viderit, charitatiuè corrigat: disciplinam diligens, eam libenter suscipiat: Hominum dilectionem, & vitiorum odium habeat: Nihil occultum suscipiat: Non murmuret, non contendat: Plus cogitet de communi bono, quàm de proprio: Rem sibi collatam Prępositio reddat: Non eat solus: Lites non habeat; quas si habuerit, citò finiat: Si quem læserit, statim satisfaciat: si læsus fuerit, libenter dimittat: Caueat iram à dura verba non dicat: per omnia sit obediens: Prępositio exhibeat reuerentiam: Ordinem suum diligat; regulam suam frequenter legat, & pro eis, quæ obseruauit, Deo gratias reddat: Pro quibus deest, de peccato doleat, cauens de futuro: Oret vt debitum sibi dimittatur, & in tentationem non inducatur: Et hæc satis de reformatione facta per D. Augustinum, & regula ipsius.

S. Patritius Hiberniæ Præsul sub Cęlestino idest qui fuit creatus Papa anno Domini 423. fuit ab ipso destinatus ad Scotos ad fidem conuersos per Palladium Episcopum ab eodem Cælestino missum ad ipsos, atq; postea Archiepiscopus Scotorum ordinatus per quadraginta annos sanctitate insignis, & doctrina excellens, totam Insulam Hiberniæ ad Christum conuertit, maximisq; miraculis claruit. Hic à Domino ei apparente Euangelij textū, & baculum in signum dignitatis Archiepiscopalis accepit: pręterea in quodam deserto Ecclesiam construxit, & B. Patris Augustini Canonicos in ea constituit. Ex Volat. & Anton. Flor. p. 2. tit. 11. cap. 18. §. 11.

Ex Collegio Augustini Possidius, siue Possidonius Episcopus Calamensis, qui & ipse fuit eorum vnus, vt supra dicebamus, anno Domini 430. ex Ioanne Trithemio, & Orozco, plures scribit litteras, illo adhuc viuente, ad diuersas Ecclesias Episcopos assumptos, & multa in illis partibus huiusmodi Clericorum Monasteria erecta, quæ

posteri Canonias, & Canonicas aliquando dixerunt, & ab
ris consequenter ius nouum Canoniæ extremis quasi te-
poribus emanasse: Monasteria tamen Clericorum Asiam
prius habuisse, & Aegiptum testis est Eusebius: & quod
ero eius quoq; antiquiori interpretatione summi potest,
Calcedonense Concilium tempore Possidij.

Indè secutus est D. Prosper Aquitannicus, vir in diui-
nis scripturis eruditissimus, & in secularibus litteris nobi-
liter doctus; ingenio subtilis, assertione neruosus; vita, &
conuersatione sanctissimus; qui, vt scribunt Marcellinus,
& Gennadius, prius fuit vir à secretis, vel notarius Leonis
Papæ sanctissimi, & postea Episcopus Reginensis post Fa
uentium anno Domini 460. & ipse pro hac re communi
suo tempore laborauit apud Clericos, ostendens ad per-
fectionem spectare propriorum contemptum; & quæ sūt
Ecclesiæ communes facultates in cōmuni possidere cap.
expedit D. 1. 2. q. 1. ab eo sumptum ex cap. videntes ibidē
Vrbani: exemplificatq; pro hac sua sententia de Paulino,
& Hilario Pontificibus. Et hæc ex Gennadio in lib. de vi-
ris illust. ex Ant. Flor. 2. p. hist. tit. 2. cap. 2. Ex Volater. &
Io. Trith.

Gelasius Valerij Hiponēsis Episcopi, & proximi Aug.
prædecessoris filius, qui cum Augustino Hipone vixerat in
Monasterio discipulus, atq; Canonicus vna cum alijs nō-
nullis eiusdem Collegij socijs ab Africa in Italiam dela-
tus Romam deuenit, vbi cum à Leone Magno Pont.
perbenignè, perq; honorificè receptus, & in Lateranensi
Saluatoris Basilica primus, seu Præpositus constitutus
fuisset, eam primum in Canonicam regularem conforma-
uit: idest Apostolorum institutum, ac disciplinam iuxta
D. Patris Augustini regulam in ea redintegrauit, ordina-
uitq; Deindè verò cum Pontifex Max. designatus Ge-
lasius ipse fuisset anno Domini 492. incredibile propé-
modùm est, quantum Canonicum ordinem dilexerit, col-
uerit,

uerit, ornarit, amplificarit: etenim plures sanctissimus, & (vt ita dixerimus) verè Canonicus Pontifex in Vrbe Roma Basilicas, & ordinis huius Domos instituit, à quibus aliæ deinceps quamplurimæ passim in Italia quasi in lectissima Domini Vinea propagines subitò prodiere, quas nihil ad nos attinet in præsentia recensere. Eo autem existimationis, & sanctitatis Ordinem Canonicum reduxerat tunc Augustinus, vt quamplures ex suis Clericis ad Episcopatum deligerentur, & ordo Canonicus per Africam propagaretur, constructis præsertim Monasterijs à Barnaba in Agro Victoriano: à Seuero in Ecclesia Melleuitana; & à Possidorio in Calamensi. Cùm verò Gensericus Vuandalorum Rex Arianus Africam subiugasset, maxima strage Catholicorum, & Clericorum facta, plures Augustini Discipuli cum Gelasio Neapolim primùm, deindè Romam venerunt, & à Leone Papa idest humaniter (vt diximus) excepti, in Ecclesia Lateranensi iuxta exemplum primorum Clericorum Canonicum ordinem erexerunt, diutissimèq; per successores floruerunt. Ex his multi ob eorum præstantiam in Pontifices Max. electi sunt, inter quos, mortuo fęlice III. renunciatus est Gelasius, qui dedicatis Ecclesijs S. Eufemię mart. in Ciuitate Tiburtina, atq; SS. Nicandri, & Eleutherij in via Laurica-na, & S. Mariæ in via Laurentina in possessione Chrispi milliario 20. ab Vrbe, in his Canonicum ordinem locauit, alijsq; locis, vt dictum est, ampliauit, & priuilegijs decorauit.

Frigdianus in Hibernia Regis Vltonię filius, adolescēs admodum, perpendens illud Euangelij; Nisi renunciauerit quis omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus; relictis omnibus, ad Apostolorum limina properauit, & à Pelagio idest honorificè susceptus, super pelliceo clericali decoratur: Cum verò in Lateranensi Ecclesia breui, & in diuinis scripturis, & in canonica discipli-

ba eruditus esset, accepta à Pontifice benedictione, & sacris Decretis, quæ adhuc Canones S. Frigdiani appellantur, Euangelijs quoq; (tanta Dei gratia prędititis, vt si quis super ea periurasset, morte, vel amentia eodem anno mulctaretur) ad Patriam Insulam reuertitur; in qua insignem extruxit Ecclesiam, & ibidem Canonicum ordinem instituit. Postmodùm Lucam Hætrurię Ciuitatem adijt, vbi omni integritate conuersans, & doctrina fęcundans corda, omnibus carus fuit; Itaq; expetentibus Clericis, & mãdante Pontifice, lucensis Ecclesiæ Cathedram suscepit; vbi, Pręsul factus, Cænobium excitauit, quod post obitũ suum eius nomini dicatum fuit, vt ex Volaterano colligitur. Floruit frigdianus circa annos Domini 554.

Post hos Magnus Gregorius eam conuersationem per Augustinum Anglorum Episcopum statuit in Clericis Anglicis; Quæ fuit initio, inquit, Patribus nostris, in quibus nullus eorum, quæ possidebat, proprium habeat; Sed erant illis omnia communia, quod habetur in Decretis à Gratiano cap. quia tua fraternitas 12. q. 1. Angli enim tunc primum sub hoc Gregorio Christianam fidem receperunt. A' quibus verè doctoribus sanctissimis decreta Patrum suorum, vt fatetur ipse Gregorius, ad nos trãsmittentibus; reliqua omnia excepta dignoscuntur pro horũ Clericorum reformatione, quæ habentur per tempora vsq; in hodiernam diem. Hic Pontifex Greg. in sedem assumptus est anno Domini 590. & primus, vt reor, Canonicos nũcupauit. Quòd huiusmodi ordinem Clericorum Reg. in Occidentis finibus instituti demandarit, habetur expressè q. 1. & ea. cap. 12.

Ex Concilio Toletano per Eugenium idest qui assumptus est ad Pontificatum anno Domini 654. habita fuit in eo noua reformatio Clericorum. Cuius est illud cap. necessaria 12. q. 1. In quo, inquam, concilio Toletano facta fuit reformatio generalis tam Canonicorum huius-

modi,

modi, quàm Monacorum, quod est videre per aliud cap. placuit 16. q. 1. eius etiam concilij cap. omnes ætas 12. q. 1.

Dehinc ex concilio Maguntino, & Aquesi, prius tamẽ Romæ auspicato sub Leone III. anno Domini 804. Carolo Magno assistente, & finito in Aquisgrano sub Ludouico eius Caroli filio sub annum salutarem 816. indi. 10. & Imperij sui anno III. in quo editum fuit opusculum 26. capitum pro præfata altera reformatione generali Clericorum, & Monacorum; & pro Clericis inserti sunt sermones illi de vita clericorum Augustini, & eius speculum, dehinc regula Augustini appellatum: In quo etiam opusculo appellati sunt Canonici Clerici, vt de consec. d. 5. cap. In omnibus: pro Monachis autem extat inter alia capitulum quia iuxta 16. q. 1.

Gregorius itẽ Papa VI. coronatus anno Domini 1045. collegit librum decretalium, & in suis decretalibus de hoc ordine plura contexuit, & contexta pariter ab antiquioribus multa recensuit, & de regula D. Augustini ex posterioribus decretalibus, vt innuitur, inter iura extendit.

Alexander 2. antea Anselmus Badagius, regularis Canonicus Lateranensis Monasterij, postea lucensis Episcopus, demum Pontifex creatus anno Domini 1061. Ordinem Canonicorum regularium S. Augustini, teste Honuphrio, Romæ luce, apud S. Frigdianum, & alibi in Italia restituit. Recenset præcipuè decreta Leonis IX. pro hac re confirmantis illa omnia Eugenij I. & dehinc Nicolai II. quæ suo tempore data legatione Petro Damiani Rauennati Ecclesiæ Romanæ Cardinali, & Episcopo Hostiẽsi mulctauerat pro noua reformatione plerosq; ex Episcopis, & Clericis Cisalpinis: aduersus quos, præter alios auctores, extant ipsius Petri Damiani Epistolæ ad Taurinensem Episcopum; quas si interpretari volueris in

refor-

reformationem clericorum sæcularium, id certè numquã poteris in his, quæ constant ad Episcopum Besuntinum; in quibus apertè innuit ab eo tunc erectam Canonicam proprio in Episcopatu, & duas alias extra Episcopatum: Vbi candidus, inquit, Clericorum tuorum cętus, tanquam Chorus nitet Angelicus, vbi in cælestis veluti Athenę gymnasio sacrarum scripturarum erudiũtur eloquijs; vbi veræ phylosophię solertes incubant studijs, seséq; regularibus exercent quotidiè disciplinis. Sumuntur hęc cap. præter hoc d. 32. d. cap. necessaria Eugenij. 1. supradicti 12. q. 1. ascribitur etiam Leoni IX. qui illud ad literam iterum promulgauit. De Nicolao II. prędicto, & de præfata eiusdem legatione vide Blondum, qui etiam refert hanc mulctationem Clericorum; vnde post obitum Nicolai sub eo Alexandro II. suborta est pestis illa Cadulensis, de qua Petrus Damiani multotiès in suis epistolis mentionem facit.

Gregorius quoq; VII. qui anno Domini 1073. Pontifex creatus fuit, de Clericis regularibus statuit; Vide extra de vita, & honest. Cler. cap. quoniam; & idem sub eadem tempestate in hoc passim negocio à plerisq; alijs elaboratum est intra annum salutarem 1100. quæ eius sęculi reformatio vbiq; maximè inualuit in Italia, & extra Italiam: lege Vincentium historiographum: Archiep. Flor. & Fasciculum temporum pro hac tẽpestate. Floruit sub hoc Pontifice S. Bernardus ex Augustana ciuitate nobilis Canonicus reg. in venerabili Canonica B. Vrsi eiusdem Vrbis Episcopi. Hic Pont. reformauit Ordinem Canonicum S. Aug. anno eius Pontificatus X. sedente Bernardo Bononiensi Episcopo, in Rhenana Canonica tertio ab Vrbe Bononia milliario; sed cum supradicti Pontificis Apostolica documenta, & cætera eius Canonicæ instrumenta ob vetustatem, & incuriam temporum non inueniantur, ipsius Canonicæ mentionem faciemus paulò infra, cum

de

de alia eiusdem reformatione tractabimus. De hac prima reformatione vide apud Carolum Sigonium in lib. de Bononiensibus Episcopis.

In Gallijs Arnulphus, siuè vt alij dicunt, Ruphus, & secundum Platinam Rodulphus Canonicus reg. Bonon. qui Bononia in Gallias pergens, & ex Abbate creatus Episcopus Lugdunensis reformauit hunc Ordinem in multis, immò in omnibus illis partibus, & supra 200. loca, & Abbatias Canonicorum reg. erexit, de quibus S. Ruphi Abbatibus scripsit Vrbanus 2. 19. q. 3. cap. mandamus; & statuimus; vbi dicitur Abbati S. Ruphi, &c. Cuius institutum in multis quoq; tâm in Italia, quàm extra Italiam Monasterijs receptum est. In Italia quidem multos ex nobilitate Romana ad se traxit, qui eum tamquam verum Christi discipulum, & Prophetam sequebantur; vnde & in Hætruria multa regularium Monasteria erexit. Romæ secretò occisus est, nec vnquam tanti sceleris inuenti sunt auctores. Cui Ruphio pòstmodum inter Diuos relato dicata fuit Abbatia sub eodem ordine apud Valentiam. Ex ea etiam Abbatia dicunt prodijsse Anastasium Papam IV. anno Domini 1153. coronatum. Floruit Ruphus anno Domini 1074.

Præ cæteris autem sanctissimis viris anno Domini 1080. floruit apud Burgundiam in Belluacensi Ecclesia Canonici ordinis professor Iuo, vir in diuinis scripturis exercitatus, & Canonum Sanctorum Patrum, ac generalium Conciliorum cautissimus interpres, nec minus sanctitate, quàm scientia colendus; scripsit post Burcardum Vormaciensem Episcopum ex Canonibus sanctorum cōpendiosum decretum, quo ante Gratiani tempora vtebantur Iuristæ, vt prænotauit Panormitanus ex Ant. Flor. 2. p. tit. 15. cap. 16. §. 7. His fuit Præpositus primùm Ecclesię S. Quintini Belluacensis, decretorum abbreuiator post Isidorum ante Gratianum, dicunt alij postea Episcopus

Carnutensis, & Cardinalis Imperante Henrico IV. fuit alius Iuo, quem Iurisconsulti vnicum sanctum populari errore haberi dicunt.

Sub Pascali II. anno Domini 1099. summo Pont. creato, & prius Canonico regulari Lateranensi, Petrus Portuensis Rector Ecclesię Portuensis apud Rauennates, ibi Clericorum ordinem scilicet regularem instituit: cuius hortatu Petrus Damiani Rauennas regulam pro Clericis Portuensibus composuit, sicut iam pro Monachis ediderat alteram. Hanc Petrus ipse Portuensis Pascali II. direxit emandandam, quam etiam per rescriptum confirmauit præfatus Pontifex anno 1102. Hanc posteà suscepere quàmplures Canonici regulares, quæ istorum regula est pro superadditis suæ regulæ constitutionibus, vt S. Vbaldus Egubinus in suo Monasterio, & deindè in Episcopio. Canonici Rhenenses propè Bononiam; Nicosienses in Agro Pisano; Ferrarienses in Monasterio S. Mariæ à Vado; de quibus omnibus intra suis locis dicemus.

Sed quæritur an idem sit Petrus Damiani, qui & Petrus Portuensis Prior (vt aiunt) primus: Multi enim vnũ, eundemq; fuisse crediderunt; sicut & ego credidi aliquando. Francisci Petrarchæ, & aliorum non minoris quidem existimationis Doctorum confisus testimonio: Sed omninò est falsum. In quo igitur differant, distinguanturq; : in quibus autem conueniant, & quæ erroris, & deceptionis causa fuerit, breuibus aperiam. Vterq; scilicet Petrus; vterq; Rauennas; ambo sanctissimi, & venerabiles valdè viri, sanctæq; conuersationis habitum gestantes, & religiosissimi: circa eadem claruere tempora, & si non præcisè, vt patebit in differentijs. Quod autem fuit potissimum, quo deciperentur, cum de eis loquerentur homines; est, quod ambo veniunt nuncupatione peccatores. Sed innoleuerat illius temporis, & Aeui consuetudo, quòd religiosi viri omnes ex mansuetudine, & sui ipsius deiectio-

ne,

ne, quæ maximè tunc inter Ecclesiasticos vigebat viros, sic se communiter appellarent.

Vidi ego non pauca super hoc documenta ex classensi vetustissimo Monasterio, atq; sacra ex Eremo Camaldulensi sanctissimi Saluatoris de fonte bono Aretinæ Diœcesis. Frater G. peccator Monacus Camaldulensis, & Abbas Classensis; & de alijs quàmplurimis. Hæc quantum ad cōmunia, & ad ea, in quibus conueniunt, sufficiant. Nunc attendamus propria.

Petro Damiani propria sunt hæc; videlicet: Natus est Rauennæ ex obscura, & paupere familia, honesta tamen, nutritus à Damiano frate, vnde & cognomen suscepit, sic enim ab alijs appellabatur Petrus Damiani; at re vera se ipsum tantùm appellat Petrum; Doctor erat egregius, & scolas in sæculo regebat: stylum habet ei D. Gregorij simillimum: plura edidit volumina, atq; opuscula egregia, & curiosa valde: epistolas ad diuersos; tractatus, sermones, Homilias ad populum, & his similia. Clericus & ipse regularis fuit dum iuuenis esset apud patriam in Monaste rio Portuensi, sacris litteris operam nauauit, in quibus cùm satis profecisset, & plures etiam discipulos in sæculo doctissimos fecisset, æmulatus Romualdum Monacum Conciuem suum, Camaldulensis Eremi auctorem, quem prius nouerat apud classem, alterum Monasterium non procul à Portuensi ad eam Eremum conuolauit; quam Auellanam dicunt apud Vmbros. Huius Romualdi Damianus ipse composuit historiam; quæ typis excussa circumfertur vnà cum regula Eremitica, quam similiter edidit suis Eremitis. Illa igitur ex Eremo fama eius Damiani diffamata sub opinionem magnæ sanctitatis irretitus est (vt suo verbo vtar) sub illas infulas, Cardinalatum scilicet, & Episcopatum à Stephano IX. quibus non longè post cessit sub Nicolao reuersus ad suam solitudinem; vbi rogatus, cum multa quotidiè ederet pro reformandis

vtriusq; ordinis Canonici,& Monastici moribus, compilauit regulam conclericis suis olim Portuensibus ex ea conuersatione, quam fatetur apud illos olim sine scriptis, sed in cordibus tantum exaratam regulam iuxtà Apostoli sententiam, communiter duxisse; & eam tribus libris complexus, confirmandam Petrus ipsa Portuensis pro se, ac suis Canonicis obseruandam Paschali Pontifici huius nominis 2. obtulit, adhibitis etiam litteris ipsius Damiani ad eundem Papam commendatitijs, vt manifestè in ipso libello apparet. Hæc Petro Damiani sunt propria. Nunc alterum accedamus.

Petrum Portuensem putant ex nobili,& clarissima Honestorum familia ortum, quod non improbo, sed compertum non habeo. Clericus fuit semper, nunquam Monacus: primus Portuensis Rector, qui & ibi Ordinem Canonicum regulariter instituit: sed nunc pro Clerico Canonicum, pro Rectore Priorem volunt. In Corregio maiori Rauennæ habetur instrumentum donationis Ecclesiç Portuensis factæ à D. Ioanne Abbate S. Ioannis Euangelistæ de Rauenna huic Petro Portuensi primo Rectori, & omnium Iurium, quæ acquirere poterat in futurum, factũ 11. Apostolis 1108. Ind. 1. manu Petri Rauennatis Notarij,& renouatum, seu transumptum à Ioanne Notario Rauennate anno 1183. die octaua Maij, ind. 1. Nomen fundi, vbi est Monasterium Portuense dicitur Corregium, ad differentiam alterius fundi, non procul distantis à præfato Monasterio de eius etiam iure dictum Corregiolum, idest Corregium minus. Et sunt quædam Palludes illis in locis, vbi est Coria, vnde sic nuncupabantur. Obijt tandẽ Rauennæ Petrus in suo Portuensi Monasterio in præfata Basilica ad leuam ingredientibus, vel egredientibus ad dexteram; ad latus Turris Campaneriç, sepultus 4. Kal. Aprilis anno 1119. in senectute bona. Hæc de ipso Petro Clerico Portuense.

Vide igitur hic semper Clericus, & Portuensis Rector primus. Petrus autem Damiani primùm Clericus, deindè Monacus,& Heremita Cardinalis,& Episcopus,& iterum Eremita fuit. Hic obijt Rauennæ; ille Faueutiæ: Hic 4. Kal. Aprilis; ille 8. Kal. Martias: Hic anno 1119. ille ante annum MLXXX. Hic in Basilica Portuensi; ille in Basilica S. Mariæ, tunc foris muros Fauentiæ, nunc autem intrà, sepultus est. Hęc sanè omnem tollere videntur æquiuocationem,& deceptionis causam.

Affluit & Nothebertus Gelasij 2. & Calixti 2. non longè post suffultus præsidio, ac etiam Lugdunensis Episcopus, cui specialiter commendatus est Ordo Canonicus, & à pręfatis Pontificibus fauorem habuit in reformatione regulę B. Augustini. Vide Guglielmum Peraldum Lugdunensem ordinis Prędicatorum in tractatu de reformatione cap. 2. Gelasios verò Papa 2. coronatus est anno Domini 1118. & Calixtus 2. an. Dom. 1119.

Nec defuit Vgo ille de S. Victore in pręmissa Abbatiali Canonica Parisina summus Theologus, vir in diuinis scripturis eruditissimus,& in sæculari philosophia nullo priscorum inferior, qui velut alter Augustinus celeberrimus Doctor est habitus; ingenio subtilis, & ornatus eloquio; nec minus conuersatione, quàm eruditione venerãdus. Fuit autem natione Saxonus,& claruit sub Honorio 2. qui coronatus fuit Pontifex anno Domini 1124. ex Anton. Flor. par. 3 tit. 18. cap. 1.

Non defuere item extremis propè temporibus eiusdẽ ordinis Canonici, & Præpositi eiusdem Abbatiæ, duo Thomę, quos legimus pariter excerebratos pro defensione Iurium, & facultatum Ecclesiæ, quorum vnus fuit Archiepiscopus ille Cantuariensis,& martyr in hac Ecclesia Anglicana, qui in Clericis suis vitam communem, atq; canonicam stabiliuit: alter fuit canonicus professus,& Prior in Abbatiali Canonica S. Victoris Parisini, cuius casum

non

non absq; lachrymis exarauit D. Bernardus. Fuere alij permulti studio, & sanctitate clarissimi, qui hanc Abbatiam celebrem fecere, de qua habetur extra de elec. cum dilecti. & de rescrip. cap. ex insinuatione. & de testim. cap. significarunt. Scribitur eiusdem Priori.

Anno 1120. in Lugdunensi Dięcesi, in loco, quem Praenonstratum vocant, apparuerunt Praemonstratenses, auctore altero Norberto quodam Pręsbitero, natione Lotaringo; qui hoc arctissimum vitae genus ex Augustini ordine quaeritans à Calixto 2. similiter impetrauit. Hic Praenonstratensium ordo à Notberto Episcopo iam citato in hoc institutus est, vt lapsus ordo Canonicus Augustini suas detergeret sordes, & huius Notberti, suorumq; Asseclarum exemplo meliorem formam indueret.

Sub Honorio 2. Bononiensi, & prius Canonico Rhenano Vbaldus nobili prosapia Eugubij ortus, Patre defuncto, cuius vnicus fuerat, apud Ecclesiam S. Secundi iuxta eamdem ciuitatem sitam, litteras puerulus didicit, & Clericus ipsius Ecclesiae factus, eã in tantũ dilexit, vt ipsã postea de paupere diuitẽ, & de saeculari fecerit regularẽ. Deindè maiori Ecclesiae ab Vbaldo Patruo tutore traditus, sic ibi morabatur, & ita sacris scripturis, & diuinis operibus intentus erat, vt ab omnibus diligeretur. Sacerdotij gradum conscendens, omnia sibi à Patre relicta diuidens, modicam partem consanguineis dedit, reliqua omnia pauperibus, & Ecclesiae tribuit. Cum enim ciuitas tota quasi incendio conflagrasset, Ecclesiam S. Secundi cum Claustro, & domo igne consumptam, de proprio reparauit, eam regularium Canonicorum Monasterium instituit, praedijs dotauit, ibiq; regulariter viuere cępit sub obseruantia regulae Petri Damiani Rauennatis. Mortuo Perusino Episcopo, Vbaldus deligitur; sed ad Eremum fugiens, tamdiù latuit, quamdiù alius subrogatus fuit. Alibi etiam electus, pedester Romam profectus est, & ab

ipso Honorio 2. instantia multa resignationem obtinuit: ab eodem demùm electus in Episcopum Eugubinum anno Domini 1130. vsq; ad tempora Alexandri 3. superuixit, omni vitæ sanctitate, & miraculis clarissimus: Præcipuè verò fugans Dæmonia. Corpus eius, quod in vita incredibili abstinentia maceratum, tribulationibus fatigatum, & minutissimis vlceribus infectum per multos annos fuerat: post mortem nulla corruptione inuentum est maculatum: & quòd sanie intolerabili effluebat, tùm suauissimo flagrans odore ab Episcopis Perusino, Castellano, & Calliensi honore debito sepultum est in altera Canonica Eugubij iuxtà muros Ciuitatis, vbi vsque in præsens incorruptum omninò requiescit.

Anno 1136. 6. Kal Septembris Innocentius Papa 2. qui fuit Canonicus, & ipse Regularis; anno sui Pont. VII. cùm esset Pisis, Ordinem Canonicorum reg. D. Augustini in antiquissima olim Canonica S. Mariæ de Rheno Bononiæ reformauit; acciditq; id præcipuè in Vigilia S. Augustini Canonicorum reg. almi Patris; quò ad reformationem ordinis. Fuit autem Priuilegium ipsius Innocentij sequentis tenoris.

Priui-

Priuilegium Innocentij Papæ II. pro reformandis Canonicis Rhenanis. Cap. III.

INNOCENTIVS Episcopus seruus seruorũ Dei; Dilectis filijs Guidoni Priori,& Fratribus in Ecclesia B. Mariæ de Rheno Regularem vitam professis tàm præsentibus, quàm futuris in perpetuum. Quotiès illud a nobis petitur, quod rationi,& honestati noscitur conuenire, animo nos decet libenti concedere, & petentium desiderijs congruum impertiri suffragium: Proindè, dilecti in Domino filij, vestris rationabilibus postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam B.Mariæ, in qua diuino vocatis seruitio, Apostolicæ sedis priuilegio communimus, statuentes, vt ordo Canonicus, qui secundùm almi Patris Augustini regulam in vestra Ecclesia noscitur institutus,perpetuis futuris temporibus ibidem inuiolabiliter conseruetur; Prætereà quascumque possessiones,quęcumq; bona in præsentiarum eadem Ecclesia iustè, & canonicè possidet; quæcumq; etiam infuturum concessione Pontificum; largitione Regum, vel Principum; oblatione fidelium,seù alijs iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci,firma vobis,vestrisq; successoribus, & illibata permaneant. Porrò,quia iuxta sacræ scripturæ testimonium Decimæ sunt tributa egentium animarum, & religiosæ personę,quæ de aliorum eleemosinis,seu beneficentia solent viuere,de rebus suis non debent molestias sustinere;decernimus,vt de laboribus,quos proprijs manibus, aut sumptibus colitis, vel etiam de nutrimentis vestris nullus à vobis Decimas exigere,vel suscipere audeat. Liceat

ceat etiam vobis, Clericos, siue laicos à sæculo fugientes (dummodò nulli conditioni teneantur obnoxij) ad conuersionem suscipere, & iuxta Canonicæ institutionis regulam in vestro collegio retinere. Nullus ergo hominum eamdem Ecclesiam audeat temerè perturbare, vel eius possessiones auferre, aut ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestijs fatigare; sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum sustentatione, & gubernatione cõcessa sunt vsibus profutura (salua nimirum Diœcesani Episcopi debita reuerentia) si quia igitur in posterum Ecclesiastica, sæcularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam, sciens contra eam temerè venire tentauerit, secundò, tertiòuè monita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit; potestatis, honorisq; sui diguitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat; atq; in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenùs, & hic fructus bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Datum Pisis per manum Aimerici S.R.E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarij 6. Kal. Septembris Indictione 14. Incarn. Dom. anno M. CXXXVI. Pont. Domini Innocentij Papæ 2. anno 7.

Tunc enimuerò ipsi Canonici Rhenani Petri Damiani regulam, de qua paulò ante dicebamus, hortatu huius Pontificis, qui fuerat eiusdem ordinis Concanonicus, & ad instantiam Ven. Frat. Gerardi de Caccianimicis de Bon. eius Canonicæ Rhenanæ Præpositi sub Prioratu Ven. Frater Guidonis, tum suscepere pro suis constitutionibus. Ipsum autem Petrum Damiani S.R.E. Portuensem

rem Episcopum, & Cardinalem ob singularem vitæ sanctitatem, egregiam eruditionem, ac Zelum & Ecclesiasticæ disciplinæ, Hieronymum iuniorem appellabat ipse Innocentius Pontifex; & Rhenani Canonici summa in veneratione illum habebant.

Dicebantur quidem Canonici Rhenani à Monasterio S. Mariæ de Rheno, quod olim inter famosissimas Italiæ Canonicas numerabatur, fundatum intra tertium lapidē à mœnijs ciuitatis citra Pontem Latericium à parte inferiori in loco, qui dicitur Casalecclum erectum principiò opera, ære, & studio ipsorum Canonicorum: Quod constat ex priuilegijs indulgentiarum, quas ad ipsorum instātiam Romani Pontifices porrigentibus manus adiutrices condonarunt: cum locus ille, vt in litteris dicitur, esset quandoq; transeuntibus valdè periculosus; claudebaturq; intra flumem Rheni, & nouum Alueum, quo magnam fluminis partem Bononienses paulò superius deriuantes in ciuitatem subducunt: erat & vetustior alueus vterq; ab Incolis Nauigium appellatus, recentior effossus inter Monasterij hortos, nonnullis etiam propterea diruptis officinis: diuiditq; medius plura Monasterij Prædia. Ipsum itaq; pontem cum eius possessiunibus, illic etiam tunc acquisitis, ob illius perpetuam conseruationem pleriq; Pontificum inter alia bona Monasterij connumerauerūt; At Bononienses cum sibi, & omnia eius iura postmodū adiudicarunt Decreto perpetuo, quòd lapide marmoreo incisum adhuc fixum legitur in eo loco, quo à Prætore ciuitatis iura publicè redduntur. Ab anno autem 1183. ijdem Canonici ob gloriosam Deiparæ Imaginem, quæ tunc miraculorum gloria clarescere cæpit, ipsa in Ecclesia, quæ prius Canonica S. Augustini dicebatur, splendoremq; suum iugiter per multos annos auxit, quosq; anno 1395. eadem Ecclesia, & Canonica bello disturbata, deniq; deuastata fuit, eamdem Canonicam suam, & Eccle-

ſiam ad Rhenum ſub nomine S. Mariæ conſtituerunt ſe-dente Bernardo Bononienſi Epiſcopo. Lege Carolum Sigonium pag.71.de Epiſc.Bonon. Quò ſcilicet omnes circum ciuitates in Fœſto Aſſumptionis ipſius Virginis Auguſtæ confluebant; cùm vt perſoluerent vota ſua, tùm pro commutandis,vendendis,aut emendis mercibus,quæ illò apud ipſum locum vndiq; comportabantur, tãquam in commune illarum omnium partium Emporium; durabatq; per dies decem abſolutè. Anno item 1221. ex Carolo Sigonio ibidem pag. 114. Canonici Rhenani auxerunt Eccleſiam, & Canonicam eamdem ſuam, quæ ab Vgolino Cardinali tunc Bononiæ Legato conſecrata fuit die 2. Iulij in fœſto Viſitationis B.Mariæ,præſentibus D. Henrico Bononienſi Epiſcopo: & D. Mainardo Immolenſium Epiſcopo, ambobus quidem Canonicis de Rheno,& cum pluribus Clericis Bononię ciuitatis. Dicta Canonica demùm anno M.D.LXXX. die 3. Maij à Canonicis S. Saluatoris de Bononia reſtituta fuit ſuo magno ære proprio, ſuper ijſdem fundamentis,& auctoritate Syxti Papę V. denuò in Prioratum erecta. Vt autem Canonicos S.Saluatoris de Bononia eoſdem eſſe Rhenanos intelligas,non ignorato qualiter poſt ſuſceptam reformationem,& regulam prężfatam ab Innocentio 2.in ipſo Monaſterio Rhenano videlicet anno 1136. Auliuarius, ſiuè Oliuarius Bononienſis, eiuſdem Monaſterij Canonicus, Diaconus, tum Cardinalis, & ipſius Innocentij ſecretarius alterum in ciuitate à ſolo excitauit,vnà cum Eccleſia Monaſterium, atq; ſub titulo D. Saluatoris dicauit in loco, qui dicebatur Campus longus: Erat autem locus ille de iuribus Abbatiæ S. Bartolomęi de Ferraria pro directo Dominio: proutili vero Monaſterij S. Mariæ de Rheno, vbi Hoſpitium erat, quò diuertebant Canonici ipſi Rhenani,cum in ciuitatem proficiſcerentur pro obeundis quotidianis negocijs. Edificauit ſcilicet de nouo totum

Mona-

Monasterium: At Ecclesiam tantummodò restaurauit, ac redintegrauit cum esset Parrochialis multis ante sæculis; quod probatur, quia de præfato Auliuario extat in instrumento facto anno Domini 1139. die 12. Nouembris per Aimericum Tabellionem sub numero 4. vbi antiquitas simul, & nobilitas huius Ecclesiæ S. Saluatoris dignoscitur, apud quam instrumentum præfatum celebratum dicitur; vocantur quoq; Iura S. Saluatoris mundi, quæ vnita ab initiò fuit Canonicæ Rhenanæ in venditione domus cuiusdam instrumento rogato per eumdem Aimericum Notarium 1139. die 13. Nouembris sub num. 5. Quoquo autem modo verificatur ędificata de nouo ab ipsomet Auliuario dicta Ecclesia ob insignem eius restauratioñ; ædificata verò fuit in honorem Saluatoris Mundi ob pręcipuam illorum Canonicorum deuotionem erga ipsum, eo præsertim miraculo, quod in Beryto ciuitate Siriæ factum est sacrà in eius imagine, dum à perfidis Iudæis turpiter, atq; crudeliter suarum more maiorum, & clauis, & lancea transfixus fuisset; ex qua statim effluxerunt sanguis, & aqua; quibus peruncti, & perfusi omnes infirmi, paralitici, cæci, surdi, ægrotantesq; vniuersi protinus fuere sanati. Refertur hoc miraculum à D. Athanasio in secunda Synodo Nicena Actione quarta; Quare dedicarãt olim Patres in sua Rhenana Ecclesia præcipuum altare adhuius miraculi Saluatoris gloriam, & celebritatem perpetuam, fæstiuitatemq; per singulos annos quinto Idus Nouemb. (eo namq; die accidit quidem Iconæ pręfatæ miraculum) non minori solemnitate, quàm Natalis eiusdem Saluatoris concęlebrabant: Magis autem accreuit huius miraculi deuotio, quòd ipse Oliuarius ab Innocentio præfato Pisis acceptam donò Ampullam ipsius sanguinis miraculosi eius nomine Pontificis detulit, nouãq; postea in Ecclesiam Bononiensem transtulit, quam idcircò sub titulo Domini Saluatoris dedicauit die 25. Maij;

quo

quo die solemnitas præfati miraculi in posterum semper cælebrata fuit apud ipsos Canonicos Rhenanos, & nostrã Congregationem: Pro cuius etiam postea cælebratione habitum fuit indultum ab Alexandro Papa VI. eius viuę vo cis Oraculo ad instantiam Illustrissimi Cardinalis Frãci sci Piccolominei Senensis tum Protectoris nostræ Congregationis, aliàs verò Pontificis Max. sub nomine Pij 2. Vt fęstum Iconis Saluatoris in dicta Bononiensi Ecclesia cælebraretur in vltima die Dominica Mensis Maij, attento quòd in ipsa celebratione fœsti præfati aliquando occurreret solemnitas Pentecostes, aut Corporis Christi, aut Ascensionis Domini, vel quatuor temporum, propter quod oporteret tunc dictum fæstum ad alium diem sequentem transferri; qua ex re celebritas huiusmodi, & eius deuotio populi ammodò diminueretur. Ita igitur huiusmodi impedimento occurrere, & tàm Religiosorũ prædictæ Congregationis, quàm ciuium dictæ ciuitatis commoditati, & consolationi visum est consulere; quod habitum fuit Romę sub anno à Natiuitate Domini 1503. die verò 15. mensis Aprilis. Hoc idem templum S. Saluatoris à Patribus restitutum Mattæus Rosa Tannensis Episcopus dedicauit anno Domini 1478. die 12. Martij. Anno verò 1517. die 20. Octob. Frater Nicolaus Buccaferreus Bon. Prior, & Frater Pellegrinus de Fabbris Bon. Visitator viri profectò sanctissimi, & Religionis amatores pręcipui, qui pluriès summum Magistratum gessisse leguntur, fabricam Monasterij, quòd nunc nobili, ac propè mirabili structura ędificatum cernimus, concorditer incęperunt. Quam postea vsq; ad finem deduxerunt Frater Angelicus Grossus Bon. & Frater Florianus Cedropianus Bon. Patres quidem & pietate, & doctrina, & supremis dignitatibus celeberrimi apud omnes. Non omnittam quoq; in gratiam eiusdem Ecclesiæ nostræ S. Saluatoris Bononiæ, quod anno 1532. die 30.

Decemb.

Decemb. qua die colunt Hispani translationem B. Iacobi Apostoli, Carolus V. Imperator, qui tum erat Bononiæ, ac præfatæ Ecclesiæ deuotissimus; eo die cum suis Commilitonibus Ordinis S. Iacobi de Spata num. 120. interfuit solemni Missę ipsius nomine decantatæ à suismet cantoribus hac sacra in æde, inserta declamatione Hispano idiomate. Stabat autem Imperator in Capella maiori, seu Tribuna in partę sinistra cum suis Heroibus, siue Baronis, Oratoribus, & Legatis Principum apud Maiestatẽ eius, & Aulicis principalibus: Commilitones verò ipsius ab ipsa Tribuna ad portam vsq; principalem Ecclesiæ duas in acies diuisi hinc inde, & in vestimentis albis seu cappis suis rubea cruce in modum spatæ signatis constituti: res quidem visu iucundissima, longèq; admirabilis. Missa celebrata, & facta sacra Communione generali, fuerunt admissi Reuerendissimus Pater D. Angelicus de Grossis Bononiensis tunc Prior Generalis Congregationis. Reu. Pater D. Florianus de Cedropianis Bon. Prior Monasterij, cum omnibus suis Canonicis num. 26. Sacerdotibus ad reuerentiam specialem, atq; personalem ipsi Cæsari solemniter exhibendam; quos omnes, atq; singulos ipse libentissimè, atq; hilari vultu in suos amplexus, atq; singularem protectionem accepit. Postremò Frater Cæsarius Bergomensis Abbas S. Cæciliæ de Crouaria Procurator eiusdem Monasterij S. Saluatoris, genuflexus ante ipsum Imperatorem, duo Priuilegia, vnum Federici primi, alterum Henrici VI. Rhenanæ Canonicę Protectorum, obtulit, & humillimè confirmari ab ipso Carolo expostulauit. Quę proprijs manibus imperialibus constringes ipse Cæsar inter manus d. Procuratoris alta voce confirmauit, & reformari mandauit, vocato ad se Illustriss. Secretario suo, & Magno Commendatore D. Francisco Couos Hisp. pro celeri expeditione: Et cum vellet dictus Procurator post gratiarum actiones vestem ipsius Imp.

Imp. deosculari, noluit ille; immò amplexatum eum, deosculatus est, atq; deuotè sese Orationibus eius, & Patrū omnium fidentissimè cōmendauit. Accepto autem quàm celeriter præfato Priuilegio in bona forma, vt desiderabatur, ipse Procurator hęc omnia tum in Lapide Macineo expressa, in dextris Tribunæ, vbi peracta sunt, ad perpetuam eius Ecclesiæ gloriam, sculpenda, atq; infigenda curauit; durantq; in hodiernum vsq; diem integerrima. Fuit autem Priuilegium dicti Caroli V. sequenti tenoris.

Priuilegium Caroli V. Imp. Pro Rhenanis Canonicis. Cap. IIII.

CAROLVS V. Diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus, ac Rex Germaniæ, Hispaniarum, vtriusq; Siciliæ, Hierusalem, Vngariæ, Dalmatię, Croatiæ, Insularum Balearium, Sardiniæ, Fortunatarum, & Indiarum, ac terræ Firmæ, Maris Oceani, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundię, Lotoringiæ, Lymbargiæ, Lucēburgiæ, Gheldriæ, Vuietembergiæ, &c. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tirolis, Archesiæ, & Burgundiæ, Palatinus, Hannoniæ, Holandiæ, Zelandię, Ferreti, Chiburgi, Namurtij, & Zuiphanię, Lantegrauicis, Altatiæ, Marchio, Burgonię, & sacri Romani Imp. &c. Princeps Sueuiæ, &c. Dominus Phrigiæ Molincę, Salinarum, Tripolis, & Mechliniæ, &c. ad perpetuam rei memoriam. Recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium vniuersis Imperialis celsitudinis dignitatem ob id potissimum ab omnium Regum Domino, nobis concessam credimus, vt personas diuino cultui deditas, & quos propria voluntas propter ipsius Dei amorem inopes facit existere, atq; in pręsenti sæculo abiectos remanere, attentius debeamus defen-

defendere, atq; sub nostra imperiali protectione congruis honoribus refouere. Quocircà cum iam ab expeditione aduersus Christianę fidęi Hostes Turcas in hac Bononiensi ciuitate vnà cum sanctissimo in Christo Patre, & Domino, D. Clemente Papa VII. conuenerimus pro Christianæ Reip. ampliatione, concordia, tuitioneq; & vt sanctam, & immaculatam Christi fidem, & Catholicam Ecclesiam ab immanium Turcarum direptionibus liberam, atq; à perfidorum Hæreticorum insidijs tutam, & inuiolatam Deo Optimo Maximo opitulante reddamus; & nobis honorabiles, ac Religiosi deuoti nobis dilecti Frater Florianus de Bononia Prior Monasterij, & Canonicæ S. Saluatoris Ord. S. Aug. huius ciuitatis; & Frater Cæsarius de Bergomo Abbas Grouarię ipsius Monasterij Oeconomus, & Procurator; atq; alij eius Monasterij, & Canonicæ Religiosi Canonici regulares Congregationis S. Saluatoris, nobis humiliter supplicauerint, quatenus Priuilegia, gratias, Immunitates, Exemptiones, & Indulta hactenus eidem Monasterio, & Canonicis à D. Memoriæ Federico 1. Imperatore, & Henrico 7. eius filio tunc Romanorum Rege prędecessoribus nostris concessa, confirmare, innouare, & ampliare dignaremur; quorum Priuilegiorum tenores sequuntur in hæc verba.

Federidus Dei gratia Romanorum Imp. Aug. omnibus Imperij nostri fidelibus pręsentibus, & futuris notum esse volumus, quomodo Nos, fratres, & Canonicos Ecclesiæ S. Mariæ de Rheno, & eorum Possessiones, & bona omnia eis pertinentia, & homines, & Colonos eorum in nostram tuitionem, & protectionem suscepimus. Statuentes, & imperiali auctoritate firmiter præcipentes, vt nulla persona parua, vel magna, sæcularis, vel Ecclesiastica prędictos Canonicos molestare audeat, vel bona eorum diripere, aut super homines, & Colonos eorum aliquas iniustas exactiones extorquere. Quicumq; igitur ausu

teme-

temerario contra hoc nostræ auctoritatis præceptum facere prçsumpserit, nostram offensam sciat se incursurum; & pro pçna libram auri Ecclesiæ, & Canonicis componet. Datum VVit, &c. Vurg.

Henricus 6. Diuina fauẽte clemẽtia, Romanorũ Rex, & sẽper Augustus ad çternç vitæ remediũ, & prçsentis Regni nostri incremẽtũ credimus accedere, si Dei Ecclesias, & Ecclesiasticas personas ab iniustis exactionibus, & à malignantiũ temeritate defensamus, & earũ cõmoditatibus, & vtilitati piè intendimus; ea propter notũ fieri volumus vniuersis Imperij nostri fidelibus, tàm præsentibus, quàm futuris: quod nos diuinæ retributionis intuitu Ecclesiã B. Mariç de Rheno, & Fratres, & Canonicos ibidẽ Deo seruientes cum omnibus pertinentijs suis, Ecclesijs, Villis, Hospitalibus, Castellis Vineis, Agris, Syluis excultis, & incultis, hominibus quoq; & Colonis, & vniuersis possessionibus, & rebus, tàm mobilibus, quàm immobilibus, quas nunc iustè, & rationabiliter tenent, vel in posterum acquirent, in nostram tuitionem, & protectionem suscepimus. In hoc serenissimi Patris nostris F. Romanorum Imp. D. Aug. pia vestigia sequentes: statuimus igitur, & Regia auctoritate firmiter præcipimus, vt nullus Dux, nullus Marchio, nullus Comes, nullus Vicecomes, nullus nobilis, vel Capitaneus, nullus potestas, nullus Consul, nulla Ciuitas, nullum Commune, nulla deniq; Persona magna, vel parua; sæcularis, vel Ecclesiastica prædictos Canonicos molestare præsumat, vel bona eorum diripere, aut ab hominibus, & Colonis eorum aliquas iniustas exactiones extorquere. Quicumq; igitur ausu temerario contra hoc nostræ constitutionis præceptum facere præsumpserit; offensam nostræ Cæsareæ Maiestatis incurret, & decem libras auri purissimi pro pçna componet; quarũ medietas Cameræ nostræ; reliqua verò medietas Ecclesiæ, & Canonicis persoluatur. Datum apud Bononiam

anno

anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXVI. Ind. V. Kal. Sept.

Nos igitur præfatorum Prioris, & Fratrum S. Saluatoris honestis petitionibus clementer inclinati, præinserta Diuorum Federici, & Henrici Prædecessorum nostrorum priuilegia, & litteras, ac omnes, & singulas immunitates, gratias, exemptiones, Iura, Indulta, & alia in illis contenta, in omnibus suis punctis, clausulis, & sententijs de verbo ad verbum, prout superius descripta sunt, eisdem Fratribus, & Monasterio, seu Canonicæ S. Saluatoris, eorūq; successoribus ex certa nostra scientia, animo deliberato, sano, & maturo accedente Consilio, & auctoritate nostra Cęsarea, approbauimus, confirmauimus, & innouauimus, & per præsentes confirmamus, approbamus, & innouamus, atq; imperiali firmitatis robore mvnimus, supplentes ex eadem certa scientia, & Imp. nostra auctoritate omnes, & quoscumq; defectus, si qui in præmissis quouis modo interuenissent. Præterea præfatorum Fratrum commoditatibus, & augumentis piè, & vtiliter intendere volentes, ad præfatorum Augustorum immitationem eamdem Ecclesiam, seu Canonicam, & Monasterium S. Saluatoris, aliás S. Mariæ de Rheno cum omnibus suis Canonicis, & Religiosis personis, atq; eorum omnium bonis, viribus, iurisdictionibus, pertinentijs, & præeminentijs Ecclesijs, menbris, locis, domibus, hospitalibus, villis, Castris, vineis, agris, pascuis, syluis, nemoribus, aquis, piscarijs, pescationibus, molendinis, terris cultis, & incultis, hominibus quoq; & Colonis, ac vniuersis possessionibus, & rebus tàm mobilibus, quàm immobilibus, quas in præsentiarum iustè, & rationabiliter obtinent, vel in posterum quoquo iusto, rationabili, ac legitimo titulo adipisci poterūt, intuitionem, defensionem, & spiritualem nostram, & Imperij Romani protectionem suscepimus. Imperiali lege statuimus, ac sub inuiolabili, & perpetua obseruantia firmiter

firmiter præcipimus, & mandamus; quòd nullus Princeps, Dux, siue Marchio, nullus Comes, vel Vicecomes, nullus Nobilis, aut Capitaneus, vel Miles, seu stipendiarius; nullus Magistratus, siue Consul, aut Iudex, seu Vicarius; nulla Ciuitas, Dominium, siue Communitas; nulla deniq; Persona magna, vel parua Ecclesiastica, vel sæcularis prædictos Canonicos, & Religiosas personas, Congregationis S. Saluatoris molestare, vel quoquò modo, aut quacumq; causa, per se, vel per alios lædere, aut inquietare, vel eorum monasteria, & loca vexare; aut aliquam in illis iudiciariam, vel aliam potestatem exercere, aut in eisdem ipsis inuitis Canonicis accedere, seu in eis immorari, aut eorum bona diripere, vel ab hominibus, seu Colonis eorum aliquas iniustas exactiones extorquere audeat, vel præsumat. Si quis autem temerario ausu contra huiusmodi nostræ Constitutionis, voluntatis, & indulti præceptum venire præsumpserit; nostrę Maiestatis indignationem, & offensam, ac pęnas infrascriptas se nouerit ipso facto incurrisse. Præterea sancimus, & Imperiali auctoritate, & ex certa nostra scientia, statuimus, & volumus, ac indulgemus huiusmodi nostri indulti gratiam, & prerogatiuam ad omnia, & singula omnia alia Monasteria, & loca Canonicos, Moniales, & Personas, Res, & Bona prędictę Congregationis S. Saluatoris Ordinis prędicti vbiq; per vniuersam Italiam consistentia, præsentia, & futura in omnibus, & per omnia particulariter expressè extendi; prout tenore præsentium eamdem extendimus: Non obstantibus in contrarium quibuscumq;. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc nostrę Confirmationis, Ratificationis, Protectionis, Defensionis, Extensionis, Voluntatis, & Gratiæ Paginam infringere, aut ei quouis temerario ausu contraire. Si quis autem id attentare

prçſumpſerit, Indignationem noſtram grauiſsimam, & poenam decem Marcarum auri puri, pro dimidia Fiſco noſtro Imperiali, & pro reliqua dimidia iniuriam paſſorum vſibus totiès, quotiès contrafactum fuerit perſoluendam ſe nouerit irremiſsibiliter incurriſſe; Et vt prçſens Imperiale noſtrum Decretum ratum, & inconuulſum ſemper, & omni trmpore in poſterùm permaneat; Prçſentem paginam noſtra manu ſubſcriptam, ſigilli noſtri Imperialis appenſione communiri fecimus, & mandauimus. Datum in Ciuitate Bononiç die 20. Menſis Ianuarij anno Dom. Incar. M D.XXXIII. Imperij noſtri XIII. & Regnorum noſtrorum omnium Decimo octauo.

Carolus V.

Ad mandatum Cçſareç, & Catholice

Maieſtatis proprium

Il Berburgerum.

Priuilegia Summorum Pontificum pro Reu. Can. Cap. V.

PRAETER hęc Priuilegia Imperatorum adeo insignia, extant multò ante; ac post Summorum Pontificum pleraq; alia in fauorem, & augmentum præfatę Canonicæ S. Mariæ de Rheno, & S. Saluatoris Bononiensium simul vnitorum. Innocentius Papa idem 2. aliud priuilegium donauit, quo & confirmauit primum, & addidit, quòd de fugitiuis post emissam professionem, quodq; de sepulturæ libertate (iuribus tamen matricis Ecclesiæ seruatis) duo mox Priores Pontifices sanxere. Oleum sanctum; Consecrationes altarium; & Basilicarum, cæterosq; sacros ordines à Diocesano, qui catholicus fuerit, gratis percipiendos voluit; alioquim à quocumq; alio catholico Antistite exquirendos mandauit; mortuo Monasterij Priore, ad saniorem partem fratrum noui suffectionem reiecit sub datum Laterani Id. Februarij anno Incar. Dom. MCXXXXII. Pont. sui anno XIII.

Lucius Papa 2. Canonicum Ordinem ibidem confirmauit, & sartum tectum in perpetuum conseruandum iussit: In suam, & Apostolicæ sedis suscepit; ac ijsdem planè priuilegijs Priorem, & Canonicos prosequutus est; quibus antea Innocentius, cuius etiam exemplar sequutū se profitetur per suas litteras sub Datum Laterani sexto Kal. Ian. anno Domini M.C.XXXXIV. Pont. verò sui primo.

Eugenius Papa 3. similiter Innocentij, & Lucij prædecessorum vestigia sequutus, Ordinem Canonicum ibidem in perpetuum confirmauit Priuilegia roborans. Bona eius, ac loca omnia Sarta tecta conseruanda mandauit,

singula

ſingula nominatim commemorans; & in ijs primùm Eccleſiam in Vrbe Bononia, idem ſanxit de protectione Sedis Apoſtolicæ; De can. ord. obſer. De Indemn. & addidit nominationem Eccleſiarum S. Andreę in Turricella; & S. Donnini iuxta Bagnum; Idemq; de Decimarum immun. De coerctione Fratrum profeſſorum in Monaſterio; quorum etiam fugitiuorum fecit Priori excommunicandi poteſtatem: Idemq; recenſuit de admiſsione nouorum ad vitam regularem. De ſacris percipiendis: De electione noui Prioris; De ſepulturæ libertate. Inhibens inſuper Epiſcopos, vel Archiepiſcopos in ipſa Eccleſia B. Mariæ exactionem facere, vel Priori, & Fratribus grauamen aliquod irrogare; ſeruatis tamen Sed. Ap. auct. & Dioceſani Ep. Canonica iuſtitia, & matricis Eccleſiæ iuribus. Sub Datum Romæ apud S. Petrũ 3. Id. Maij Incar. Dom. anno 1150. Eius verò Pont. 6.

Anaſtaſius Papa 4. qui etiam fuit Canonicus Reg. & primus Abbas S. Ruffi de Velletri; eodem modo trium ſuperiorum prædeceſſorum Innocentij; Lucij; Eugenijq; Romanorum Pont. mentione facta, ordinem Canonicum S. Mariæ Rhenanę confirmauit: Canonicos, Canonicãq; ipſam in ſuam, atq; Apoſtolicæ Sedis protectionem ſuſcepit. Omnia item ab eis ſtatuta corroborauit de perpetua Ordinis obſeruantia; De immunitate bonorum: inter quæ hęc ſuis hominibus appellauit: Eccleſiam S. Saluatoris in Ciuitate Bononię: S. Andreę in Turricella: S. Donnini iuxta Bagnum: S. Marię in Raticoſa: S. Iacobi, quæ dicitur Caſa Dei; & quęcumq; ad duas poſtremas pertinerent: Pontem quoq;, qui ſuper Rhenum ſitus eſt iuxta Monaſterium cum illius Poſſeſsionibus, &c. De quibus etiam copioſè in Eugenio ſupra, & alij, ſeruatis quæ ibi etiam ſeruantur, auctoritate Sedis Apoſt. Dioceſani Canonica iuſtitia, & matricis Eccleſiæ iuribus: ſub Datum Laterani 13. Kal. Iunij Incarn. Dom. anno 1154. Pont.

autem eius primo. Hic Pontifex Ecclesiam S. Praxedis in Vrbe Roma Guidoni Priori, & Canonicis Rhenanis concessit, vt eam secundum regularia D. Augustini instituta, gubernandam curarent. De iure tituli Card. integrum sibi reseruans. Hanc quidem concessionem in Monasterio minimè inuenimus; attamen probatur litteris Alexandri Papæ 3. quas intelligentię causa loco suo de verbo ad verbum subijciendas curabimus. Probatur etiam ex mentione illius facta, & à Lucio 3. & ab alijs.

Hadrianus Papa eius nominis 4. Canonicus item Reg. magna, & pia præfatione adhibita rogatu Guidonis tituli Pastoris Præsb. Card. consilio fratrum suorum Cardinalium similiter vt Anastasius S. Praxedis, Ecclesiam S. Potentianæ in Vrbe Guidoni Priori S. Mariæ iuxta Rhenum, & eius successoribus Canonicè ordinandam, regendamq; commisit, nempè statuens, vt ordo Canonicus ibi per eos constitueretur, & iuxta regularia D. Augustini instituta in perpetuum conseruaretur: Medietatem quoq; bonorum ipsius Ecclesiæ, quę singula suis explicauit nominibus, ipsi Guidoni, & Canonicis pro tempore in ea degentibus concessit, confirmauitq; suis litteris; quas, quoniam maximum ad res nostras demonstrandas, confirmandasq; habere momentum, perspiciuntur; propterea subijciendas hîc duximus de verbo ad verbum.

✠

Priui-

Priuilegium Hadriani PP. IV.

HADRIANVS Episcopus seruus seruorum Dei; Dilecto filio Guidoni Priori Ecclesiæ S. Mariæ de Rheno, eiusq; fratribus tàm publicis, quàm futuris Canonicè viuentibus in perpetuum. Decor domus Domini diligendus est,& locus habitationis gloriæ eius, attenta diligentia, & reuerentia honorandus: Ecclesia namq; Dei, quæ non sine multo sudore, & labore peregrinatur interim pro eius amore,& desiderio,quæ perpetuis,& inconcussis gaudiorum præmijs fruitur in cęlis, religiosas personas, quæ famulatui Conditoris nostri mancipatę sunt, attentius reueretur,& diligit. Nos quoq; , quibus à prouisione omnium bonorum Domino vniuersalis Ecclesiæ cura, ipso disponente, commissa est, beneplacētem Deo Religionem pro nostri Officij debito laboramus statuere, & stabilitam exacta diligentia conseruare,maximè in Vrbe Roma; in qua,sicut antiquitus caput totius erroris fuerat, ita nimirum Christianitatis tempore dignum est, vt in ea totius sanctitatis lumen effulgeat. Huius itaq; rationis debito prouocati,carissimi filij nostri Guidonis Præsbiteri Cardinalis tituli Pastoris pręcibus annuentes,Ecclesiam ipsam S. Pontentianæ consilio fratrum nostrorū tibi,tuisq; successoribus ordinandam, regendamq; Apostolicæ Sedis auctoritate committimus; statuentes, vt ordo Canonicus in ea per vos,Deo auctore,constituatur; & iuxta institutionem,& obseruantiam regulæ vestrę perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter conseruetur. Ad hęc medietatem omnium possessionum,quas prædicta Ecclesia in præsentiarum rationabiliter possidet, cum medietate vinearum, & pensionum ad eamdem Ecclesiam

pertinentium, iuxta dispositionem præfati filij nostri Guidonis Presb. Card. Canonicis vestris in eadem Ecclesia coumorantibus, confirmamus, quamdiu Canonicus ordo iuxta B. Augustini regulam in loco ipso, Domino præstante, viguerit, in vsibus, & dispositione fratrum ibidem Domino seruientium, statuimus permanere; in quibus nimirum possessionibus has proprijs decreuimus vocabulis annotandas. In Marana tres Pedicas: Candralo tres Pedicas, & tres petiolas: Salone vnam Pedicam: ad turrem S. Basilij in loco, qui vocatur S. Allexander, vnam Pedicam: ad S. Genesium vnam Pedicam, & nouem petias vinearum: sex hortos circa Ecclesiam, & Ecclesiam S. Ioannis in Petroiolo cum pertinentijs suis. Nulli ergo hominum fas sit huius nostræ Constitutionis, & Confirmationis paginam temerario ausu infringere, seu quibuslibet molestijs perturbare. Si quis igitur id attentare præsumpserit, secundò, tertiouè commonitus, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, honoris, & officij sui periculum patiatur, aut excommunicationis pœna mulctetur. Amen. Amen. Amen.

Ego Hadrianus Catholicæ Ecclesiæ Epis.
Ego Imarus Tusculanus Epis.
Ego Vbaldus Præsb. Cardinalis tit. S. Praxedis.
Ego Manfredus Præsb. Card. tit. S. Sabinæ.
Ego Aribertus Præsb. Card. tit. S. Anastasiæ.
Ego Vbaldus Præsb. Card. tit. S. Crucis in Hier.
Ego Astaldus Præsb. Card. tit. S. Priscæ.
Ego Guido Præsb. Card. tit. S. Pastoris.
Ego Gerardus Præsb. Card. tit. S. Stephani in Cælio monte.
Ego Ioannes Præsb. Card. tit. SS. Io. & Pauli, & Pamachij.
Ego Ioannes Præsb. Card. tit. SS. Syluestri, & Marni.
Ego Rodulphus Diac. Card. tit. S. Luciæ in septa solis.
Ego Guido Diac. Card. S. Mariæ in Porticu.
Ego Ioannes Diac. Card. tit. SS. Sergij, & Bacchi.

Ego

Ego Gerardus Diac. Card. tit. S. Mariæ in via lata.
Ego Oddo Diac. Card. tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano.

Datum Romæ apud S. Petrum per manum Rolandi S.R.E. Præsb. Card. & Cancellarij 16. Kal. Aprilis Ind. 3. anno Incarn. Dominicæ 1154. Pont. verò D. Hadriani PP. 4. anno primo.

Alexander Papa eius nominis 3. Canonicus item reg. superiorum quatuor Præcessorum mentione repetita Innocentij, Lucij, Eugenij, & Anastasij; Guidoni Priori de Rhano, & Canonicis, Ordinem Canonicum confirmauit, atq; eadem omnia, quę ab illis priuilegia, & bona concessa, & condonata cōprobauit; nihil addito, nihilq; prorsus immutato, speciatimq; Ecclesiam D. Saluatoris in Vrbe Bononia per suas litteras expressit, sub Datum Beneuenti 18. Kal. Iunij anno verbi Incar. 1169. eius Pont. anno 10.

Alexander idem Pont. 3. Gerardo Priori, qui Guidoni successerat, & Canonicis suis in Monasterio Rhenano iterum Canonicum Ordinem ibidem confirmat, vt in sequenti exemplo.

Priuil. II. Alex. PP. III.

ALEXANDER Epis. ser. ser. Dei; dilectis filijs Gerardo Priori Eeclesiæ S. Marię de Rheno, eiusq; fratribus tàm præsentibus, quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Cùm nobis sit, licèt immeritis, omnium Ecclesiarum cura, & sollicitudo commissa, pro statu Ecclesiæ vestrę Pastoralem cogimur sollicitudinem gerere, & paci vestræ, prout nobis Dominus dederit, intendere diligenter. Vt autem à prauorum incursibus Apostolica sitis defensione muniti, Ecclesiam ve-

stram, in qua diuino estis obsequio mancipati, inducti pijs præcibus, & iustis postulationibus vestris sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus; & præsentis scripti priuilegio communimus: statuentes, vt quascumq; possessiones; quæcumq; bona eadem Ecclesia in præsentiarum iustè, & Canonicè posſidet, aut in futurum concesſione Pontificium; largitione Regum, vel Principum; oblatione fidelium, seu alij iustis modis, præstante domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisq; successoribus, & illibata permaneant; in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum, in quo prædicta Ecclesia constructa est, cum omnibus pertinentijs suis; Ecclesiam S. Andrææ in Turricella; Ecclesiam S. Dōnini iuxta Bagnum; Ecclesiam S. Saluatoris; Ecclesiam quoq; S. Praxedis; sicut à piæ memoriæ prædecessore nostro Papa Anastasio vobis concessa est; saluo iure, & reuerentia Cardinalis, qui pro tempore in eadem Ecclesia fuerit; vobis auctoritate Apostolica cōfirmamus: Libertates quoq; & immunitates rationabiliter indultas à B. M. Gerardo quondam Bononiæ Episcopo Ecclesiæ vestræ, & alijs Ecclesijs vestris, quas prædiximus; videlicet vt cum omnibus rebus suis tàm mobilibus, quàm immobilibus ab omni conditione, & seruitio, & tributo tenentium ab Episcopo, tàm Monacorum, & Clericorum, quàm laicorum, vel alicuius, tàm magnę, quàm paruæ personę Dominio, præter Episcopale ius, liberæ sint penitus, & quietæ, ratas habemus, & firmas, easq; perpetuis temporibus illibatas manere censemus: liceat quoq; vobis Clericos, & laicos è sæculo fugientes, liberos, & absolutos ad conuersionem recipere, & in vestra Ecclesia absq; contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, vt nulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro profesſionem, fas sit de eodem loco absq; licentia Prioris sui, nisi obtentu arctioris Religionis, discedere; discedentem verò sine communium

litte-

litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere; si verò discesserit,& à vobis commonitus redire cōtempserit,fas sit tibi (fili Prior) tuisq; successoribus, sicut præfatus Bononiensis Episcopus statuit,ipsum à diuinis officijs interdicere; interdictum verò nullus Abbas, seu Prelatus Bononiensis Episcopatus cōtra statutum eiusdem Episcopi infra Episcopatum, ipsum recipere audeat; sepulturā quoq; ipsius loci liberam esse concedimus, vt eorum deuotioni,& extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberauerint (nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint) nullus obsistat; salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Ad hæc ordinationes Clericorum vestrorum, à quo malueritis catholico Episcopo suscipiendi liberam concedimus facultatē, sicut memoratus Episcopus facultatem ipsam vobis per scriptum autenticum noscitur indulsisse. Fructuum quoq; vestrorum vndecumq; de Episcopatu Bononiensi aduenientium, decimas vobis confirmamus, sicut eędem decimæ sunt ab eodem Episcopo Ecclesiæ vestræ prouida circumspectione concessæ. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere,minuere,seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra, & illibata seruentur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura: salua Sedis Apostolicæ auctoritate, & Bononiensis Epis. iustitia canonica. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisuè persona hanc nostræ Constitutionis paginam,sciens,contra eam venire tentauerit temerè secundo, tertiouè communita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit,potestatis,honorisq; sui dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat,& à sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Chri-

Christi aliena fiat, atq; in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem idem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem pręmia pacis æternæ inueniant.

Amen. Amen. Amen.

Ego Alexander Cath. Eccl. Epis.

Ego Vbaldus Host. Epis.

Ego Ioannes Præsb. Car. SS. Io. & Pauli tit. Pamachij.

Ego Albertus Præsb. Card. tit. S. Laur. in Lucina.

Ego Boso Præsb. Card. S. Pontentianæ tit. Pastoris.

Ego Io. Præsb. Card. tit. S. Marci.

Ego Petrus Præsb. Card. tit. S. Susannæ.

Ego Iacobus Diac. Car. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Cinthius Diac. Card. S. Hadriani.

Ego Vgo Diac. Card. S. Angeli.

Ego Laborans Diac. Card. S. Mariæ in Porticu.

Datum Anagniæ per manum Gratiani S.R.E. subdiaconi, & Notarij Kal. Feb. Indic. 11. Incar. Dom. 1177. Pont. verò D. Alex. PP. 3. anno 19.

Idem Alexander PP. suo tertio Priuilegio eadem ferme ad verbum Priuilegia à se anteà concessa Priori Gerardo, & Canonicis eius iterum confirmauit, repetita Ecclesiá S. Saluatoris Bononiensis, & S. Praxedis Romanæ mentione: Illud verò addidit, cuius potissimùm causa priuilegium hoc renouasse videtur, quod nouas quosdam, & indebitas exactiones propulsat, atq; in perpetuũ susceptæ à se protectionis huiusce monumẽtũ Monasterio, & Canonicis, vt duos solidos lucenses quotannis sibi, successoribusq; suis persoluerent, imposuit per suas litteras Dat. Tusculani 12. Kal. Ian. anno Dom. Incar. 1178. Pont. verò sui anno 20. Hic primùm obligatũ fuit Monasterium ad censum Apostolicum, & pensionem duorum solidorũ lucensium, vt apparet ex superiori priuilegio eiusdem

Alexan-

Alexandri. Computando etiam tempora primi priuilegij Innocentij 2. cognoſcimus exemptionem decimarum per dictum tempus annorum 40.

Alexander idem 3. quarto Priuilegio ſuo perparuo confirmauit quamdam donationem Gerardo Priori, & Canonicis factam à Guidone Arditionis, & Arolando Broccafeltrenſi de Caſtro Bagni de vna petia terræ aratiuæ, ac de vna petia vineæ, ſuper quam exiſtit Canonica, caſa, hortus, & area Eccleſiæ S. Dioniſij, inibi ſitæ, de conſenſu Gerardi ſupradicti Epiſcopi Bon. de cuius feudo terra illa nominatur, Decimas quoq; eiuſdem terræ illis confirmauit, conceſſas per eumdem Epiſ. de voluntate fratrum ſuorum ſub Dat. Beneuenti 4. Id. Iun. 1179. Pót. verò ſui 21.

Lucius Papa eius nominis 3. Lucenſis Canonicum Ordinem confirmauit; Gerardumq; Priorem, & Canonicos ijſdem, quibus ſuperiores omnes, Priuilegij donauit; facta etiam de Eccleſia S. Saluatoris Bon. & alterius S. Praxedis Rom. peculiari commemoratione; quam anteà per Anaſtaſium, & Alexandrum prædeceſſores conceſſam affirmauit ſuis litteris Dat. Velletri V. Mon. Ma. anno Dom. Incar. 1182. Pont. verò ſui primo.

Lucius idem Abbati S. Proculi, & Priori S. Victoris litteras dirigit ad inſtantiam Prioris de Rheno ſuper electione Archipræsbiteri Eccleſiæ de Sala; ex quibus liquidum fit Ius patronatus d. Eccleſiæ, & Collatio ſuorum Canonicatuum competere præfato Priori de Rheno, & nunc S. Saluatoris ſub Dat. Velletri Non. Ma. anno 1182.

Lucius idem Epiſcopos vniuerſos certiores fecit de Indulto à ſe Canonicis S. Mariæ Rhenanę conceſſo de Ordinibus ſacris, à quouis dummodo Catholico Antiſtite, liberè ſuſcipiendis; commiſitq; vt quoties ad eos aliquis eorum ordinandus acceſsiſſet, abſq; vlla contradictione ordinaretur. Nolens propterea, quòd ſemel, aut ſæpius

ab

ab aliquo ordine suscepissent, facultatem alios adeundi eisdem esse denegandam. sub Dat. Veronæ 10. Kal. Iun. anno Dom. Incar. 1183.

Lucius idem per hunc modum Ferrariensi Episcopo litteras Apostolicas direxit. Lucius Epis. ser. ser. Dei, ven. Fratri Ferr. Episcopo Sal. & Apost. ben. Ad audientiam nostram peruenisse cognoscas, quòd Gerardus Prior S. Mariç de Rheno Hospitale, quod situm est apud Casaliolam vẽdere Archipresbitero de Rosseno prçsumpsit; Quia igitur religiosa loca, & pijs operibus deputata, vendi non debent: Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs inquisita diligentiùs veritate, si rem noueris ita esse, venditionem illam, cessante appellatione in irritum reuoces, & facias pecuniam præfato Archipræsbitero designari. Si verò commutationem factam inueneris fraudulentam, & damnosam prædictæ Ecclesiæ S. Mariæ, componere studeas inter eos. Quòd si compositio fieri fortè nequiuerit, quod iustum fuerit, iudices, & facias obseruari. Dat. Anagni 8. Kal. Dec. 1183. Quarum litterarum exemplum transmissum fuit ad Gerardum Priorem ab ipso Ferr. Epis. citando eum ob supradictam causam, & sic in registro Monasterij est relatum.

Vrbanus eius nominis PP. 3. Lucij successor Vgoni Priori de Rheno, & Canonicis fratribus in perpetuum Canonicum Ordinẽ confirmauit; in suam, & Sedis Apost. protectionem suscepit; & superiorũ Prçdecessorum priuilegia renouauit; & bona omnia, ac loca sartatecta conseruanda mandauit; inter quç Ecclesias S. Saluatoris Bon. & S. Praxedis in Vrbe recenset; quam per superiores prç decessores Anastasium, Alexandrum, & Lucium concessam dixit; per litteras suas Dat. Veronæ 6. Kal. Feb. anno 1185. Pont. primo, & obligauit eos ad eamdem pensionẽ annuam, quam Alex 3. præfatus taxauit.

Vrbanus idem; omnes fideles per Rauẽnatem Prouinciam,

ciam,& quoscumq; transeuntes per Pontem S. Marię de Rheno hortatus est ad impartiendum eleemosinam pro consummatione debita d. Pontis, quem dicit numquam perfectionem operis, etiam in magnis expensis sortitum fuisse: Addiditq; subsidium præstantibus, veniam peccatorum sub Dat. Veronę Id. Iunij 1185. Pont. anno primo.

Vrbanus idem Archipræsbitero, & Canonicis Bononiensibus Apostolica auctoritate inhibet, ne Prior, & Canonici de Rheno, quos obtentu eorum religionis, & deuotionis, dicit se præter commune debitum diligere, molestentur super decimis, & alijs rebus ab Episcopis Bononiensibus, & Archiepis. Rauennat. eisdem concesſit, & à se, & prædecessoribus suis Romanis Pontificibus confirmatis. Sub Dat. Veronæ Id. Iul. 1185.

Vrbanus idem animat omnes Christi fideles per Archiepiscopatum Rauen. & Ferrar. Episcopatum ad conferendum subsidium Priori, & Canonicis pe Rheno prò consumando opere, quod cæperit Campanarij, & pro reparatione Pontis supradicti; iniungens remissionem peccatorum. Sub Dat. Veronę 11. Kal. Feb. 1186.

Vrbanus idem ad vniuersos Episcopos Priuilegium idem de ordinandis Canonicis de Rheno inscribit, quod Lucius superior. Sub Dat. Veronæ eodem die 1. 11. Kal. Feb. 1186.

Clemens idem Episcopos vniuersos monet de Priuilegio à Lucio, & Vrbano præcessoribus suis indulto Canonicis Rhenanis de sacris Ordinibus à quibuscumq; Episcopis liberè suscipiendis, quod seruari mandat: appellatq; Vgonem Priorem subdiaconum suum per suas litteras Dat. Later. V. Non. Mar. 1187. Pont. sui primo.

Clemens Pontifex Max. eius nominis 3. qui Vrbano succesſit post Greg. 8. Pontificatu intra quinquaginta dies defunctum, Vgoni Priori, & Canonicis Priuilegia suorum prædecessorum omnium confirmat sub eodem argu-

argumento,& eiſdem verbis; & bona omnia, & loca ſarta tecta conſeruanda mandat;& inter ea ſpeciatim Eccleſias S.Saluat.Bon.& S. Praxedis Rom. quam per præceſſores ſuos Anaſtaſium, Alex. Lucium, & Vrbanum anteà conceſſam declarat ſuis litteris Dat. Laterani 16. Kal. Apr.anno 1187. Pont.verò ſui primo ; & in fine eamdem obligationem adijcit duorum ſolidorum lucenſium.

Innocentius 3.Pont.Max.idem Priuil.de ordinandis à quocumq; Epiſcopo confirmat ipſis Canonicis de Rheno,quale ſuperiores Pontifices,quos citat, Lucius, Vrbanus,& Clemens conceſſerunt. Sub Dat.Ferentin. 13. Kal. Iun.1204.Pont.verò ſui anno.6.

Honorius ,qui Innocentio proximè ſucceſsit, eius nominis 3. Pont. Max. auctoritate ſua corroborat, confirmatq; Priuilegia omnia Priori Vgoni, & Canonicis ſuis anteà per Gerardum Bon.Epiſcopum collata,quæ ad verbum refert ſuis litteris Dat.Later. 3.Id. Apr. à concepto Saluatore Mundi anno 1217. Pont. verò ſui pr. Hoc autem Priuilegium quoniam ampliſsimum eſt, & ad dignitatem,ac amplitudinem Canonicę Rhenanæ demonſtrandum maximè facit; propterea non ab re hic integrũ ſubijciendum ſtatuimus, vnà cum ipſius Honorij confirmatione.

Priuilegium Honorij PP. III.

HONORIVS Epiſ. ſer. ſer. Dei Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eccleſiæ S. Mariæ de Rheno Sal.& Apoſ.ben.Iuſtis petentium deſiderijs dignum eſt nos facilem præbere conſenſum, & vota, quæ à rationis tramite non diſcordant, effectu pro ſequente complere. Ea propter Dilecti in Domino filij veſtris iuſtis poſtulationibus

grato

grato concurrentes assensu concessiones, & confirmationes, constitutiones, & libertates tàm in obseruatione ordinis Monasterij vestri, & ordinatione Clericorum vestrorum, quàm in Ecclesijs, & Decimis, Primitijs, oblationibus, terris, vineis, Oliuetis, syluis, Pratis, Piscationibus, & alijs rebus à Ven. Fratre nostro Gerardo Bon. Epis. de cōsensu Capituli sui vobis indultas, ratas habentes, eas, sicut iustè, ac pacificè obtinetis, & in autentico ipsius Episcopi, cuius tenorem de verbo ad verbum præsenti iussimus paigina annotari, plenius continetur. Vobis, & per vos prædicto Monasterio auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus: tenor autem autentici memorati est talis.

In nomine S. & indiuiduæ Trinitatis. Gerardus Dei gratia Bonon. Ecclesiæ Minister, licèt indignus, Dilectis filijs Vgoni Priori, & fratribus Ecclesiæ S. Mariæ, quæ iuxta Rhenum sita est, Diuino seruitio mancipatis tàm præsentibus, quàm futuris in perpetuum. Ecclesiasticæ sollicitudinis pietas nos iugiter admonet, vt religiosas personas, atq; religionem Deo placitam studeamus modis omnibus augendo diligere, & diligendo propagare; numquam enim obsequium Deo gratum impenditur, nisi ex radice charitatis procedat, & à religionis puritate vndiq; custodiatur. Proindè Dilecti in Domino filij, vestris petitionibus clementer annuentes, Ecclesiam S. Mariæ iuxta Rhenum positam; Ecclesiam S. Andreæ in Turricella; Ecclesiam S. Donnini iuxta Bagnum; Ecclesiam S. Blasij de Casaliola; Ecclesiam S. Mariæ de Monte guardiæ; Ecclesiam S. Iacobi de Casadei; vel si quam aliam ædificaueritis, vel acquisieritis, in qua vacatis, vel vacabitis diuino officio, & Ecclesiam S. Saluatoris S. Bon. Ecclesiæ matris nostræ priuilegio decreuimus muniendas. Vt igitur locorum vestrorum quies per Dei gratiam tranquilla, & tuta persistat; statuimus, vt prædictę

Ecclesię

Ecclesię cum suis rebus tam mobilibus, quam immobilibus iustè sibi pertinentibus, in omnibus. & per omnia sint liberę ab omni conditione, atq; seruitio seu tributo tàm Monacorum, & Clericorum, quàm laicorum, vel alicuius, tàm paruę, quã magnæ personæ dominio, præter Episcopale ius. Insuper vobis, vestrisq; successoribus perpetualiter concedimus, vt hoc, quoquomodo ad ius, siuè de iure Ecclesiæ nostræ S. Bononiensis habetis, & detinetis, seu in futuro iustè acquisituri estis, siuè à quibuscumq; alijs quomodocumq; vobis, aut vestris successoribus aliquid iustè obuenerit, siuè ab alijs Ecclesijs, vel personis, tàm clericorum, quàm laicorum habetis, vel detinetis, & in antea iustè acquisieritis, in Decimis scilicet, in Primitijs, & in alijs quibuscumq; fidelium oblationibus, tàm viuorũ, quàm defunctorum, terras quoq; vineas, & vliueta, syluas cum pratis, piscationes, paludes, aquas cum omnibus vsibus earum, colonos, & inquilinos, Domnicatum, & ordinatum diuisum, & indiuisum, cultum, & incultum, omnia; & ex omnibus cum vniuersis vsibus suis, tàm fructifera, quàm infructifera; in montibus deniq;, & in planitijs, & vbicumq; modò detinetis, vel quocumq; iure habetis, aut in futuro habebitis, vel acquisieritis cum scripto, vel sine scripto. Hęc autem omnia, sicut superius legitur, vobis, vestrisq; successoribus in eisdem Ecclesijs manentibus per huius Decreti paginam damus, concedimus, atq; largimur, & ab omni vinculo, siue dominio, pręter Episcopale ius, libera, & absoluta ab omni contradicente homine, esse præcipimus, & in perpetuum concedimus, atq; firmamus: vitæ quoq; canonicæ ordinem, quem professi estis, præsentis Priuilegij auctoritate roboramus; sancientes, vt nemini inter vos professione exhibita, liberum sit sine tua, vel eorum, qui post te in Ecclesiæ regimine successerint, aut sine communi Congregationis licentiã de Claustro discedere: quòd si discesserit, & commonitus redire

contem-

contempſerit; tibi, tuisq; ſucceſſoribus facultas ſit eiuſmodi vbilibet à ſuis officijs interdicere; interdictum verò nullus Abbas ſiue Prelatus aliquis infra noſtrum Epiſcopatum ſuſcipiat. Sanè Clericos ſæculariter viuentes ad conuerſionem ſuſcipere nullius Archipræsbyteri noſtri Epiſcopatus contradictio vos inhibeat quamdiu ſcilicet apud vos canonici ordinis tenor, præſtante Domino, viguerit; Porrò ſepulturas locorum veſtrorum omninò liberas eſſe iubemus, vt eorum, qui ſe illic ſepelliri delibberauerint, deuotioni, & extremæ voluntati, niſi fortè excommunicati ſint, nullus obſiſtat. Ordinationes Clericorum à quocumq; malueritis catholico Epiſcopo ſuſcipere locorum veſtrorum fratribus permittimus. Laicorum etiam noſtri Epiſcopatus ſuſceptiones ad diſciplinæ videlicet regularis conuerſionem (niſi fortè legalibus cõditionibus teneantur obnoxij) à nullo homine permittimus interdici. Sed & clericorum tonſiones, qui regulariter in loco veſtro viuere per profeſsionem deliberauerint; fructum autem veſtrorum, vndecumq; aduenientium; & terrarum veſtrarum, tàm de noualibus prędijs, quàm dę antiquis, à quocumq; colantur decimas ſine alicuius perſonæ contradictione vobis concedimus, obtinendas; & inſuper vobis, veſtrisq; ſucceſſoribus in perpetuũ, decimas omnium poſſeſsionum, quæ fuerunt Gerardi de Sala in Sala, & in S. Helena, concedimus, & conceſſas huius priuilegij munimine roboramus; ſaluo iure Eccleſiarum de Sala ſecundum quòd Dominus Gerardus Epiſcopus fæ. me. vobis obtinendas conceſsit. Decernimus ergo, nulli hominum liceat Eccleſias veſtras temerè vllo modo perturbare, aut earum poſſeſsiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerarijs vexationibus fatigare: ſed omnia integra conſeruentur, & ab omni vinculo, & conditione, atq; tributo, ſicut ſuperius legitur, in perpetuum abſoluantur. Si quis igitur Decreti huius te-

 nore

nore cognito (quod absit) contraire tentauerit; honoris sui, & officij periculum patiatur, aut excommunicationis vltione plectatur; nisi præsumptionem suam satisfactione correxerit. Amen. Amen. Amen.

Ego Gerardus Bonon. Episc. manu mea subscripsi.

Ego Guido Diac. Bon. manu mea subscripsi.

Ego Magister Odo Bon. Eccl. Diac. M. m. subsc.

Ego Henricus Bon. Archid. M. m. subsc.

Ego Presbyter Index Bon. Eccle. Can. M. m. subsc.

Ego Vgolinus Bon. Eccle. Can. M. m. subsc.

Ego Lamphrancus Bon. Can. Ma. m. subsc.

Ego Sacerdos Algesius M. m. subsc.

Ego Sacerdos Albertus Can. S. Petri M. m. subsc.

Ego Bonaguisa Bon. Eccle. subd. M. m. subsc.

Ego Guido de Baniolo Bon. Can. M. m. subsc.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit; indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Laterani 3. Idus. Ap. Pont. nostri anno pr. & Dom. Incar. 1217

Ego Honorius Catholicæ Ecclesiæ Episc.

Honorius idem PP. 3. Rainerio S. Mariæ ad Rhenum, & S. Saluatoris Bon. Priori, & Canonicis Priuilegium tribuit, vt clausis ianuis, non pulsatis campanis, excommunicatis, & nominatis interdicti exclusis, sacris operari, & submissa voce diuina cælebrare in ipsorum Ecclesia liceat, si quando Ciuitas Bononiæ Interdicti sacris contigerit; per suas litteras Dat. Reat. 7. Kal. Iulij anno 1120. Pont. verò sui 3.

Hoc autem loco illud in primis obseruamus, Ecclesiã D. Saluatoris in Vrbe Bon. Monasterium primùm, & Canonicæ S. Mariæ Rhenanæ vnicum dici cęptum, ac deinceps iugiter dictum quòad Canonica ipsa Rhenana, vt

initiò diximus, consumpta, & Reliquijs eius in Vrbem translatis, vnicum Saluatoris nomen, ac Monasterium, passim & scriptis, & voce fuit cælebratum.

Gregorius eius nom. 9. Honorij successor proximus Rainerio Priori S. Mariæ propè Rhenum, & S. Saluat. in Vrbe Bon. & Canonicis suis, idem concedit priuilegium sub tempore Interdicti, quod superior Honorius; dummodò non contingat ipsis Canonicis, quibus hoc conceditur, specialitas interdicti, seu ipsos causam dedisse Interdicto: Per suas litteras Dat. Anagniæ Prid. Non. Aug. anno 1227. Pont. sui primo.

Gregorius idem peculiari suo Priuilegio Honorij præcessoris confirmat Priuilegium id, per quod Honorius ipse Priuilegia Gerardi Epis. Bon. antea firma, rataq; esse voluit; quæ similiter Priuilegia ibi ad verbum inserta habentur; ex ipsius litteris Dat. quoq; Anagniæ 8. Id. Aug. anno 1227. & sui pont. primo.

Hanc confirmationem, & alias præfati Priuilegij à Gerardo per Canonicos esquisitas, credo propter iuges molestias, quas tunc patiebantur ab Episcopis Bononiensibus, & eorum Clericis super subiectione.

Innocentius PP. 4. Priuilegium donat, quo decernit, ne Canonici de Rheno possint compelli vigore quarumcumq; litterarum Apostolicarum, seu legat: ad receptionem, vel prouisionem alicuius impensionibus, vel ecclesiasticis beneficijs, nisi vbi de verbo ad verbum fieret mentio expressa: sub Dat. Perusij Non. Feb. 1252. Pont. verò sui 9.

Scripsere alij complures Pontifices Max. pro eisdem Canonicis insignia priuilegia præstantes illis, ac in suam, & Apostolicæ Sedis præcipuam protectionem, illosmet suscipientes; quæ adhuc seruantur apud nos maximè in D. Saluatoris de Bon. sub plumbeis Bullis, quę breuitatis causa hîc ommitto; pro testantia quidem omnia in eis

iampridem Canonicum Ordinem viguisse sub Almi P. Aug. regula.

Non ommittam Reuerendissimorum Archiepiscoporum Rauennatensium priuilegia in fauorem præfatorum; & primum Gualterius Rauennatensis Archiepiscopus vno, & eodem tempore Canonicum in eadem Ecclesia, Ordinem secundùm regulam D. Aug. ab antiquo iam vigore confirmat; & Canonicis ijsdem plura etiam ipse donat priuilegia; per suas litteras certis Bullis de more munitas, vt in seq.

Priuil. Gualterij Archiep. Rauen. Cap. VI.

IN nomine S. & Indiuiduæ Trinitatis: Gualterius Dei gratia S. Rauennatis Ecclesiæ Archiepiscopus seruus seruorum Dei, licet indignus; Dilectis filijs Guidoni Priori, & Fratribus in Ecclesia S. Mariæ, quæ iuxta Rhenum sita est, diuinò seruitio mancipatis, tàm præsentibus, quàm futuris in perpetuum. Ecclesiasticæ sollicitudinis pietas nos iugiter admonet, vt religiosas personas, atq; religionem Deo placitam studeamus modis omnibus augendo diligere, & diligendo propagare: numquam enim obsequium Deo gratum impenditur, nisi ex radice charitatis pcedat, & à religionis puritate vndiq; custodiatur. Proindè dilecti in Domino filij vestris petitionibus clementer annuentes, Ecclesiam S. Mariæ iuxta Rhenum positam, vel si quam aliam ædificaueritis, vel acquisieritis, in qua vacatis, vel vacabitis diuino officio S. Rauennatis Ecclesiæ Matris nostræ Metropolitanę vestræ priuilegio decreuimus muniendos. Vt igitur locorum vestrorum quies per Dei gratiam tranquilla, & tuta persistat, statuimus, vt præfatæ Ecclesiæ cum suis rebus tàm mobilibus, quàm

quàm immobilibus iuste sibi pertinentibus in omnibus, & per omnia sint liberæ ab omni conditione, atq; seruitio, seu tributo tam Monacorum, vel clericorum; quàm laicorum, vel alicuius tàm paruæ, quàm magnæ personæ dominio præter Episcopale ius. Insuper vobis, vestrisq; successoribus perpetualiter concedimus; vt hoc, quod modò ad ius, siue de iure nostræ sanctæ Rau. Ecclesiæ habetis, vel detinetis, seu in futuro iustè acquisituri estis, siue à quibuscumq; alijs, quomodocumq; vobis, aut vestris successoribus aliquid iustè obuenerit, siue quod à vestra Episcopali Ecclesia, seu ab alijs Ecclesijs, vel personis tàm Clericorum, quàm laicorum habetis, ac detinetis; vel in antea iustè acquisieritis, in Decimis scilicet in primitijs, & in alijs quibuscumq; fidelium oblationibus tàm viuorum, quam defunctorum, terras quoq; vineas, & Oliueta, siluas cum pratis, piscationes, paludes, aquas cum omnibus vsibus earum, Colonos, vel Inquilinos. Dominicatum, & ordinatum diuisum, & indiuisum, cultum, & incultum. omnia, & ex omnibus cum vniuersis vsibus suis tàm fructifera, quàm infructifera, in montanis deniq; & in planitijs, & vbicumq; modò detinetis, vel quocumq; iure habetis, aut in futuro habebitis, vel acquisieritis cum scripto, siue sine scripto. Hæc autem omnia, sicut superius legitur, vobis, vestrisq; successoribus in eisdem Ecclesijs manentibus per huius Decreti paginam damus, concedimus; atq; largimur, & ab omni vinculo, siue dominio, præter Episcopale ius, libera, vel absoluta ab omni contradicente homine esse præcipimus, & in perpetuum concedimus, atq; firmamus: vitæ quoq; Canonicæ ordinem, quem professi estis, præsentis Priuilegij auctoritate roboramus, sancientes, vt nemini inter vos exhibita professione liberum sit sine tua, vel eorum, qui post te in eodem regimine successerint, aut sine communi Congregationis licentia de claustro discedere. Quod si discesserit, vel commonitus

redire contempserit, tibi, tuisq; successoribus facultas sit eiusmodi vbilibet à suis officijs interdicere. interdictum verò nullus Episcoporum, Abbatumuè infra nostrum Episcopatum suscipiat. Sanè Clericos sæculares viuentes ad conuersionem suscipere nullius Episcopi, vel Præpositi nostri Archiepiscopatus cõtradictio vos inhibeat: quàm diu scilicet apud vos Canonici ordinis tenor Domino præstante viguerit. Porrò sepulturas locorum vestrorum omninò liberas esse iubemus, vt eorum, qui se illic sepelliri deliberauerit, deuotioni, & extremæ voluntati (nisi fortè excommunicati sint) nullus obsistat. Ordinationes Clericorum, à quo malueritis catholico Episcopo suscipere locorum vestrorum Fratribus permittimus, vel cum Episcopum non habet Bononiensis Ecclesia, vel quẽ habuerit, constet non esse catholicum. Laicorum etiam nostri Archiepiscopatus susceptionem ad disciplinæ videlicet regularis conuersionem (nisi fortè legalibus conditionibus teneantur obnoxij) à nullo vobis Episcopo permittimus interdici, vel Clericorum tunsionem, qui regulariter in loco vestro viuere per professionem delibe rauerint. Fructuum autem vestrorum vndecumq; aduenientium Decimas, præter Episcoporum, vel Episcopalium ministrorum contradictionem vobis concedimus obtinendas.

Decernimus ergo, vt nulli omninò hominum liceat Ecclesias vestras temerè vllo modo perturbare, vel earum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerarijs vexationibus fatigare; sed omnia integra conseruentur, & ab omni vinculo, & conditione, atq; tributo, sicut superius legitur, in perpetuum absoluantur. Si quis igitur Decreti huius tenore cognito, temerè (quod absit) contraire tentauerit, honoris, & officij sui periculum patiatur; aut excommunicationis vltione plectatur, nisi præsumptionem

nem suã satisfactione correxerit. Amen. Amen. Amen.

L E G I M V S

Ego Henricus à fracta ciuis, & Bononiensis Episcopus.
Ego Petrus Presbiter Cardinalis S. Michaelis.
Ego Belletus Diac. Card. S. Rauennatensis Ecclesiæ.
Ego Rambertinus Subd. Card. S. Rauen. Eccl.

Anno Dom. Incar. M. C. XXXVI. Mense Febr. 19. Kal. Ind. 14. Factum est Bononiæ hoc feliciter.

Priuilegium Moisis Archiep. Rauen.

MOISES Archiep. item Rauen. Ecclesię idem simile per omnia Priuilegium concedit, quod Gualterius Archiep. per suas litteras etiam quatuor Episcoporum Imolensis, Corneliensis, Cesenatis, & Liuiensis manibus subscriptas. Dat. Rau. die 8. Octob. anno Dominicæ Incar. M. C. XLVI.

Etiam Bononienses Episcopi eisdem Canonicis potissimùm fauere, vt visum est supra de Gerardo. Sed moltò ante Henricus Bonon. Epis. eodem argumento, ac eisdem penè verbis, quibus superior Gualterius Archiep. Rauen. priuilegium dedit: illud adijciens, quo absq; vllius personæ exceptione Decimas prorsus liberas Canonicis ipsis decernit: facultatemq; præstat Clericorum ordinationes à quocumq; catholico Episcopo accipere. In cæteris autem sui Episcopatus iure seruato. Dat. Bononiæ sub eodem die, & anno, quo & illud à Gualterio. Inuenimus quidem Henricum subscripsse non tantùm his litteris suis, verùm & superioribus ipsius Gualterij Archiepiscopi, non tantùm quòd esset tunc Bononiæ, quantùm scilicet quòd ab ipso Gualterio auctoritas, & ius præfati Episcopi dependeret.

Gerardus Areostus ciuis, & Episcopus Bononiensis donationis instrumentum fecit Vgoni Priori de omni decimatu possessionum, quæ fuerunt Gerardi de Sala. Rogatus Orabona Notarius in vna Camera S. Saluatoris 15. Kal. Aprilis M. C. L X X X X I. Ex quo aduertas eiusdem nominis intra breue tempus duos fuisse Bononienses Episcopos, & amborum priuilegia elargita: Sed Prioris nihil fere scriptum extare, nisi quantum sonant aliorum Priuilegia, quę de illius indulto mentionem faciunt.

De Summis Pōtificibus Rhenani Monasterij.

NON solùm priuilegijs Romanorum Imperatorum, atq; Summorum Pont. vt vidimus, gauisi sunt Rhenani Canonici; verū & Summis Pontificibus, Illustrissimisq; Cardinalibus quamplurimis decorati sunt proprijs in ædibus suis, ac fratribus. Fuerunt quidem per ea tempora plures, vt iam demonstratum est, ex ordine Canonico Pontifices: præcipuè autem ex Monasterio Rhenano quatuor doctrina, virtute, ac sanctimonia percelebres electi sunt. Anno scilicet 1124. Honorius de Fagnanis, Ciuis Bon. (licet nescio qui faciant illum de villa quadam in Comitatu Imolensi) sed aliā est eiusdem nominis villa in Comitatu Bononiensi quæ rectius dicitur Flegnanum sub Podestaria Casalis Fluminensis: Canonicus Reg. S. Mariæ de Rheno, antea vocatus D. Lambertus Archidiaconus Episcopalis Ecclesię Bon. quem postea Pascalis 2. Pontifex Hetruscus anno 1105. in Collegium Cardinalium cooptauit, atq; Ostiensem Episcopum declarauit. Cętera de hoc Pontifice inueneris apud Platinam, Panuinum, & clarius apud Iaconum.

De integra, & sancta mente huius Pontificis, mirabile

quidem refert de illo Gulielmus Tyrius facri belli fcriptor, dicens; Mortuo Calixto fecundo Papa, Comitijs nouo creandi Pontificis inftitutis diuifis Cardinalium ftudijs duo fuffecti funt: Lambertus Epifcopus Hoftienfis, atq; Theobaldus Bucapecus Prçsbiter Cardinalis tituli Sanctæ Anaftafiæ, atq; ille Honorius fecundus: hic Celeftinus fecundus eft appellatus. Quæ res, cum omnes, qui de falute, ac dignitate Ecclefiæ cogitarent, vehementer angeret. Cœleftinus eodem die, quo electus fuerat, fe abdicauit. Honorius autem, cum ne itaquidem fuam probari electionem ab omnibus intelligeret, quod negotio, & arte Leonis, & Roberti Fregepanum, fuerat conciliata; poft duodecim dies, conuocatis Cardinalibus infignia vltrò depofuit, & fe item honore abdicauit: decebat enim, malle fe Hoftienfem Epifcopatum iure obtinere, quam Romanum iniuria. Epifcopi verò Præsbiteri, atq; Diaconi Cardinales, humilitatem eius profpicientes, quod, per peram factum fuerat, emendarunt: atq; idem Honorio de integro lecto, ad eius pedes procubuerunt, atq; illi tanquã vniuerfali Pontifici obedientiam præftiterunt. Schifma hæc fuit vigefimaquarta in Ecclefia Romana. Poft electionem Honorij fecundi proximo die Dominico apud Sanctum Petrum duodecimo Kal. Ianuarij ab Epifcopis Cardinalibus Confecratus, & fuç coronationis infignia adeptus, per manus Gregorij Ioannis filij Romani de Regione Transtiberim Diaconi Cardinalis Sancti Angeli, & Sanctæ Romanç Ecclefiæ Archidiaconi adftantibus Cardinalibus, Clero, & Populo Romano, fumma omniũ alacritate Summus Pontifex falutatus, & cõclamatus eft.

Is vt primus patriã in Vrbem dignitatem pontificiam intulit, fic eam ftatim pro auctoritate multis infignibus beneficijs cumulauit: etenim cùm Cardinales eligeret, in primis quatuor ciues Bononienfes cooptauit; Hubertum de Rata, virum eruditifsimum Præsbyterum tit. S. Clementis

mentis. Gerardum Alberti Caccianimici filium ex soro re progenitum, Canonicum S. Mariæ Rhenanę Præsbyterum tit. S. Crucis in Hierusalem: Petrum Garrisendum Præsbyterum tit. SS. Syluestri, & Martini in montibus. Et Vgonem Hieremeum Diac. S. Theodori Archipręsbyterũ S. Petri. Postero autem anno 1125. Ecclesiam S. Christinæ sacræ Camalduli Eremo donatam à Victore Episcopo Canonico reg. ciue, & Bon. confirmauit: Et anno 1129. Canonicis Ecclesiæ Rhenanæ Canonicè viuentibus, bona, quę possidebant, rata fecit; & vt componere super Decimas possent, indulsit. Atq; Ecclesiam S. Mariæ in monte Palense donauit. Ac mox cum maxima omnium męstitia diem obijt. Hæc profectò ex annalibus nostris, & ex libro doctissimi viri Caroli Sigonij de Episcopis Bononiensibus pag. 77. decerpsimus.

In duas opiniones diuisos reperio auctores, qui de natalibus, & Patria Honorij scribunt. Ex parte negatiua Naucleus: Supplementum Cronicorum. Fratris Iacobi Philippi Bergomensis à Sansouino tradductum Platina, Marcus Guazzus: Tarcagnota parte secunda libro duodecimo, ex Vico agri Imolensis esse volunt.

Ex altera parte affirmatiua; Martinus Pollonus: Ptolomeus de Lucca: Bernardus Guidonis: Riccardus Monachus: Pomer Rauennatensis: Cronica, quæ incipit ab origine mundi: Petrarcha, Magister Cherubinus libro tertio fol. 67. liber de Nobilitate Bononiensi: Thomas Costa Neapolitanus Accademicus Florentinus in Compendio Hominum, Cognominũ, & Patriarum Summorum pontificum: Franciscus Cauazzonus in sua Tabula, intitulata, Nomina, Cognomina, Dignitates, Insignia clarorum virorum Bononiensium, qui vel Summi Pontifices, vel Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinales extiterunt: Ioannes Villanus libro quarto cap. 33. Ex varij Cronicis Romanorũ Pontificum manu scriptis in Vaticana Bibliotheca Romę:

Dama-

Damasius, quem cõtinuauit Anastasius bibliothecarius, & Pandulpus Hostiarius vtq; ad vitam Honorij secundi inclusiuè; tandem Iaconus in suo de vitis Pontificum Romanorum, &c. Volunt & ostendunt Honorium ciuem Bonon. antiquissimum.

De Honorio, seu Lãberto nostro Franciscus Petrarca diligens, ac verax Historicus, nec non omnia Bononiensium Annalia, eum, & Bononiensem, & natum Bononiæ, scribunt; ex antiqua familia Toscorum de Bononia; quæ sanè familia de Fagnanis post idcircò fuit dicta, quòd apud Fagnanum oppidum fuerit diù in exilio relegata. Ipse verò Honorius dudum iam mortuus fuerat Papa, & in D. Ioannis apud Latheranum annis centum victurus ad Dominum iacebat in sepultura priusquam ipsa Toscorum familia peteret Fagnanum exilio donata. Sunt & qui eum ex Scannabeccorum gente honestissima ortum volunt. Verum quidem est, quòd à dicto Pascali fuit cũ Lamberto creatus Cardinalis Ioannes de Scannabecchis Conciuis antiquissimus Bononiæ sub tit. S. Cecilię; qui postea Io. ab Honorio ipso factus fuit Episcopus Ostiensis. Vixit Honorius in Pontificatu annos quinque, menses duos, ac duos dies.

Anno 1136. Innocentius 2. Romanus antea vocatus D. Gregorius Canonicus Reg. & reformator eiusdem Ordinis Canonici in Monasterio ipso Rhenensi, vbi & Canonicum habitum suscepit, ac S. Pontentianæ de Vrbe vnitis sub Adriano 4. vt in Bulla præfati Pontificis sub datũ Romæ apud S. Petrum 6. Kal. Apr. 1154. dum esset Bononiæ causa studij; ad summum apicem ascendit dignitatis Pontificiæ, seditq; annis 13. mensibus 7. diebus 8. vt in Kalendario Rhenano antiquo legitur. Commendatur ibidem eius obitus anno Dom. Incar. 1143. sui verò Põt. 14. mense Sept. Sepultus est in Latherano in Concha Aporifirica miro opere sculpta.

Anno

Anno 1144. post decursum annorum 19. ab Honorio Deus iterum Bononiæ dedit, vt ciuem suum videret, iura Christianorum populo ex sede celsissima moderantem. Siquidem Gerardus Caccianimicus Cardinalis, de quo anteà, mortuo Celestino 2. biduo post, quod Romæ ciuilis seditio grassaretur, quarto Idus Martij à Cardinalibus 43. Pontifex creatus est, & Lucius 2. vocatus, vir prudentia, & doctrina, animi magnitudine, & rebus anteà præclarè gestis tãto sacerdotio dignissimus, vt omnes Historici cõtestantur. Eius autẽ vita nostris Annalibus ita cõscribit.

Lucius Papa huius nominis 2. Patria Bon. de Caccianimicorum antiqua, & haud ignobili familia ortus, Patre Alberto ab Vrso. D. Gerardus antea dictus est. Hic in primo suæ iuuentutis flore sacris litteris apprimè eruditus, Canonicam sanctæ Mariæ de Rheno in patria est ingressus, & habitu regulari initiatus. Eamdem Canonicam bonis, & religione satis auxit, atq; illustrem reddidit. Ex quibus extat adhuc apud Vergatum in Comitatu Bononiæ Prædium, quod Prædium Lucij dicitur, vulgariter autem corrupto vocabulo [*il Prà del Luzzo*] ab incolis cognominatur; & etiam inter sacra Altaris indumenta, quædã planeta sericea aerei, vel cerulei coloris cum eius insignibus, id est in spacio albo Vrsus niger anterioribus pedibus eleuatus, ad nostra ferè vsq; tempora visa fuit integra. Mox verò, vt Innocentius 2. Frangipanes ex parte Romanorum nobilis, immò de Regione Transtiberina, qui à Paschali 2. ex Canonico regulari fuerat Diac. Cardinalis creatus, Summi Pontificatus infulas suscepit; Hũc Gerardum præfatæ Canonicæ de Rheno tunc Præpositũ, & sibi familiarissimum ad se aduocauit, secumq; in Latheranensi Canonica locatum, inde non multo post ad cardineum Præsbiteratum tit. S. Crucis in Hierusalem assumpsit anno Domini 1138. & postea S. R. E. Bibliotecariũ, & Cancellarium, in locum Aimerici Diac. Card præde-

functi,

stincti, substituit. Huius itaq; hortatu Canonici sui Rhenani prædicti Regulam, seu regulares institutiones pro regularibus Canonicis à Petro Damiani Rauennatę compilatas à præfato Pascali 2. approbatas, obseruandas suscepe runt; cuius etiam opera Canonicus ordo, qui per multos annos in ea sua Rhenana Canonica ex Diœcesani consensu, more eius temporis, institutus, ac deuotione, & numero permaximè fuerat auctus à præfato Innocentio Pontifice ex noua lege vnanimiter extitit confirmatus. At vbi Cælestinus 2. huius carnis sarcinam deposuit, ipse omniũ consensu Pontifex eligitur, & Lucius 2. vocatus in fœsto S. Matthæi Apostoli, hoc est die Iouis 21. eiusdẽ mensis, anni salutaris, qui tunc bissextilis currebat 1144. solemni pompa, ac totius populi lætitia coronatur. Qui statim quantùm valuit, nil prætermisit, quod ad illos, qui pro terræ sanctæ expeditione laborabant, pro tanta re, tamq; necessaria pertinere arbitrabatur: miro redimendæ Ierosolymæ excitatus ardore: quippe, qui ex titulo S. Crucis in Hierusalem fuerat ad Summi Pont. apicem prouectus: cuius quidem tituli collabentem Basilicam, totam fermè restituerat: Monasterium renouauerat; Claustrum cum tabernis, officinis, & Canonicorum cellis à fundamentis restituerat, & suis prouentibus auxerat. Hic etiam B. Guarinum Bononiensem Canonicum Rhenanum, consanguineum suum, in Canonico Ordine iam quadragenarium, qui de bonis suis paternalibus Xenodochium S. Iob, quòd Hospitale Guarinum idcircò dicitur in Patria construxerat, & dotauerat, ab ipsa Canonica Rhenana ad se aduocatum, in Prænestinum Episcopum, licet maximè reluctantem, asciuit: nec non fratrem Ildebrandum de Grassis antiquissima, & per Illustri familia Bon. Iuris Vtriusq; Doctorem; & præfatæ Canonicæ de Rheno Præpositum, in Præsb. Cardinalem tit. duodecim Apostolorum promouit, & assumpsit. Eo prętereà, annuente Pontifice, in Gal-

lijs apud Sennonensem Vrbem, astante Ludouico eius nominis 7. Francorum Rege Synodus plurimorum tum Episcoporum, tùm Abbatum facta est, quæ Petrum Balyardum quemdam Peripateticę sectæ Philosophum, maximæ doctrinæ virum ab Ecclesia Catholica dissentientē validissimis rationibus peruictum, fidelissimum reddidit, atq; deuotissimum. Verum cum Romani, qui summi Pōt. arbitrio à longeuis temporibus pacificè, & quietè regi consueuerant, potentiam seditionibus quæritantes, senatorium Ius, iamdiù ab eis collapsum, obliuioniq; plenè traditum, quo Reip. dictio contra Romanę Ecclesiæ auctoritatem gubernaretur, suscitare machinassent: à prædicto Innocentio 2. habita aduersus eos in Patriarchio Latheranensi synodo, aliquanto placabiliores redditi fuerunt, ob hoc præcipuè, quòd ipse de suis esset ciuibus Romanis. Sed morte præuentus, quod cęperat perficere non valuit: Lucius vero Innocentij voluntatem secutus, eumdem Senatum abolere, Romanæq; Ecclesiæ libertatem tueri, atq; in pristinum restituere disposuit. Vnde amicorum auxilio, & viribus fretus, Capitolium, vt indè Senatorem expelleret, audactèr, & intrepidè est aggressus, quòd cùm Romanus populus cognouisset, statim tumultuosè ad arma concurrens, & facto impetu, Pontificem cum suis Capitolio temerariè, atq; violentèr expulsum, adeo saxorum ictibus attritum dimiserunt, vt vix ad Latheranas Pontificias ædes semiuiuus delatus, Pastorale officium, quod reliquum fuit temporis (quòd breue admodū fuit) exercere minimè valuerit. At deinceps lecto decubans, non post multos dies, postquam mensibus vndecim, & diebus quatuor rexisset Ecclesiam anno salutari 1146. in crastinum S. Bartholomæi videlicet die Sabbati 25. Augusti, non sine fusi sanguinis Aureola, diem suum clausit, atq; in eadem Lateranēsi Ecclesia honorificè traditus sepulturę, bonis omnibus collachrimantibus, sui maximum desiderium reliquit.

Lucius,

Lucius, vt ex Carolo Sigonio de Episcopis Bononiensibus legitur, pag. 81. Patriæ memor 4. Id. Maij superiorum omnium Pontificum priuilegia Bononiæ concessa Episcopo renouauit; mense autem Decemb. cum vna ordinatione septem Cardinales crearet, ciues quatuor elegit, inter quos duos S. Mariæ Rhenanæ Canonicos, Vbaldum Caccianimicum Presb. tit. S. Crucis in Hierusi. & Guarinum Guarinium Episcopum Prenestinum constituit. Preterea Vgonem Misanum Presb. tit. S. Laurentij in Lucina: & Raynerium Marescotum Diac. SS. Sergij, & Bacchi fecit Card. Præsb.

Anno 1198. Innocentius 3. Patria Anagninus antea vocatus D. Lotharius Trasimundi de Illustrissima familia Comitum Signæ filius, & Canonicus Reg. S. Potentianæ de Vrbe, ac S. Mariæ de Rheno tunc simul vnitarum: qui sua mirabili doctrina, & morum integritate à Cęlestino Papa 3. inter Cardinales numeratus, post eum immediatè omnium consensu Pontifex denunciatus est. Sub tali, ac tanto Pontifice dedit Deus Ecclesiæ suæ duo luminaria magna sanctos viros, Dominicum, & Franciscum, quorum vtriusq; institutæ fuerunt etiam Congregationes. Inter quæ cætera eius pietatis opera, ære, ac studio suo maximo Hospitale Romanum S. Spiritus toto orbe terrarum percelebre fabricatum est, maximisq; prouentibus dotatum, atq; locupletatum. Altare S. Petri maximoperè decorauit, atq; ornauit. Singulis Ecclesijs libram argēti vnam donauit ad Calices faciendos pro sacrificijs. Ecclesiam S. Syxti ob vetustatem, ferè collapsam, restaurauit. Plura Decreta fecit cùm laicorum, tùm Clericorum moribus reformandis, aliaq; multa doctissimè ad Christianam vtilitatem conscripsit. Commendatur eius obitus apud Rhenanos anno Dom. Incar. 1216. Sexto Non. Iulij anno sui Pont. 18. Septimo mense, & 16. die, & Perusij sepultus est.

De Cardinalibus Rhenanæ Canonicæ. Cap. VIII.

TESTATVR frater Petrus Michaelis Venetus, Concanonicus noster in Commentarijs suis se legisse sexdecim Canonicos de Rheno ipso ad Cardinalatus honorem assumptos. Nec sanè mirum, inquit, cum ipsa Lateranensis Ecclesia, & omnes Ecclesiæ titulares Cardinalium regerentur per hos tum Canonicos, qui omnes regulam iam vulgatam D. Patris Augustini à Concilio præsertim Maguntino citra, de quo diximus, imitandam susceperunt. Nam etiam tum Romæ Rhenani Canonici tenebant duo Monasteria; S. Praxedis, & S. Potentianæ; ex quorum vtroq; Cętu ibidem profitentium Canonicorum Cardinales Titularij earum Ecclesiarum promouebantur, pro eius videlicet temporis more, vt in pluribus tunc huiusmodi titularibus Vrbanis, obseruato. Tunc Pontifices per Bullas nullum alium in titulis S. Potentianæ, & S. Praxedis, S. Crucis in Hyerusalem, & S. Mariæ Nouæ de Vrbe statuerunt, posse eligi, & dari, nisi ex Canonicis regularibus, Cardinalem. Ita sanè Alexander Papa 3. dedit Bullam Canonicis S. Crucis in Hyer. de Vrbe, statuens ad instar Lucij Papæ 2. vt nullus eligi posset Præsbiter Cardinalis eiusdem tituli, nisi ordinis Canonici. Aliam similem ad instar Vrbani 2. Innocentij 2. Cælestini 2. Lucij 2. Eugenij 3. & Hadriani 4. fecit S. Mariæ Nouæ de Vrbe; quòd non posset eligi Diaconus Cardinalis eius tituli, nisi Canonicus reg. Quarum transumpta in tomo Priuilegiorum apud nos habentur; & in Propugnaculo D. Augustini Ticinensis Can. reg. excussa typis leguntur. Præter igitur quatuor Cardinales supremo Diademate coronatos, quos nomina

uimus

uimus supra; inuenimus etiam in annalibus, & Kalendario Rhenanis Cardinales infrascriptos.

D Aimericum Burgundum virum illustrem S. Mariæ Nouæ Diac. Cardinalem; & S.R.E. Cancellarium à Calixto 2. creatum anno 1120. antea verò Canonicum Rhenanum; obijt 1138. 5. Cal. Iunij: de quo habuimus Calicem magnum, & scyphũ argenteum, & decẽ vncias auri.

Anselmus Canonicus de Rheno Cardinalis creatus ab Honorio 2.

D. Theodeuuinum Germanum, vel Theodinum Can. reg. S. Mariç de Rheno, ab Innocentio 2. Præsb. Cardinalem, & Episcopum Portuensem, & S. Ruphinæ creatum anno 1134. Obijt anno 1150. de mense Martij; pro quo habuimus decem Bizantios.

D. Vbaldum Caccianimicum Bon. Rhenanum à Lucio 2. Prçsb. Cardinalem tit. S. Crucis in Hier. creatum anno 1144. sui Pont. anno primo; & hunc solum fecit in sua prima creatione Cardinalem.

D. Magistrum Guidonem Can. reg. S. Mariæ de Rheno à Lucio 2. Præsby. Card S. Potentianæ tit. Pastoris creatum anno 1144. Hic dedit Rhenanis Canonicis suis Monasterium sui tituli annuente Hadriano 4. Eius obitus cõmendatur 1154. 4. Kal. Maij. Habuimus pulcherrimum Pluuiale, & Calicem magnum.

D. Guarinum Fuscherarium à Lucio 2. Card. & Episcopum Prænestinum creatum. Hic idem est, quem Carolus Sigonius in suo de Episcopis Bononiensibus pag. 81. vocat Guarinum Guarinium. Sed vera fide à Biblioteca Vaticana deprompta in libro scripto, in quo sunt depicta insignia Romanorum Pontificum, & Cardinalium. Primus Cardinalis qui annotatur creatus à Lucio Papa 2. hic est videlicet Guarinus Epis. Card. Prænestinus Can. reg. Patria Bon. familia Fuscheraria. Idem Guarinus ob vitæ sanctitatem, & miraculorum corruscationem ab Alexan-

dro 3. inter sanctos relatus est anno 1159. & eius solemnis dies agitur 8. Idus Februarij Guarinus autē Guarinius in quo æquiuocat Sigonius fuit Episcopis Bononiensis, & sāctus, vt in Annalibus, & annis centum, & decem vixisse legitur.

D. Bosium Anglum ex Papæ scriptore Præsb. Card. S. Potentianæ tit. Pastoris S. R. E. Camerarium ab Hadriano 4. anno 1155. creatum.

D. Ildebrandum Crassum Ciuem Bon. Can. reg. S. Mariæ de Rheno, eiusq; Canonicæ præpositum, & rectorem Ecclesiæ S. Geminiani Mutinæ Diac. Card. S. Eustachij, ab Eugenio 3. anno 1146. creatum. Idem Ildebrandus Presbyter Basilicæ Apostolorum Episcopus Bon. reperitur apud Carolum Sigonium de Epis. Bon. pag. 84. Verū, vt opinatur ipse Sigonius, electus abdicauit. Si quidem anno 1168. Episcopus Mutinensis & Legatus Sedis Apostolicæ Vicetiæ obijt. Sed alibi dicitur, maximè autem nostris in Annalibus à Lucio 2. inter Cardinales positus, & eius obitus commendatur anno 1178. 6. Idus Nocb. sepultus apud Vicetiam in Ecclesia maiori, cùm ibi Legatum ageret. De quo Rhenanum Monasterium habuit ducentos Bizantios, cum capella, & quibusdam vasis argenteis, tàm ad diuinum, quàm ad humanum opus deputatis; cum vineis etiam, & terris, quas in hodiernum vsq; diem nos possidemus.

D. Petrum Bonum Veronensem Can. reg. Rhen. ab Alexandro 3. Præsby. Card. tit. S. Susannæ creatum anno 1171. Habuimus in obitu eius paramēta maximè insignia.

D. Gregorium de Crescentio S. R. E. Card. qui obijt anno 1208. Idibus Maij.

D. Vgonem Priorem S. Praxedis de Vrbe Card. eius tit. cuius obitus commendatur 1256. 9. Kal. Iulij.

D. Bernardum Priorem S. Potentianæ de Vrbe, atq; eiusdem tit. Card. cuius obitus cōmendatur 8. Id. Octob. 1276.

D. Ray-

D. Raynerium Can. Rhen. Card. de Vrbeueteri; cuius obitus commendatur 14. Kal. Iulij 1217. Habuimus eius purpuram, & 40. aureos Pisanos.

D. Theodorum Can. Rhen. & Card. Ostiensem.

D. Vgolinum Can. Rhen. Card. & Episcopũ Ostiẽsem.

De Archiepiscopis, & Episcopis Rhenanis. Cap. IX.

D. GERARDVS Caccianimicus Bon. Nepos Papæ Lucij 2. dum esset Prior S. Mariæ de Rheno, Archiep. Aquensis ab ipso Lucio fuit creatus anno 1183. obijt anno 1193. die 18. Decemb.

D. Vbertus Archiep. Cantueriensis obijt 1205. 4. Idus Iulij.

D. Villanus Archiep. S. Mariæ Pisanæ Ecclesię; obijt 1207. Nonis Octob.

D. Guido Archiep. Aquẽsis obijt 1233. 15. Kal. Martij.

D. Odericus, vel Oderisius Episcopus Forconiensis, vel Forocorneliensis obijt 1204. 4. Kal. Iunij.

D. Gerardus Prior S. Mariæ de Rheno, postea Bituricẽsis Episc. factus anno 1206. obijt Mutinę 1216. nonis Iulij.

D. Albertus Episc. Reginus, obijt 1207. nonis Aprilis.

D. Thomas Prępositus Rheni, factus Episc. Imolensis anno 1207. sub cuius dominatione domus Rhenana magnũ honorẽ, & magnũ statũ habuit. Obijt 1248. 3. Kal. Octob.

D. Sinibaldus Episc. Imolensis obijt anno 1297. 14. Kal. Iulij. Sepultus in Ecclesia Rhenana iuxta Altare S. Saluatoris, coniunctim sepulturæ D. Faitę Matris Papę Lucij 2.

D. Vbertus Decretorum Doctor Egr. Prior Rheni, & postea Episc. Concordiensis: obijt anno 1214. 11. Kal. Octob.

D.Gerardus; Gisla seu Giselli seu Ghiselæ de Scannabecchis Epis. Bon. obijt anno 1198. is titulum Principis sacri Imperij ab Henrico V. Imp. accepit, quo etiã nunc Epis. vtitur: & à Cęlestino 3. multis priuilegijs ornatus.

D. Henricus secũdus à fracta Epis. Bon. qui anno 1140. se abdicat is 1141. prid. non. Octob. inuenit corpus S. Petronij incognitum ciuitati in ęde S. Stephani: & à Lucio 2. confirmationem priuilegij Paschalis 2. accepit 1145. obijt.

D. Mainardus Epis. Imolensis, qui mortuus est apud Rhenum Patriam, & fratres Concanonicos visitaturus.

Habuisse legimus, & alias dignitates, atq; prælaturas superioribus inferiores, extraq; proprias sedes; legitur enim.

D. Raimundus Abbas S. Bartolomæi de Musignano extra Planorium.

D. Gerardus præpositus S. Marini de Carpo, Mutinensis Diœcesis.

D. Gerardus Prior S. Feliculæ de Parma.

D. Martinus Abbas S. Dionisij de Mediolano.

D. Rolandus Abbas Monasterij Virgilensis.

D. Lamphrancus Prior S. Prosperi de Fauentia.

Ordinis eiusdem Canonicorum de Rheno erant quoq; tunc Monasteria S. Io. in Monte in ciuitate, & S. Victoris extra Bon. quorum omnium obitus in eodem Calendario antiquo Rhenano pariter commendantur, Priorum inquam, & Canonicorum, & conuersorum. De his duobus Monasterijs fit mentio specialis in cap. cum in Ecclesijs de Ma. & obe.

Gradum quoq; Doctoratus, & Magisterij assumebant. Plures enim leguntur Doctores, & Magistri in ipsomet Calendario.

D. Vuilielmus de S. Germano Magister, & Cappellanus Domini Papæ, qui obijt 17. Kal. Decẽb. anno 1233.

D. Vgo

D. Vgo Prouenzalis sacræ Theologiæ Magister, qui obijt 16. Kal. Nouemb. 1230.

D. Rogerius Magister, qui fecit fieri nouam sepulturã pro Conuersis in Cœmetrio nouo; qui obijt 10. Kal. Sept. anno 1260.

D. Petrus, & D. Rainerius ambo eodem tempore in familia Rhenana Magistri anno 1227.

De Canonicis Regularibus S. Saluatoris Venetiarum. Cap. X.

HVnc reformationes ordinis eiusdem prosequentes, vt faciebamus; post reformationem factam ab Innocentio 2. in Canonica de Rheno: Venetijs quoq; non multò post ad instantiam B. Bonfilij Veneti ex familia Iusta erexit Plebaniam collegiatam D. Saluatoris, quæ hactenùs fuerat sęcularis, in regularem Canonicam, anno 1141. die 3. Maij. De hac verò Ecclesia S. Saluatoris Venetiarum ita scriptum ab antiquis reperimus.

Sanctus Magnus Episcopus Eracleæ adhuc iuuenis fugiens Attilę persecutionem, qui anno circiter 465. Altini destruxit Ciuitatem, eiusdem Sancti Patriam, & plures alias circumuicinas, transtulit se Eracleam ab Eraclio Imperatore fundatam; quæ sanè tunc Noua ciuitas nuncupabatur: cuius non multò post suam ob vitę sanctitatem Magnus electus est Episcopus. Anno verò 470. cùm se in Lucunas Venetas transtulisset, diuino inspiratus numine, fundauit multas ibi Ecclesias, vt apud Voraginem in eius vita plenius apparet, præcipuè autem Ecclesiam D. Saluatoris mundi eo met loci, vbi nunc est, qui vtiq; Saluator sibi candida in nube apparens, ipsam Ecclesiam ibi ædificandam in sui honorem, maximè verò in suæ

 glo-

gloriosissime Transfigurationis perpetuam commemorationem, reuelauit. Eadem S. Saluatoris Ecclesia circiter annum 655. à familia Carosiorum, vel Catalosorum antea vocata, prouenientę à Mantua, & à familia Galattazza summo fauore, atq; honore habita est. Fuitq; à principio Parochialis à Plebanis, & Praesbyteris ad annum vsq; 1140. gubernata. Quo tempore, Venerabili viro Ioanni Gradenico, eius plebano, successit venerab. Bonfilius Venetus de familia Iusta, & de Parochia ipsa, qui dũ ab ordinario Plebem, & Ecclęsiam præfatam suscepisset, ita illam cum Dei timore regebat, ac si regularis esset: ieiunijs, & orationibus, carnis incentiua domabat, vt virgo Deo virgineum corpus redderet. Vnde ipso semper cogitante sub regulari vita, & ordine viuere, consuluit D. Henricum Dandulum Patriarcham Gradensem, qui vir bonus, & sanctus erat; & ei, vt cogitauerat, consuluit, ac persuasit Canonicè viuere cum suis Præsbyteris ipsius Ecclesię secundum Deum, & B. Augustini regulam. Cum igitur habitum Canonicum cum suis Præsbyteris, & Clericis assumpsisset, indignatus Episcopus Castellanus, quòd sine eius permissu rem hanc fecisset, præcepit Præsbyteris, & Clericis præfatis iam Canonicis regularibus, ne illa in Ecclesia S. Saluatoris vllatenus diuina officia cælebrarent. Quare vir Dei Bonfilius suorum destitutus solatio Canonicorum, ad Patriarcham confugiens, de cuius consilio rudimenta cælestis disciplinę susceperat, auxiliũ, & fauorem petebat. Is autem cum aliter ei subuenire non posset, ob graues inimicitias inter se, & Episcopum præfatum, & Petrum Polanum Ducem, & populum (causa verò inimicitiæ fuerat, quia ipse Patriarcha cum progenie Baduariorum contradixerant vociferationi populi, ne Petrus ille Polanus Dux foret) præcepit suo Capellano, vt interim cum Bonfilio in obsequijs, & officijs diuinis esset. Verùm, & hic æmulorum conuicijs, & minis perterritus,

ad ipsam Ecclesiã cęlebrandi causa venire non audebat. Dominicus autem Benatus Canonicus S. Mariæ de Auolana procurauit ei Socium Dei amicum. Interim Patriarcha Romam profectus, omnia viri Dei gesta narrauit Innocentio Papæ 2. qui suscipiens dictum Monasterium, & personas sub sua protectione, confirmauit dictam Ecclesiam in Prioratum, & Canonicam regularem sub regula D. Augustini amplissimo suo priuilegio dato super hoc in Lateranensi Palatio die 3. Maij, anno 1141. & ad maiorem viri Dei solatium, misit etiam duos fratres de sua Lateranensi; Petrum videlicet, & Catonem, quorum præsentia cessauit persecutio: quia Episcopus non audebat se amplius intromittere: & numerus Deo seruientium augebatur. Fuit autem B. Bonfilius octauus, & vltimus Plebanus, & primus Prior in ipsa Ecclesia facta iam Canonica regulari S. Saluatoris. Obtinuit posteà & aliud priuilegium ab Eugenio 3. Datum Brixię anno 1149. Tamem verò, suadente Diabolo, æmuli, & persecutores nec ad sanctam viri Dei vitam, nec ad Priuilegia Pontificum respicientes, inuidia, & furore compulsi, manus iniecerunt in ipsum, & veste eius concisa, ab ipsis euasit, & in Claustrum fugit: quem cò vsq; insequẽtes, Claustrum profectò violassent, nisi Dominus corda propinquorũ Sancti concitasset (erat enim de nobili genere ortus, videlicet de domo Iustorũ, qui antiquitus erant valdè nobiles) sed eorum animos comprimens vir sanctus, dedit se ipsum exulem in Insulã Veglæ, & intrans in nauem, associatus à propinquis, vsq; ad litus, abijt, atq; in ipsa Insula septem mensibus stetit; ad quem multi confluentes, salutaribus eius monitis, peccata sua confitebantur. Quo audito à persecutoribus, furore accensi, & veste, & carne ipsius concisa, interfecerunt. Obdormiuit autem Bonfilius in Domino inter verba illa B. Stephani Prothom. Domine ne statuas illis hoc peccatum: quia nesciunt quid faciunt 8. Kal. Maij

octaui exilij sui mensis. Testati sunt Accolæ illius loci, quod nocte ipsa viderunt super tumulum eius lumen accensum, quod postea visum est pluribus etiam diuersis vicibus: sed vltio diuina vindictam non distulit; nam non multò post Auctor iniuriarum graui percussus fuit morbo epilepsiæ, frequenterq; illo anno cecidit, & elisus spumas ora torquebat, & apud Dyrachium taliter infirmatus in Anniuersaria hominis Dei, cum morbus inualesceret, rogabat pęnitentiam super his, quę in seruum Dei gesserat, & alijs excessibus, & in pęnitentia mortuus est in manu Sacerdotis. Factum est autem paulò post, vt præfatus Patriarcha à Romano Pontifice missus peragraret partes Dalmatiæ, venissetq; ad Insulam Veglæ, vbi corpus viri sancti sepultum fuerat: & cum ibi quæ Romanus Pont. iniunxerat, peregisset, assumpsit sanctum corpus, & secum Venetias detulit, vbi à Priore, & Canonicis in arca marmorea post Altare, secundum altaris mensuram honorificè conditum fuit. Obijt autem vir Dei plenus sanctitate, & miraculis clarus anno Domini 1151. 24. die Aprilis: Cui sucesit D. Gerardus; & ab hoc alij 22. Prælati Priores perpetui à suismet Canonicis electi, & à Sede Apostolica confirmati ad annum vsq; 1427. ex quibus plures ob laudabilem vitam, & Episcopatus, & alias dignitates obtinuere. Infra quod tempus Canonica, & fabricis, & bonis tùm spiritualibus, cùm temporalibus, ac priuilegijs adaucta, & decorata mirum in modum à Summis Pontificibus, & à Federico Barbarossa Imperatore 2. fuit. Alexander Papa 3. sub Prioratu D. Viuiani Florauantis Prioris 4. cum d. Papa Venetias aufugisset, ob insultus præfati Imp. Federici, die 29. Aug. anno sui Pont. 19. & Domini 1177. consecrauit d. Ecclesiam ex incendio restauratam cælebrando, præsente ipso Imperatore, Missam. Cęlestinus Papa sub 6. Priore D. Gregorio Florauantio de cõsensu Episcopi Castellani, & Canonicorum d. Ecclesiæ, &

Ple-

Plebanorum Venetiarum die 14. Maij anno sui Pont. 6. & Domini 1197. vniuit ipsi Prioratui, & Canonicę vicinam Parochialem Ecclesiam S. Bartholomæi; antea S. Demetrij vocatam, nominando ipsum Priorem eius Ecclesiæ Vicarium. Anno 1400. Bonifacius 9. xI. sui Pont. concessit D. Ioanni Bono Priori 24. & eius successoribus vsum Pontificalium Insigniorum. Anno vero.

In initio schismæ 22. hęc Canonica fuit omninò destructa, & pristina regulari obseruantia deformata ab adulterinis Prioribus, & Canonicis. Quare vacante hoc beneficio in Romana Curia fuit à Martino 5. anno 1427. commendatum Gabrielli Condolmerio Bononiæ Legato, Episcopo verò Senensi, & Sanctæ Ecclesiæ Thesaurario, Nepoti Gregorio 12. Ipse autem Gabriel anno 1431. assumptus ad Pontificatum, & Eugenius 4. nominatus, huius Ecclesiæ administrationem commisit Thomæ Tragurienśi, ac demum Feltrensi Episcopo, qui perseueranter eam administrauit ad annum vsq; 1441. quo tempore idem Pont. viuæ vocis oraculo nonnullos ex Canonicis reg. cong. S. Saluatoris de Bononia in eius seruitium mittendos iussit. Missiq; fuerunt à Patre Regulino Senensi tunc illorum Priore Generali, & frater Lucas de Bardis Florentinus fuit ibi assignatus eorum Vicarius. Accepti verò fuere omnes die 1. Augusti Parochianorum consensu, ac deuotione. Quorum postea sanctimonia, & exemplaritate magis accensus Pontifex idem Eugenius, eandem Canonicam valore Florenorum 800. de Camera, per à se datas Florentiæ 21. Iunij anno sui Pont. 12. & Domini 1442. cum omnibus iuribus, pertinentijs, bonis temporalibus, & Ecclesiasticis stabilibus, & mobilibus præfatæ Congregationi S. Saluatoris de Bononia vniuit, & donauit; cōfirmando ei omnia Priuilegia, & gratias cuicūq; personæ, & quoquo modo, & forma antea factas. Cuius primus Prior fuit creatus præfatus frater Lucas, in primis

Vica-

Vicarius; & in sui locum subrogatus Fr. Michael Ioannis de Bononia cum 16. alijs Canonicis die 19. Iulij subsequentis.

De Canonicis Regularibus Nicosianis. Apud Pisas. Cap. XI.

VT dilucidè huius Nicosiensis Monasterij, ortum, ac progressum valeas, lector, agnoscere, positoris mores primùm, & vitam; dehinc qua in hac sylua erectum sit ratione; sub cuius demùm Patris Augustini in Canonica inceperit, excreuerit, & adhæc vsq; tempora perdurauerit obseruantia, quàm breuius potero memoriæ, ac stilo commendare dignum duxi. Fuit ergo in Valle Arni Pisanæ Diœcesis; in Pago nomine Fagiano Rusticus, cui filius erat nomine Vgo, quem gregis custodię præfectum, cum villicæ Plebanus Ecclesiæ sępenumerò attendisset, & miram pueri indolem, venustissimumq; aspectum perpensasset; ne rusticis sordesceret moribus; vt sibi tamquam adoptiuum filium, omnibus in breui liberalibus doctrinis decorandum puerum, annos tunc septem natum, traderet, maximis præcibus, ac promissis à Patre impetrauit. Voluntatiq; paternæ obsequens puer post multa oscula, & vberrimas lachrimas, patris roboratus benedictione, cum Ven. Præsbytero ad eius Ecclesiam perrexit. Cumq; moribus, ac humanarum honestamento litterarũ in dies eum nobilitari Sacerdos cerneret, ne diuinum pueri ingenium, liberalibus expers disciplinis squallesceret: superno afflatus numine, ad Pisarum toto tunc orbe omnimodis Doctoribus, ac scientijs celebre studium, Vgonem transmittere curauit. In quo breui temporis interuallo, non modò suauem dicendi artem, argutaq; phylosophię

rationi

fationis argumenta imbibisset, verum etiam ex vberrima Theologiæ nectaris vindemia, quantum mortale patiebatur ingenium: vberes talia hausta, inauditaq; perceptione, racemos decerpsit: quod tàm Doctoribus, & condiscipulis, quàm vniuersitati, quę multis nobilibus, & Prælatis abundabat, diuinum hoc videbatur. Nec præter ea disciplinarum iubar vnicum deerat in adolescente; religio immò doctrinæ conglutinata, ac grippo quodam connexa, adeo in eius animo elucebat, vt qui eius doctrinam, & religionem attenderent; non minus has in eo splendescere, quàm in firmamento Solem, & Lunã profiterentur. Quid plura? Tàm fulgidum iubar latere nequiuit. At Pontifici Maximo etiam obtutibus penetratiuis famæ radijs eluxit. Quo motus legatos, vt D. Vgonem moribus, & doctrina non aspernẽdum ad suæ Beatitudinis conspectum venire curarent, ad Pisas delegauit. Quo cum peruenissent, Pontificiumq; mandatum exposuissent; Apostolico in omnibus patri (sicut ortodoxum decet) obsequentissimum se fore respondit. Et ita cum Legatis Romam versus iter arripuit, Doctoribus, & Scolarium vniuersitate, & omni Vrbis plebe viri discessum toto animi affectu comitantibus ad portam vsq; Ciuitatis, nec sine lachrymis, & benedictionibus illum dimittentibus. Ad sacros pedes tandem perueniens, eisdem de more exosculatis, vniuerso astante Cardineo Cętu, doctissima, atq; eloquentissima, immo nectarea oratione Romanũ præsulem, sacrũq; Senatum salutauit; qua motus Pontifex paterna cum benignitate suscipiens, redditus, & quorum prouentu honorificè viuere posset, eidem assignari iussit: nec minus Patres moti, nec de viri fama defraudati, miro Dominum Vgonem affectu reuerebantur. Ad huius namq; consiliũ Curiæ lites vniuersæ, & ardua quæq; deuoluebantur: quę omnia ita maturè disponebat, vt cunctis satisfaciens, neminem à se tristem, vel inconsultũ dimitteret. Contigit autem

autem per tempus Nicosiensis Episcopum Ecclesię in Cipro Insula obdormire; in qua quidam contra Catholicã fidem, antiqui Hostis nequitia, errores pullulauerant: quibus tota Metropolis inficiebatur. Quare post obitum Episcopi sui, Nicosiẽses ciues solliciti consilio, quid actitandũ inter se quæritantes: vt Sedes Apostolica, quæ sacris eruditum alexipharmacis contra pestifera Antistitem dogmata prębeat, peteretur, omnium vox, & consensus fuit. Electi igitur ex nobilibus Legati, Romanũ adeuntes Pontificem, tam super Pastoris priuatione, quàm super serpentium sollicitudine hæresum, auxilium, ac solatium cum lachrymis expostulant. Quos, vt gallina pullos suos, beatissimus Pater compassione paterna amplectẽs, de fratrum suorum consilio, eis D. Vgonem, vtpotè qui doctrina, & sanctitate vitæ antidoto mortiferum virus extinguere idoneus erat, in Præsulem, & Patrem assignauit. Quem maxima Legati letitia, & reuerentia suscipientes: virtutum quippè suarum fama ad eorum aurẹs accesserat: Nicosiam versus cum optato Patre iter arripiunt. Quo cum peruenisset, lætitia omnis coronatur ciuitas: ac tàm à Clericis, & Monachis, tùm ab vniuersis vna voce clamantibus; Benedictus qui venit in nomine Domini, susceptus, in Cathedra Pontificali est collocatus. In qua non segniter agere cępit: Ecclesiæ enim pauperum, viduarum, pupillorumuè præcipuam gerens curam, quicquid Pontificale expostulat officium solerti cura, Dei Optimi, Maximiq; , nec non populi gratia adimplere studuit. Inprimis namq; habito Monacorum, Clericorumq; orthodoxorum Concilio singulos hæresum seminatores, scripturarum auctoritate, sanctarumq; doctrinarum scatenti imbre disputans, conuicit. Aliquos autem in perfidia pertinaciter perdurantes, sæcularis brachio potentiæ ad salubre fidei dogma redire coegit. Sicq; tribulis, & sentibus spinosis penitus euulsis; mundo Ciprus grano, quo versi

Christianæ fidei alitur corpus, affluere cępit. Dum itaq; omnimodis morum,& virtutum honestamentis commissū sibi gregē prouidus Archimandrita sanctè,& laudabiliter rexisset: pro reddendis quibusdam Ecclesiæ suæ iuribus, nec non visitandi Pontificis,& Iubilæi gratia Romam tendere deliberauit. Data igitur pace Clericis, & salutato, cęlestibusq; pasculis grege recreato, Nouem conscendens breui temporis interstitio ad Vrbem peruenit. Vbi à Domino Papa honorificè susceptus est: Quo ex more salutato, nec non Apostolorū liminibus, & deuotis, ac solitis templis maxima deuotione visitatis: declaratisq; Ecclesię suæ iuribus, Pisas diuertit, vbi multa laude digna peregit opera: In primis pręter quotidianas eleemosinas,& Ecclesiarum, sacrarumq; Aedium reparationes: sacellum in Pisana Ecclesia sanctorum quatuor Doctorum nomine erexit. In præfata etiam Ecclesia duos Diaconos,& totidem subdiaconos cum quatuor Clericis, quos Nicosienses appellari iussit, ad altaris ministerium; nec non Magistrum, qui Pisanos edoceret Clericos, ordinauit: eisq; possessiones, è quibus sua quotannis stipendia perciperent, assignauit. Quæ omnia in hodiernum vsq; diem inuiolabiliter obseruata perdurant. Pontem etiam, qui de Spina dicitur, Pisis reparauit. Multa etiam ædificia tàm in Vrbe, quàm extra, fabricari fecit.

Contigit autem, luminum disponente Patre, vt à Pisano Archiepiscopo inuitatus, in quodam Episcopij oppido in Calcis Valle Diœcesis Pisanæ posito, vnà cum supradicto Præsule relaxandi causa animi, Dominus ipse Vgo diuerteret; in quo, dum primæ crepusculo noctis ad quamdam fenestram sancti Episcopi sermocinarentur; in Pinifera ecce sylua, vbi ad Verucę collis radices Nicosiense Cœnobium situm est, illuminosus ignis ellucuit, quo Dominus Vgo motus, cū sacerdotem, quid ille ignis vellet, appellarit, didicit, quòd sub quadam ibi miræ

magni-

magnitudinis Quercu vniuersi homicidiæ, prædones, alijq; circum habitantes nequam homines, sæpissimè congregabantur; qui latrocinandi causa manipulatione nefaria quemq; attentabant, ac suis incursionibus maxima Accolis damna, & cædes violentas inferebant. Statuit tunc, inspirante Altissimi aura, ex latronũ spelunca, Dei seruorum domicilium; ex piratica officina Ecclesiam; ex malorum conuenticulo, sanctorum, & altissimi sedem efficere. Cognitoq; quòd locus ad Abbatiam S. Michaelis de Veruca spectaret; non destitit sanctissimus vir, vsq; dũ ab Abbate syluam emit. Qua incisa, & sublucata, cæpit Ecclesiæ in honore Aurelij Doctoris D. Augustini, & Beatissimi Christi Iesu Apostoli D. Thomæ dedicatæ fundamenta erigere; astantibus Episcopis quatuor, qui multas Indulgentias visitantibus eam quotidiè concesserunt, vt in Priuilegio eorum, quod in eiusdem Monasterij Archiuio seruatur, patet. Dedicata autem fuit prędicta Ecclesia anno Dom. Incar. 1264. in die B. Thomæ Apostoli Põtificatus D. Vrbani Papę 4. anno 3. præsentibus D. Federico S. Pisanis Ecclesiæ Archiępiscopo, totius Sardinię Primate, & Apostolicę Sedis Legato; D Lombardo Aleriensi, & Fratre Gotifredo Agrigentino Episcopis. Erecta verò fuit prædicta Ecclesia anno Dom. 1268. secundũ calculum Pisanum anno D. Clementis 4. Vltimo in Pisana Diœcesi in Valle Calcis, aliàs Gratiosa à fertilitate, ac pulchritudine denominata ad radices montis Verrucæ, in loco, quod Rezanum dicitur; Inter eas videlicet syluas, & nemora, vbi olim gregem pauisset vbi veluti alter David à Samuele, ab eius scilicet Villæ Plebano ex Mappalibus illis paruulus sublatus est, dum patris pauculas oues pasceret in deserto. Quam Ecclesiam, & Villam à sui Archiepiscopatus nomine compellauit Nicosiam. Erecto Cœnobio item cum suis officinis, & asignatis possessionibus pro sustentatione Canonicorum, qui ibi deseruire debe-

deberent: emptis calicibus, libris, alijsq; Ecclesiæ ornamentis, & omni supelectile domus, arma, iura, & alia quęcumq; subministrauit; quorum fructu, & vsu Canonici, Conuersi, ac seruitores competenter viuere possent. Eosdem insuper Canonicos regulam Beatissimi Patris Augustini, quem ducem, & Antesignanum in Christi militia semper attenderent, profiteri instituit. Quibus, & quasdam Constitutiones ex Canonum institutis, ac sanctorum Patrum gestis, qualiter in omnibus secundum ordinem Canonicum viuere deberent, edocentes conscripsit; necnon ipsam B. P. Augustini regulam magna elegantia, & spirituali doctrina illis exposuit. Quæ omnia adhuc in eadem Canonica seruantur intacta. Cum autem per annos aliquot cum prędictis Canonicis sanctè, & laudabiliter in hoc Nicosiensi Monasterio B. Pater vixisset, suæq; conuersationis splendifero cunctos perfudisset exemplo: instante tempore, quo copiosissimam de bonis actibus mercedem liberalissimus Paterfamilias eidem condonare decreuerat: ardentissimo per multos dies febrium æstu laborauit. In quo incredibili patientia de omnibus semper omnipotenti, optimoq; Deo inexaustas actitabat gratias, assiduè orans, & psalmis, himnis, & canticis spiritualibus incolumen in infirmo corpore animam habitare per se ferebat. Tandem se viribus destitui penitus sentiens, sacratissima præciosissimi Corporis, & salutiferi sanguinis Christi misteria vberi lachrimarum inundantia humiliq; reuerentia sumens & reliquis se muniens Ecclesiæ sacramentalibus telis prædixit in vigilia B. Patris Augustini à Domino se euocandũ fore: & præcepit corpore eodem die ante Altare maius in terra tumulato, cęlebre festum, deposito luctu, omniq; signo Lugubri, cælebrari debere. Instante igitur, vt prædixerat, Patris Augustini vigilia, nectarea, atq; cęlesti oratione ad vnitatem, & incæpti feruorem propositi, Canonicos adhortatus est. Et

ita

ita sacer ille spiritus Empyrea frequenti Angelorum comitante turba, festiuus, & gaudens ingressus est Palatia. Post cuius obitum quędam irradians supra corpus venerandum, quamdiu super terram stetit, stella elucuit. Hoc signo illum suorum agminibus sanctorum aggregasse, cuius sanctitatem pluribus inditijs in vita nouerant, voluit in morte ab omnibus agnosci Redemptor ille omniũ Iesus Christus, cui toto corde, totisq; viribus Vgo ipse iugiter inseruierat. Ob memoriam autem, & reuerentiam sacratissimi obitus venerabilis Archiepiscopi sui consueuere Nicosienses Canonici die praecedenti eius dormitionem, post solitum officium defunctorum, vesperas, & sequenti nocte post Matutinum tria responsoria nocturna cum laudibus in nota decantare: in mane Missam Defunctorum cum solitis responsorijs, & sequentia solemniter cælebrare; multis, dum supradicta cælebrantur, luminaribus tàm supra altare, quàm circa sepulchrum, ardentibus. A' Vesperis verò antedictis vsq; ad finitas sequentis Missas lucis, quatuor magna luminaria supra venerabile corpus continuò ardere solita sunt. Hęc pauca de venerabilis viri vita sufficiant. Nunc de profectu ipsorũ Canonicorum. Post venerandi decessum Patris, Canonici, quos instituerat, in omni vitæ, ac morum integritate viuentes, conuersationis sanctæ bono cunctos odore perfundebant. At temporum rapacitate, creata, quæq; abolente, euenit, Martio bellicoue tumultu Pisanum perturbante agrum, hanc habitatore Canonicam priuari: & quod magis est dignum compassione, ita incendia à militibus, vt Monasterij perdiderit formam; & pro saniori parte solo adæquata fuerit; quo etiam tempore ex prædictis Canonicis multi vita defuncti sunt. Videntes autem qui reliqui fuerant, nequire Monasterij ruuina secundum morem diuinis vacare; Pręposito eorum annuente, Pisas adhabitãdum diuertere decreuerunt. Quod vener. Prior S. Pauli

de

de Horto cognoscens, eos ardenti charitate, & paterna compaſsione ad ſuum perduxit Monaſterium, eisq; victui neceſſaria non ſecus ac proprijs Monachis, quandiù perdurauit bellum, alacriter miniſtrauit. Quo finito, & Canonica tùm redditibus proprijs, tùm eleemoſinis reparata, cum præfati Prioris S. Pauli benedictione, ipſi Nicoſienſes Canonici remearunt ad propria. At cum fraterna charitate tum Prior S. Pauli cum Monachis ſuis, tum Prior Nicoſianus cum ſuis Canonicis inuicem connexi, habitu tantum, & domicilio eſſent diuiſi; de vnione inter eos agē da, operante Dei ſpiritu ſermo interuenit. Cum verò pręmiſsis orationibus, diuinoq; ſpiritu aduocato, id vna contuliſſent, pari tandem conſenſu ſtatuerunt; vt altero eorumdem Priorum è medio ſublato, altero vtrisq; Monaſterijs tamquam verus Pater ab omnibus electus, pręeſſet. Decedente itaq; Priore Nicoſienſi, Prior S. Pauli de Canonicorum conſenſu ac Romani Pontificis Bonifacij Papę 8. licentia, tàm prædictæ Canonicæ, quàm ſui Monaſterij curam ſuſcepit: ac ſuos Monacos, & Nicoſienſes moribus, & charitate vnitos, per multos annos prouidè, & laudabiliter rexit. Contigit autem præfata vnio circa annos Domini 1300. ſub datis Pontificijs ... menſis ... anno ipſius Pontificis ...

Poſt autem aliqua temporum curricula Piſanus denuò ager multis vexatus bellis fuit, quibus coacti ſunt Nicoſienſes fratres iterum relinquere Monaſterium: quod tū habitatoris defectu, tùm militum incurſu, pro maxima parte ſolitis deſolatum ædificijs remanſit. Eodem etiam belli tempore ſanior Nicoſienſium pars Canonicorum humano ſoluta debito, obijt; quod etiam multis S. Pauli de Horto venerandis Monachis commune fuit. Qua propter, vt non modò Monaſterijs, & Congregationibus, verùm etiam Regnis, & Imperijs accidit, mortuis quibus, & temporalium, & ſpiritualiū cura ſolers, & vigilantiſsima

inerat, Nicosiensis Canonica in vtroq; bonorum genere imminuta est. Potissimùm quia vtrisq; Monasterijs quidam Prior præfuit, qui reliquos omnes fratres. Piiis tantùm degere iusserat: aliquibus tantùm diebus per annum (qui tamen erant rarissimi) aliquẽ ex Monachis Nicosiã ad diuina cælebranda transmittebat: nec non ad venerandum Doctoris eximij Patris Augustini fœstiuum natale cum Monachis ipse quotannis conueniebat: cuius incuriam subsequentes amplexati Priores, tantùm si quid ex Canonica emolumenti extorquere possent, attendentes, nihil de reparatione cogitabãt. Ad id facer (proh dolor) deuenit locus, vt Canonicorum vice à Rusticis habitaretur; & quæ in eo fiebant, satius tacenda, quàm propalanda puto. Si quando Priores huc venissent, venationis, & aucupij, animiq; relaxandi causa cum sæcularium, & epulonum comitatu, solùm conueniebant. Perstiterunt autẽ in præfata vnione annos ferè septuaginta vsq; ad Vrbani Papæ V. tempora; quibus cuncti potentem prouidum Cęli, & Terræ Gubernatorem domus suæ zelus comedit; & hanc suis desolatam bonis Canonicam commiseratus, vt duobus his Monasterijs vir moribus, & sanctitate honestatus Vgo nomine præponeretur; annuit. Voluit quippe sacrarium ab Archiepiscopo Vgone erectum, per aliũ Vgonem reparari, & ad pristinas dignitates deduci. Electus itaq; vir prouidus Deum Optimum Maximum, atq; illibatam virginẽ, nec non Beatissimum Patrem Augustinum, quatenus ad eorum laudem, & honorem fundatoris reuerentia, cuius nomen hæreditauerat, ante sui obitum, Canonicam hanc videre reformatam mereretur, assiduis lachrymis flagitabat. Perseuerante in tali desiderio Vgone præfato, quidam Ciues Pisani patriæ cælestis amore succensi, venditisq; suis facultatibus, & pauperibus erogatis, sanctæ conuersationis habitum sumpserunt; ac sine aliqua proprietate in quadam S. Martini societate conclusi,

per

per septem annos in maxima austeritate Altissimo seruierunt. Quorum feruentissimæ fama vitæ cum vndiq; diffunderetur, à populis maximo concursu frequentari cœperunt. Quod videntes, ac grauiter suam pacem perturbari ferentes, de relinquenda Vrbe, & solitudine petenda simul consilio tractauere; ac primùm aspiratorem Deum, vt quod suæ saluti conduceret, inspirare, extraq; turbam, & Vrbem salubre sibi domicilium ostendere dignaretur, orationum instantia expostulauere. Succurrit tandem diuina disponente prouidentia eorum menti hunc D. Vgonem, vtpotè singularis vitæ, ac scientiæ virum, & eisdem fraticellis (sic enim appellabantur) amicissimum, super re tam ardua consulere; idq; effecerunt. Audiens itaq; ven. Prior eorum salubre propositum; vt hanc Canonicā (ne Archiepiscopi Vgonis sancta, & cælebris deperiret fama) reformare semper optasset, eis referens, & ad turbas fugiendas illos exhortans; Canonicam, si eorum fratres assentirent, cum suis redditibus concessurum promisit: affirmans han de Omnipotentis Dei nutu, ne suo ipse defraudaretur desiderio; ac ne Archiepiscopus Vgo omni suorū fructu operum cassaretur, in eorum cordibus inspirationē emanasse. Domum igitur reuersi Fraticelli, Prioris Vgonis responsum, & promissionem cæteris fratribus retulere. Qua de re vnanimes Deo gratias conclamantes, se in eiusdem Prioris manibus posuerunt, ac infrascriptis conuentionibus Canonicam ven. Prior Vgo de Pisis eisdem fraticellis renunciauit. Primùm vt quamdiù ipse vitali frueretur aura, Prioris nomine eidem etiam Canonicæ præesset; Deindè, vt omnes tam S. Pauli, quàm Nicosiæ Possessiones per discretos arbitros diuideretur, vt vtrisq; Monasterijs æqua portio contingeret: tertiò vt superior nec non dispensator, vel Oeconomus, qui Monasterij ruinas reparare, ac fratrum victui necessaria subministrare valeret, per eos eligeretur. Quibus à fraticellis conuentio

nibus acceptis, duos ex collegio suo videlicet fratrem Ioannem de Cepato, & fratrem Petrum Mascam, quibus Prior Vgo renunciauit, & cessit, ad Romanam Curiã pro rathificatione miserunt. Obtenta igitur ab Vrbano V. gratia sub suis Datis apud Montem Flasconem 6. Kal. Augusti anno sui Pont. 7. Domini autem 1371. Pisas læti reuertentes, venerãdum Priorem adeunt, eiq; signatas Pontificis manu litteras, reformationem hanc deprobantes, aliaq; priuilegia, quibus in Canonicos regulares, vt ab Archiepiscopo Nicosiensi erecti fuerant, confirmabantur: Pluribusq; indultis Apostolica benignitate donabantur. Quæ omnia in ipsius Archiuio Monasterij reseruantur, obtulerunt. Quibus idem Prior lętitia perfusus, diē, qua eos Canonicã inuestiret possessionę, statuit. Et octaua Decembris immaculatæ Conceptionis gloriosissimę Virginis Marię fœstiuitate anno Dom. pisano cõputu 1371. Lucchilaria Dominicæ decantata prius ceremonijs pontificalibus Missa; diu optati desiderij compos Vgo prædictos fraticellos habitu Canonicorum, quem Nicosienses Canonici olim gestare consueuerant; tunica scillicet alba, Rocheto cooperta, cum cappa desuper nigra, bireto nigro deuotionis affectu maximo, prædictus Prior S. Pauli decorauit. Qui autem sumpsere tunc habitum, fuerunt ij videlicet Frater Ioannes de Cepato; Frater Antonius Lambertuccius; Frater Petrus Masca; Frater Paulus Pandolfinus; Frater Ioannes de Carmignano; Frater Nicolaus Gerinius, omnes, vt præfatum est, prius fraticelli societatis S. Martini nuncupati, & ciues Pisani: quibus tali habitu honestatis in optimo proposito, maxima inuicem connexos charitate, ac in bono opere feruentes, vener. Prior Vgo Pisas rediens, & sua confirmans benedictione, reliquit. Omnes autem supradicti die 8. Maij 1372. B. Patris Augustini regulam Canonicorum professi sunt, vt patet per Instrumentum Ser

Cetini

Cetini de Cascina Notarij Pisani. Viuentesq; in canonica obseruatione vniuersos respergebant suauissimo suæ vitæ odore: eorumq; celebs, ac austera conuersatio has optima Oras fama repleuerat: qua multi, Deo seruire cupientes, huc aduolabant, & habitum, ac mores Canonicorum assumebant. Quocircà Nicosiensis Canonica tàm viris, & obseruantia, quàm facultatibus breui excreuit, & in ea Canonici tranquillè, & quietè iuxta eorum antiqua instituta, vixerunt vsq; ad annum 1406. Quo tempore ob singularem affectionem, ac deuotionem, quam eis gerebat Reuerendiss. D. Nicolaus Guinigius Episcopus Lucanus vnitum huic Nicosiano fuit Monasterium in Lucana Diocesi in Monte Brancoli Archangelo Michaeli miraculosè, ac diuinitus fabrefactum; suppresso in dicto Monasterio ordine ac habitu S. Benedicti, secundum quem tũ quædam Moniales ibi habitantes viuebant. Annuente vnioni præfatæ Sanctiss. D. Papa sub Datis suis anno Domini Pont. verò sui sub die Mensis.

De Nouissimis Reformationibus Canonici Ord. Cap. XII.

SED hac de vnione aliàs, & magis opportuno loco dicemus. Interim ad Reformatores Ordinis Canonici redeuntes, illud notum facimus, videlicet ex omnibus, qui regularem, & Canonicam vitam dilexerunt, vnum Honorium Papam 3. miro se in eius amorem desiderio flagrantem ostendisse. Qui coronatus circiter annum 1216. mox visitatores in noua reformatione vniuerso primùm ordinis dedit. Crediderim ego quidem primò visitatores datos ab hoc Honorio Papa ex ordine proprio. Conte-

xuit,& plura Bonifacius 8. 1294. coronatus in suo Sexto, & in suis Clem. Clemens V. anno 1305. coronatus. Benedictus 12. 1334. coronatus; longè post meminit huiusmodi reformationis in suis Constitutionibus, quas in Gallijs pro eodem ordine publicauit anno suo V. Sede iam diù Apostolica ibidem existente. Qua tempestate Monasteria omnia, quæcumq; vacassent, sublata cuilibet Capitulo,& Conuentui omni auctoritate substituendi Prælatos, passim quibuscumq; commendabantur Curialibus, qui eorum prouentus magis expilare poterant, ac studebant, quàm in eis residere. Adeo etiam tunc sub hoc Pontifice aberant illi ab omni eorum reformatione. Fuit assumptus Benedictus 12. dum adhuc in Gallijs Sedes Romana teneretur. Quod ostendit eius successor post multos annos Gregorius 11. anno 1371. coronatus; qui indè in Vrbem Romam secessit. Aedidit hic plures Constitutiones pro Canonico, atq; Monasterio pariter ordine; cum illorum commendatorum opera, & præsertim sub eo schismate, quod paulò post subsecutum est per annos fermè quadraginta, iam Religiosorum omnia tenderent ad interitum. Et ecce tandem aliquandò miseratus Ecclesiæ suæ misericors, & miserator Dominus, extrusa nondum ea schismatis pestilitate, Angelum suum ad nouissimam reformationem totius Religionis, ac primum ordinis Canonici misit ab alto Illustrissimum scilicet atq; Reuerendiss. Dominum Angelum Corarium Venetum Cardinalē tit. S. Marci, quem Romæ in Basilica Vaticana Diui Petri sūmum Ecclesiæ Pontificem electum, atq; constitutum anno 1406. die 31. Octob. summo bonorum omniū gaudio, & applausu Gregorium 12. nominauerunt. Qui sanè Pōtifex sanctiss. ante assumptum Apostolatus apicem, duplici obstrictus voto perhibetur. Altero sanè, quod electus etiam iure iurando Notarijs, ac testibus fidelissimis, atq; nobilissimis adhoc spontè aduocatis, confirmauit,

suaq;

ſuaq; manu ſcripta Tabellionum notauit: omnia videlicet ſe facturum (etiam ſi Pontificatui cedere opus eſſet) quatenus Eccleſię pax ex diuturno ſchiſmate tandē redderetur. Altero verò, quod in arcano ſuæ mentis diutius ſeruatum, demùm in lucem emiſit; Vt omnes religioſos ordines antiquos, qui ſub eo perfidiſſimo ſchiſmate penè interierant, per nouas Congregationes reformaret: nouoſq; pleroſq; inſtitueret: vt quantum poſſet ipſi militanti Eccleſiæ ſubueniret. Quæ non minus per ea tempora in ipſis omnibus religioſis etiam Mendicantibus periclitari videbatur. Primùm autem ordinis Canonici reformationem, animo diù ab ipſo conceptam, & proprio dudum comentus conſilio (vt inferius patebit) ex ſuo met priuilegio tandem pro voto Lucæ auſpicatus eſt 3. Non. Aprilis anno Chriſtianæ ſalutis 1408. ſui verò Pont. 2. Sed de hoc in 3. ſequenti huius noſtri tractatu, atq; libello. Satis erit in his duobus collegiſſe ordinis Canonici primariam inſtitutionem, eiusq; dignitatem declaraſſe: variam illius denominationem ſignificaſſe; confirmationem oſtendiſſe; ac reformationes varias in generali ad Gregorium hunc vſq; 12. pertractaſſe. Poſthac de Congregatione, & creatione Canonicorum reg. D. Saluatoris Mundi erit nobis dicendum.

Finis Secundi Libri.

LIBER TERTIVS

DE ORDINE, AC STATV CANONICO.

De Origine Canonicorum Regularium S. Saluatoris Mundi. Cap. I.

ET si ordo Canonicus ipse sua veluti incunabula ad Apostolorum vsq; ætatem reuocat (vt in primo huius nostri operis libro declaratum est) atq; eius Cænobia, vt Innumera ferè, sic etiam vetustissima celebrantur, primus tamen Gregorius XII. Summus Pontifex perhibetur, qui vniuersam hanc sodalitatem sub titulo Saluatoris Mundi, tanquam sub augustissimo vexillo militantem, vni subiecit Generali (vt vocant) Priori, vniq; generali Conuentui: quibus alij omnes Priores, alia omnia eiusdem ordinis Comitia subijcerentur, ac fasces summitterent. Ante enim id tempus vnumquodq; Cænobium suis peculiaribus Comitijs suum sibi præ-

præficiebat Priorem, qui quidem delatam sibi procurationem, ac dignitatem nō nisi cū vita deponebat. Quamquam sanè huic ordini penitus reformando, & ad optimum statum redigendo extremam manum Martinus imposuit Pontifex eius nominis quinctus. Anno igitur salutis 1408. dum Gregorius XII. Pont. sanctiss. eo animo Concilium peteret, quod tùm fortè Saonæ apud Liguros indixerat, vt priori voto satisfaceret, id est, vt in proximo libro dicebamus, Ecclesiam ab impijssimo schismate pro viribus liberaret: in eo itinere apud Sænas ad aures eius perlata est Fratris Stephani ordinis Eremitarum, religiosissimi, atq; sanctissimi viri fama, in loco haud longè ab Vrbe Senarum, quem Ilicetum incolæ vocant: olim Fulgignanum, postea Liseda; tunc verò Licetum à trecentum annis circa sortitus est vocabulum. Nomen ex Ilicibus factum, quæ frequentes, passimq; sua sponte prodeuntes syluam efficiunt: huius medio templum excolitur Saluatori sacrum, cui sylua, & stagnans lacus perexiguus, non procul distans, syluæ lacus cognomen dederunt. Ibi ad pedes Montis Rositæ lacus dicitur, vbi Amnis certis tantummodò ternis defluit annis, omnia circum circa inundans loca, quam inundationem non modica Comitatus semper consequitur penuria. Constructum extitit hoc tēplum, & cum templo Monasterium à sanctissimis viris, qui inibi ante iam mille, atq; eo amplius annos religiosā in ea solitudine vitam instituerant. In quo etiam fertur postea Diuum Ioannem Franciscum Petri Bernardoni Assisiensis, priusquàm Minorum Ordinem procreasset, aliquandiù substitisse: atq; sacellum pręcibus eius Gregorius Anagninus Papa 9. anno sui Pont. primo; Domini verò 1227. in protectionē susceptus, à Domino Bonfilio Senensi tunc Episcopo consecrari mandauit: vbi ipsius Pont. auctoritate singulis annis in Anniuersario ipsius dedicationis, quod Kalendis Maij fuit, vnius anni, ac dierum

qua-

quadraginta expiationem pro admissis facinoribus, omnibus eo in templo præcaturis perpetuò elargitus est. Statuto non minus, vt in solemnibus horarijs precationibus, quod officium dedicationis Basilicæ Saluatoris Romę in Lateranensi Aede V. Idus Nouembris ageretur, quemadmodum adhuc factitatum acceperat, id in posterum ab æditui persolueretur. Hoc igitur loci Stephanus ille Pater complures, omnes autem patria Senenses, sub eodem sanctitatis proposito, vitam prorsus cęlestem actitantes, lacte, & solidiore cibo, Apostoli sensum æmulatus, pro cuiusq; ætatis viribus, à turbis semotos, in ea solitudine Christo educabat. In ea inquam temporum calamitate: In ea Religionis tempestate: In ea totius Ecclesiæ quasi desperata periclitatione (omnia enim tunc corrupta præcipiti sorte agebantur) labe schismatica annos circiter quadraginta vbiq; debacāte, quam humano præsidio sanari haud possibile videbatur. Quare diuersis locis, diuersa Religiosorum Collegia per ea tempora intra Italiam præsertim excitata passim adinuenies: Dum Pontifices Maximi alter in alterius factionis sectatores diris execrationibus, & Ecclesiasticarum censurarum comminationibus inter se digladiabantur. Pleriq; enim tùm Laici, tùm Clerici, ac etiam claustrales Religiosi pertesi eiusmodi temporis profanati, quo omnia ex illo diuturno schismate, etiam spiritualia sub enormi confusione pessum iri videbantur, neutralitati vt plurimùm inhærentes, in aliquē solitarium locum extra Ciuitatem se recipiebant, quo possent semoti ab omnibus huiusmodi curis, diuinis liberius rebus, sibiq; deseruire. Id quod apud Senenses in loco syluæ lacus per multos iam annos in suomet instituto Frater Stephanus, & sui Commilitones faciebant. Cum igitur eorum purioris vitæ in dies magis fama dilucesceret, ad aures Gregorij Papæ religiosorum virorum præsertim obseruantissimi, eorum videlicet, quos in humili-

tatis ſpiritu deſeruentes audiebat; quorum quippè diuinis ſupplicationibus conſilia ſua eius temporis omnia de uotus commendabat: cum ad ſe illicò accerſiri iuſsit. Cuius cum mores,& vitæ inſtituta ſecretò eſſet ſolertiſsimè perſcrutatus,tanta deuotionis fide, & amore erga eum ac cenſus eſt,vt indè apud familiares de eo dicere ſoleret, ſe virum cęleſtem inter homines tandem adinueniſſe: alterum ſcilicet Thesbitem Eliam pellicea Zona ad lumbos ſuccinctum,in quo ſui voti,ſecundi videlicet,valeret tuta iactare principia. Traditum etiam inuenio Angelum ipsū Cardinalem, cum antea rei pontificiæ cauſa hac iter habere ſolitus eſſet,ad hos aliquando, vt animo erat in religioſos viros propenſiore,diuertiſſe, atq; hominum illorū ita tùm officijs,& humanitate,quàm expertus eſt, delinitum: ita ſanctimonia,& pietate illorum optimè affectum, vt nihil ſupra. Quare Ilicetani Patres, vbi de Gregorij Papę aduentu cognouiſſent, ſummo conſenſu Stephanū deligunt addito ſocio Iacobo, viro graui pariter, ac pio: amboſq; cum mandatis pro ipſorum gratulatione ad Pōtificem allegarunt. Quos quidem is ad pedes ſuos procumbentes conſpexiſſet, illicò dulcis conſuetudinis memoria, ac deſiderio correptus, antequam illi quicquam agerent,aut loquerentur,ipſe vltrò oſculo excepit,ac Stephanum arcto amplexu ad collum inhærens,diù cum ingenti omnium,qui aderant, admiratione detinuit. Erat autem in Stephano ad ea, quę ſuperius de eo memorauimus, honeſta facies, iucundus aſpectus, ac mira quædam totius oris dignitas,tum grauiſsimi mores,vox ſuauis, & decora, deſuper infuſa quadam eloquentia ſpirituali dotata: is deniq; inceſſus,ſtatus,& geſtus, vt omnes, etiā qui hominem minimè antea nouiſſent, quotquot eum audirent,facilè vel primo obtutu in ſui amorem,& admirationem pelliceret,atq; traduceret. Hinc propterea venit, vt cum Ilicetanos omnes chariſsimos haberet Gregorius,

hunc

hunc tamen longè omnium maximè dilexerit: atq; etiam à confeßionibus antea (vt ferunt) cum apud illos Cardinalis diuersaretur, semper habuerit. Huic ergo Gregorius, postquam etiam Papa Oratorium ipsum D. Saluatoris personaliter inuisisset, dißimulato voto, Lucā, quo ipse ex eo itinere diuertebat, ad certum præscriptū tempus, & diem venire persuadet: quasi denuò consultaturus de hismet rebus instantis Concilij, pro quibus Deū Optimum, Maximum supplicandum interim nouisset. Vbi demùm aperto Consilio, cunctantem diutius, nec humanis magis persuasionibus, quàm Apostolica acrius auctoritate permotum, peruicit tandem in suam sententiā: quatenus nouæ Congregationis, quam in reformationem Ordinis Canonici Regularis D. Augustini longo tempore parturierat, ducem eum, & Patrem mox procrearet. Anno itaq; 1408. 3. Non. Aprilis, anno autem Pontificatus ipsius Gregorius secundo Lucæ publicantur in primis Stephanus, & alij lectißimi eiusdem familiæ viri instituti veri, ac germani regulares Canonici. Declaraturq; locus ipse Ilicetanus in Prioratum Canonicum reg. Publicantur, & eius inquilini religiosi præsentes, & futuri inter Canonicos regulares sub titulo S. Saluatoris. Qui manumißi ab omni exterorum, & Heremitarum præsertim antiquo dominio, suscipiuntur sub protectione Pontificis Romani, & Sedis Apostolicæ, nouo habitu, nouis sacris, nouis ceremonijs, nouisq; apostolicis decretis initiati. Commendatisq; tribus amplißimis viris S.R.E. Cardinalibus, videlicet Antonio Cardinali, & Episcopo Bononiensi: Quæstori Pontificio, & ipsius Gregorij ex Philippo Coratio fratre Nepoti: Gabrieli eiusdem Aerarij præfecto, altero Nepoti ex sorore in familia Condolmeria: ac Ioanni vtriq; Episcopo nuper designato, Sænarum illi, huic Epidauri, quam Ragusiam recentiores vocant: à quibus alia quoq; statuta acciperent, atq; statuerent quæcumq;
sibi

ſibi pro Dei gloria ad eius ordinis ſtabilimentum, conſer uationem, amplificationemq; expedire, viderentur. Quod egregiè ab illis, quo ad inter viuos fuere, nauatum eſt. Nam leges quaſdam, paucas illas quidem, ac breues, vt exiguus erat id temporis hominum illorum numerus, ſed magna tamen ſapientia, & conſilio excogitatas, tam Stephano, & alijs Canonicis in Monaſterio Ilicetano tũ degentibus, quàm alijs omnibus, qui eamdem vitę rationem vbicumq; in poſterum eo in ordine ſuſcepturi eſſet, obſeruandas dedere: Quas leges, quoniam noua quaſi illorum vita conſtitueretur, Conſtitutiones appellarunt. Hactenus, vt puto, ſatis, & quo tempore, & quo loco, & à quo inſtituta fuerit Canonicorum Reg. S. Saluatoris Congregatio, dare patet. Nunc qualibus & perſonarum, & locorum, & ipſorum temporum auſpicijs fuerit inſtituta, obſeruantes, diuinitus editam propè intelligemus.

De Pontifice igitur primùm, quo ad eius nomen à Batiſmo (Angelus enim dicebatur) Quia ſub eo ſchiſmate cum ad eam internicionem Monaſteria, & Religioſi quilibet compulſi, vbiq; deueniſſent, vt illa pro maiori parte corruerent; horum pauci ſupereſſent, qui in eis remanerent, itaq; cultus omnis religioſus eo morbo penè interijſſet: miſit Dominus Angelum ſuum, & ſanauit eos. Iam vero primùm omnium conſtat anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octauo, quàm Chriſtus Optimus Maximus hominum Saluator natus erat, Vrbano VI. Pontifi ce Max. ingentem in Eccleſia ſeditionem, quod Græci ſchiſma dixere, coortam: cauſa ea fuit Benedicto XI. poſt diuturnam Anni vtiq;, ac menſis vnius purpuratorum Patrum contentionem, tandem aliquando in Pontificatu Peruſię ſubrogatus cũ fuiſſet Clemens V. genere Aquitanus, quo tempore trecenteſimus quartus ſupra milleſimum ſalutis ageretur Annus, is poſtmodum Lugdunum Galliæ profectus, eo Cardinalibus omnibus ad ſe accitis,

Pon-

Pontificatus sedem Roma traduxit, atq; locauit: quo postea in loco, non sine grauissimo cum Christianorum omnium, tùm verò in primis Romanæ Vrbis dolore, incommodo, atq; calamitate potius ad septuaginta annos permansit: septem deinceps succedentibus maximis Pontificibus, quorum postremus Gregorius XI. diuino spiritu instinctus, eam cum ingenti, atq; immortali sui nominis gloria Romam reportauit, proprioq; in loco restituit, Anno gesti à se Pontificatus septimo: Saluatoris nati millesimo trecentesimo septuagesimo sexto: tametsi magno ea vniuersę Christianæ rei victoria stetit. Etenim cū non ita multò post in demortui Gregorij huius locum Vrbanus 3. quo de ante meminimus ritè subrogatus, Romæ esset, Cardinales Gallici (quæ dimidiata sacri Collegij pars fuit) vel quia electionis se postmodum pęnituerit, vel (vt magis creditum est) quia res ex animi sententia non cesserit, facta fundis seccessione, alium Pontificem, Gebensem quēdam Gallum, ascito Clementis nomine, subdiderunt. Vnde nimirum illa prima, cuius anteà meminimus, ingens Christiani populi scissura, atq; perniciosum dissidium, cùm non modò vt Poeta ille Virgilius canit: Scinditur interea studia in contraria vulgus: Sed Principum etiam partem Vrbanus Pastor, partem alter ille adulterinus Custos trahit. Demùm Vrbano defuncto Bonifacius IX. Romæ succedit: cuius in Pontificatu, cum etiam esset Gebensis extinctus, non est tamen mali labes extincta. Nam Galli obstinatioribus etiam animis contēdentes, Petrum quemdam, cui Lunæ cognomen fuit Auenione sufficiunt Benedictum Ascititio nomine nuncupatum. At Bonifacius X V. anno quàm creatus Pontifex erat, Pontificatu non pessimè gesto, è vita discessit, cui successor ritè subrogatus fuit anno 1405. Cosmus de Sulmona Cardinalis Bononiensis & Innocentius V I I. vocatus; qui cum multos in Cardinalium Collegium legisset, ex

his Angelum Corarium Patria Venetum, in eximium, quoad vixit, ſemper habuit. Verum cum interim Innocẽtio vitæ muneribus defuncto, ſeditionum, atq; diſcordiarum procellis tota ſubrueretur Chriſtiana Reſp. aliquod tandem è cęlo affulgere lumen viſum eſt. Nam Gallici Principes tot, tamq; diuturnis, & communibus, & priuatis afflictati calamitatibus, totos ſe ad reconciliandam Eccleſiam, ſedandosq́; tumultus conuerterunt. A Luna igitur ſummis pręcibus contendunt, orant, idq; exorant, vt pericli tanti Chriſtiano tandem aliquando ſuccurrat, vel Pontificatus abdicatione, tum quod tam præclaro conatu, ea per ſe res digna videretur, tùm quòd ſe id facturum, ſi tranſigi aliter non poſſet, cum primum Pontifex renunciaretur, iureiurando recepiſſet. Itidem Cardinales Patres, qui ab Innocentij obitu Romę ſe continebant, non minus tam longæ labores tempeſtatis pertęſi, vt rem cõponant, ſimul etiam Gallorum impotentiæ obuiam eant, qui ferrum Pontifici aduerſarium comparare in vſum induxiſſe videbantur, eam tollendi diſſidij rationem, ac viã capeſſunt, vt habito de more ad D. Petri in Vaticano Cõcilio, quod Conclaue vocant, antequàm noui Pontificis creandi ſuffragia ineant, ſinguli magnum, atq; præclarum iuſiurandum, diris etiam adhibitis execrationibus iurarunt, ſanctum illum Magiſtratum ſibi mandari, ſi contigiſſet, ſe omnem operam daturos, nec ante deſtituros omninò, quàm (quod in ſe eſſet) rem Chriſtianam in concordiam reducerent, etiam ſi Pontificiam ea de cauſa deponere dignitatem neceſsè foret, ea tamen lege, & conditione, vt idem alter ille, quem Galli Pontificem aſſererent, facere non recuſaret. Traditum eſt in eam eos ſententiã iſſe, quòd nullo alio pacto turbas ſedare perſuaſum habuerint, quàm vt ambobus abrogatis, & Germano, & ſubdititio Pontificibus, vnuſquiſpiam alius ab omnibus ſimul Cardinalibus ſufficeretur, cuius omnes vbiq; gentiũ Impe-

Imperio subijcerentur, atq; obtemperarent. Anno igitur ab hominum salute millesimo quadringentesimo sexto Prid. Kal. Nouemb. Romanus Pont. Max. Angelus Corarius, quo de antea mentio facta est, magno omnium consensu declaratur: qui sponte quæ ante adeptum Pontificatum cum cęteris purpuratis iurarat, de integro se omnia sanctè obseruaturum repromisit: idq; in Acta publica ex templò referendum curauit. Hunc à fidelibus scriptoribus traditum inuenio ex Nicoleto, & Polyxena genitum Parentibus vtiq; grauissimis, atq; integerimis; fratrē natu maiorem habuisse Philippum, virum ea virtute, atq; ea in Repub. Veneta existimatione, vt Procurator, quem, D. Marci appellant, iuuenis admodum euaserit. Angelū admirandæ indolis puerum ita ab ineunte ætate vitam Magistris Parentibus instituisse, vt nihil postea antiquius Dei cultu habuerit, nobilitate pietatem, diuitijs benignitatem, ambitione Religionem, longè prætulerit: profanorum commercia mira dexteritate declinare, in templis, & cum Religiosis viris, quorum incredibile est quàm fuerit studiosus, ferè semper versari. His studijs atq; officijs, quæ obscura minimè essent, in summam virtutis, ac sanctitatis non modò apud Ciues suos, verum etiam passim apud finitimos populos opinionem venisse, ita vt Pactauini mortuo Amadeo. Placentio Parmensi R. E. Cardinale ipsorum Antistite, Angelum in eius locum optarint, Pontifice Vrbano VI. approbante, à quo postea, eius fama ad aures vsq; ipsius suauissimè aspirante Bizantij Patriarcham factum legimus, ipsiq; præsulatu Pactauino cędenti, ne duas pręter ius, & fas insistere sedes videretur, Ioannem Lauredanum subrogatum. Postea verò Bonifacius eius appellationis 9. Pontificalem sedem secundùm Vrbanum adepto, cum res omnes tam diuinæ, quàm humanæ infandæ seditionis incendio conflagrarent. Quod ciuitatibus etiam ipsis plerumq; vsu euenire in maximis

bellis,

bellis, ac diuturnis consueuit, vt aliæ eadem de causa intereant, aliç exoriantur, idem propemodum Monasterijs, ac sacris virorum religiosorum ordinibus; quos Claustrales nunc dicimus, factum est, vt in tam prauo, & tam longo schismate alijs dilapsis, ac fermè extinctis alij instaurati sint, & instituti. Inter hos præcipuum regularium Præsbiterorum, qui D. Georgij ab Alga dicitur, in Vrbis Venetç Vadis, quæ antea sæcularis Ecclesia fuerat, ordinem extitisse. Tunc verò anno vtiq; ab hominum parta salute millesimo circiter quadringentesimo Ludouicum Barbũ ei prçfuisse, iuuenẽ illum quidem, quippe qui vigesimum non excederet ætatis annum, sed moribus, ac vitæ integritate præstantem. Ad hunc tranquillitatis, contemplationisq; causa sub turbulentis illis temporibus, quasi ex fçdissima quadam tempestate in portum confugisse complures Patricios Venetos, atq; inter primos fuisse Marinũ Quirinum, Antonium Corarium, & Gabrielem Condolmerium; quorum duo postremi Angeli erant hic ex sorore, ille ex fratre Philippo Nepotes. Eos Ludouicum perbenignè, perq; humaniter suscepisse; quin & factum eorum propositi conscium, meliorem cum ipsis vitam, & regularem disciplinam affectasse. Omnes itaq; à Pontifice, vt sibi in eodem Collegio agentibus religiosè canonicèq; viuendi formam, & regulam prouideret, postulasse. Bonifacium eorum votum, ac postulatum non aspernatum, Angelo Patriarchç, quem optimum ea in re Magistrum nouisset, negocium illud demandasse. Hinc factum, vt is non solum Collegium illud certis formarit, atq; optimis institutis tunc Patriarcham agens: verum etiam tanti fecerit, vt postea ad Pontificatum prouectus, inter alia per multa, perq; ampla familiæ illi à se tributa priuilegia, habitum quoq; ornatus, atq; honoris causa gestandum eum dederit, quo amplissimi Patres Romani Cardinales sacrũ in Senatum (quod vulgò Consistorium vocant) venturi

antea, vti soliti essent, quem tamen postea colore non nihil, ac forma mutatum, vt nunc quoq; videmus, constat. Inito igitur, vt dictum est Gregorius Pontificatu, protinus Christianæ Reip. atq; Religionis vicem omnium maximè anxius, ad eam reconciliandam, stabiliendamq́; omnem curam, studium, cogitationem, mentem deniq; omnem conuertit, atq; intendit. Ac primùm quidem, cum se tanto muneri minimè parem idoneumq; putaret, ante omnia Dei Optimi Maximi opem sapienti consilio implorãdam existimauit. Proxima igitur nocte in intimo cubiculo Iesum Saluatorem ingenti, vt erat, animi pietate, veneratus est. Deindè summis ab eo precibus, ac votis contendit, vt sibi iam tum pro ipsius gloria, Ecclesięq; suæ pace; vtilitate, ac dignitate laboranti, pręsenti suo numine adesset: quod ipsum etiam, vt facilius exoraret, arcana sui animi deliberatione destinauit, se omnes religiosos ordines; qui ob inauspicatam illam Christianorum scissuram, corrupti ferè, atq; prolapsi iacebant, redintegraturum, atq; in pristinam formam, ac dignitatem restituturum: in primisq́; Canonicos Reg. D. Augustini, vti omnium, & temporis antiquitate, & ordinis dignitate primos: qui eo maiorem iacturam tunc fecerant, quod non in vnum tũ corpus, atq; familiam omnes, vt hac tempestate in nobis, ac Frisonarijs cernitur, coacti essent, sed passim in Monasterijs, Canonijsq́;, quarum suo quæq; iure, certisq́; institutis viueret, distracti, atq; diuisi. Hinc itaq; Gregorius, tanquã indubitata auxilij diuini animo promissione præsumpta, ad humana quoq; se protinus accinxit comparanda pręsidia: ac postridiè quam Pontificatus accepisset insignia, cum primum à populorum principumq; Legatis Pontifex salutatus fuisset, obedientiamq́;, ac fidem de more publicè accepisset, Antonium Corariam, & Gabrielem Condolmerium Nepotes ex ordine D. Georgij ab Alga Episcopos Bononiæ illum, & quæstorem suum: hunc Sæ-

narum,

natum,atq; Aerarij Pontificij præfectum designauit : simul etiam Ioannem Dominici Florentini filium,Prædicatorij ordinis professorem, ac Monasterij D. Dominici apud Fesulas primum Patrem,Epidauri,seu,vt modò vocant,Ragusiæ Archiepiscopum fecit. Is cùm ob singularem sanctimoniam pariter,& doctrinam maxima in existimatione, atq; honore apud Remp. Florentinam esset, Romam paulò ante publicis à Magistratibus Legatus ad Purpuratorum Patrum Senatum,Pontificem creaturum, missus fuerat,qui eos ipsorum nomine exoraret,ac deprecaretur,vt vel noui Pontificis electionem aliquanto retardarent,si qua fortè ad pacem via interim patesceret; vel certè,si id persuaderi non possent,operam darent, vt bellis sublatis,atq; discordijs,semel Orbis pacificaretur. At Ioannes cum Romam,declarato iam Pontifice, peruenisset,ne frustrata omnino legatione reuerteretur, grauissimam,ac Luculentam ad Pontificem ipsum, Cardinalesq; habuit de Pace orationem, cuius tum suauitate, atq; facundia mirum in modum delectatus Gregorius,cum sanctimoniæ quoq; famam ante accepisset, hominem licet modestè reluctantem,iam tum in familiam suam asciuit, ac postmodùm Epidaurium,vt ante diximus, Antistitem declarauit.Iam verò totus pacis amore flagrans Pontifex eximius, litteras ad Benedictum, qui Pontificem inter Gallos agebat,dedit; quibus eum ad concordiam modis omnibus,proposita etiam abdicationis conditione,inuitaret. Ad quos ita ille respondit,vt à Gregorij sententia nō abhorrere videretur. Locus igitur,quo vterq; tutò ad colloquium eius rei causa veniret,deligitur,Sabbaciam Liguriæ Oppidum, quam vulgò Sauonam appellant. Quare Gregorius Vrbe præsidijs munita,vel non finitis oppidis Paulo Vrsino,& alijs nonnullis pontificiarium Cohortiū strenuis ducibus commendatis,eo iter aggressus est,ac primū Vetuloniū, quod Viterbiū recentiores dixere, venit:

Hic cum rem Ecclesiasticam, vt confirmaret, constitisset, protinus insidias ipsi à Benedicto Sabbacij structas rumor allatus est. Quem & si Gregorius ingenij bonitate, atq; animi innocentia fretus parum attendendum duceret; attamen multorum, atq; magnorum Principum consilijs, ac monitis persuasus, Senas tantisper, dum rem certioribus indicijs cognosceret, concessit: à Senensibus honorificè, ac humaniter acceptus; quæ illi concepti iampridem voti persoluendi, & religiosæ stirpis Saluatori procreandæ, vt paulò antè dictum est, occasio fuit. Et hæc satis de ipsius nomine Pontificis à Baptismo idest Angelo.

Quo etiam ad cognomen videlicet Corarium, quasi Cor Rarum, excelsum, & ad subleuandam Religionē eleuatum interpretamur: de quo illud verè foret dicendum: Cor Regis in manu Domini. Cor illud scilicet purum, & mundum, ab ipsa Ecclesia toties iam, ac tot languoribus suis ab Omnipotenti Deo in sui Vicario expostulatum, cum Psalmista: Cor mundum crea in me Deus, & spiritū rectum innoua in visceribus meis: Et quidem si eius temporis Ecclesiæ recenseas calamitates, non aliena sanè obtestatione conuenientius potuisse Deum ipsum excitari, fatearis oportet, quàm præfata ipsius Dauid obsecratione. Speculator igitur, qui astat desuper in Cęlo, & humilia respicit in terra, & omnia quæcumq; quandocumq; vult, facit, Angelum suum Corarium, Venerum (venturū vti firmiter expectabat ipsa religio eum venturum) summum Pontificem, & suæ reformatorem Ecclesiæ dedit.

Quo verò ad nomen Pontificium equidem cum diebus illis omnia Christianorum vergerent ad occasum, nō nisi Gregorium idest vigilantissimum Pastorem, ac Nauis Ecclesiasticæ Gubernatorem occulatissimum haberi fuerat necesse. Duodecimum. Et hunc siquidem numerū Apostolicum: quia scilicet Apostolicam regulam reformare omninò esset necessarium. Quàm benè similiter is

ad

ad Pontificatum Cardinalis eligitur, qui Sancti Marci haberet titulum? Primarius enim fuit Marcus ipse Apostolicus reformator ordinis Canonici. Et hæc de Pontificis nomine, cognomine, & pronomine, numero, ac titulo, satis.

De Stephano ipso. Cum omnis doctrina Claustraliũ, & disciplina de sui met contemptu, temporaliumq; omnium post Apostolos fluxisset, adeoq; vel ipso tum Claustralis Religionis nomine offenderentur, vt nedum eiusmodi Religiosos non esse, opere contenderent: verùm etiam nomine censeri, seu eatenùs appellari dedecorosũ ducerent: non nisi Stephanus græcè expectabatur, qui latinè corona, vel exemplar, norma, & benè viuendi regula interpretatur.

De loco Ilicetano. Ilex profectò est species Quercus Glandiferæ, vt ait Plinius lib. 16. cap. 6. cuius fructu antiquitus viuebant homines, antequàm vsus frumenti fuisset inuentus. Quia videlicet antiquorum Clericorũ, atq; Canonicorum regularium spiritualẽ viuendi rationem, atq; formam renouari contendebatur. Ilex arbor est profundæ radicis, corticis duri, & spissi, magnę rotunditatis, & vmbrositatis; consequenter etiam magnę soliditatis, atq; imputrescibilis firmitatis. Ita enimuerò in tribulationibus ac tempestatibus Ecclesiastico gregi tunc accidentibus, nõ nisi radices fidei profundissimas, benè fixas, ac firmas habere viros verè Christianos oportebat. Corticem pariter, idest exteriorem apparentiam, nisi crassã, & rudem, qualem profectò Stephanus, & sui confratres habebant; in vestibus præterea non curiosi vltra quàm deceret status ipsorummet exigentiam. Ramosi quoq; per bonas affectiones, & per optimas operationes maximè fęcundi. Vmbrosi ad aliorum ædificationem vitæ, ac morum exemplaritatem: liberalesq; ob temporalium bonorum communicationem, ac pauperum misericordem

recreationem. Solidi per constantiæ firmitatem: & impu-trescibiles ob perseuerantiæ longanimitatem. Quemadmodum igitur antiquitùs in templo Dei columnæ, atq; imagines delignis fortibus, atq; duratis fiebant, vt habetur Ex.26.& 3.Reg.7.& 2.Paralip.4. ita profectò de talibus viris firmis, atq; constantibus fieri tunc dedebat Canonica reformatio. Quare fratrum Constantium titulo à Pontifice ipso tum donati, atq; decorati Stephanus, & socij eius fuerunt.

De Oratorio præcipuo Saluatori eo loci exculto. Cũ ea schismatis pestilitate vniuersali, omnis prorsus exaruisset pietas, & fides in Ecclesia, nõ nisi ab Oratorio Saluatoris sumenda erant semina nouissime reformationis. Potens namq; solus ipse Mundi Saluator erat de lapidibus suscitare filios Abrahæ, Canonicos inquam ipsos regulares. Eamdem quoq; ob rationem dicere possemus, nouam Congregationem gloriosissimum D. Saluatoris meritò sortitam fuisse titulum: vel quia Stephanus cum suis in Priori dogmate D. Saluatoris sacellum coluissent, nec non post ordinem recens redintegratum, ad habitandum eis Pontifex illud tradidisset: siuè quod nouam quasi salutem Deus operatus esset in medio Ecclesiæ, noua Canonicorum huiusmodi reformatione. Sed latius de hoc titulo in progressu videbimus.

Mense Aprilis hæc reformatio facta est: quemadmodum enim terra tunc temporis aperitur, & ad emissionem florum, & fructuũ disponitur, ex quo Aprilis dicitur quartus iste anni mensis, ac sicut iuuenis portans flores depingitur, quòd sanè tunc ipsa terra, nec non floribus decorantur arbores; ita quidem virorum omni virtute præditissimorum tunc mentes ad reformandos Canonicorum reg. mores aperiebantur, & virtutum suarum floribus ad ornãdam vniuersaliter Dei Ecclesiam. Et sicut habet idẽ mensis, quemadmodum cæteri omnes, duo signa Zodiaci, per

quæ

quæ sol ipse mouetur peragrat,& percurrit, idest Arietẽ in principio,in medio autem,ac in fine Taurum: ita præfati viri nostri Arietem simplicitatis, Taurumq; laboris, & pęnalitatis imitabantur, in quantum scilicet in simplicitate interiori,& labore exteriori,viuere comprobabantur. In mense profectò Aprilis, quasi in Verę Christianę pietatis virgulta virere inciperent.& vertere se Canonicum ordinem antiquum post longos errores, atq; abusus demonstraret.

Lucæ demum hæc peracta sunt. Luca, scribit Strabo antiquissimus auctor lib. 5. Vrbs est ad Montes Lunæ incumbentes,vbi plerumq; vicatim habitant; regio tamen virorum probitate floret, & robur militare hinc magnũ educitur,& equitum multitudo, ex quibus Senatus militares cæpit ordines. Lucam Ciuitatem à Luce dictam significat beatus Lebonius Diaconus in sua sanctissimi vultus historia. Hæc est,inquit, illa Luca, de qua olim canebatur: O lux Hæsperię speculum de Luceo dicta. Cuius antiqui fecerunt, vt eius Ciuitatis fama vndiq; eluceret. Quare à Luceo Luces dicta est Luca. Elucet enimuerò antiquitate primùm, ac Religione inter omnes Ciuitates Tusciæ,cum ob alias plures causas, tùm hoc potissimùm nomine, quòd prior omnibus eiusdem Tusciæ Ciuitatibus à Paulino Antiocheno,viro sanctissimo,& Apostolorum Principis discipulo,Euangelicam Lucem accepit,anno ab hominum salute 46.cuius tum acceptæ lucis radios reddidit ipsa Luca præclarissimos non longè post, vbi ad radices Pisani montis,qui dicitur S. Iuliani multi ex ciuibus suis Christianissimis vnà cũ Paulino ipso suo Episcopo,quem viuentes secuti fuerunt, martyrio coronati sũt, & cum eo sepulti eodem in loco sub Nerone anno sal. 69. 12. Iulij: præcipuè verò nominantur B. Seuerus Pręsbyter; Lucas Diaconus; & Theobaldus Miles. Hanc Ciuitatem exornauit Christus mundi Saluator miraculosis-

ſimo ſui proprij vultus exemplo dum ageret in humanis; vnde cùm ſit ipſe candor Lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, & vera Dei bonitatis imago, vt inquit ſap. cap. 7. non immeritò tali videtur notari vocabulo, quo eius claritatis magnitudo etiam extraneis detur intelligi: quod ſanè donum ab Hieroſolymis ad ſe tranſmiſſum fuit anno poſt Chriſtum Incarnatum ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo tempore Pontificatus ſanctiſſimi Patris Zaccariæ Græci, & Papæ huius nominis primi; ac ſereniſſimorum Regum Caroli, & Pipini anno ſecundo Regni eorum, Longobardis adhuc Lucæ imperantibus præclariſsimis quoq; fulgoribus Luca iugiter præfulſit, quod Pōtificum partes naturali quodam affectu ſemper ſecuta eſt. Teſtis eſt ſtrages illa memorabilis apud montem Apertū in Agro Senenſi iuxta Arbiam amnem, in qua pugnantes contra Manfredum Regem Eccleſiæ hoſtem: quinq; millia lucenſium partim occubuere, partim captiui ducti sūt anno 1260. die 4. Septemb. Et cum poſt cladem illā omnes Italiæ Ciuitates defeciſſet: ſola Luca receptis Florentinis ad quatuor millia, in fide permanſit: obſidionē diuturnam perpeſſa; extrema omnia pati, quam Alexandrū quartum Pontificem deſerere maluit. Diui Petri Apoſtolorum Principis (ſuper cuius ſolidiſsimam petrā fundata eſt Eccleſia Chriſtiana) imago Lucenſibus deferenda, tùm in popularibus ſignis, tùm in moneta condenda, ab Vrbano 4. attributa eſt: tamquam ijs, qui primi ad veræ fidei cultum: primi ad eius conſeruationem: primi ad defenſionem ſint conſtantiſsimi inuenti. Ornata propter hoc, & decorata Lucenſis Eccleſia, & Clerus priuilegijs ampliſsimis, & honorificentiſsimis. Crux ante ſe deferenda Archiepiſcopali iure: & Pallium, & ornamenta ad maiores Pontifices ſpectantia: Lucenſi Epiſcopo ſpeciali Indulto quatuor centis annis, & vltra ab Allexandro 2. conceſſa. Canonicos Mitrias ex albo ſerico Damaſceno deſti-

destinatis temporibus: ter in anno Antistitum more portandi concessus vsus. Diœcesis maxima attributa, quæ Agrum Pisanum penetrat,& Pistorium propè tria millia passuum attingit. Vrbani V. quinquaginta millium ducatorum ad libertatem recuperandam mutuum: & VI.eiusdem nominis Pontificis: Ensis, Pileusq; (maigris Magistratus insignia) donò data: vt Lucium 3. Lucensem : Nicolaum V.multosq; alios prætermittam : Constantiæ, fideiq; Lucensium sempiternum testimonium sunt.

Sed quasi meridianus splendor emicuit, cũ Anselmus Badagius Mediolanensis eius Episcopus in summum Pontificem anno 1061.die 13.Sept.electus est Romæ dũ absens à Curia ipsa Romana in suo Episcopatu longius ab hac expectatione purissimè viueret. Hanc verò Ciuitatẽ Lucam tantoperè ad amauit vir iste religiosissimus, vt ad mortem vsq; ipsum Episcopatum cum summo Pontificatu continere voluerit, hac inscriptione vtens in omnibus suis Bullis: Ego Alex.sanctæ,& vniuersalis Ecclesię Rom. Pont. & Ecclesiæ sanctæ Lucensis Episcopus. Hic Pont. Ecclesiam S. Martini, quam Lambertus Archipræsbiter, & Blancardus Archid.fratres vterini viri sapientes,& religiosi,Deo,& hominibus acceptissimi funditus iam multis ante annis ædificauerant ad honorem B. Martini, & sanctissimi Vultus miro iam opere perfecerant; restauruit,amplificauitq; anno 3.antequam Papa esset, ibiq; Põtifex 1064. resedit. Successoribus Episcopis argenteam Crucem, & Pallium tamquam Archiepiscopis concessit, Canonicos in Cathedrali vsu Mitriarum in publicis solemnis priuilegio exornauit. Communitati Bullo plumbeo vtendi pro sigillo,& signo argentum accudendi potestatẽ donauit. Cathedralem ipsam reuersus à Concilio Mantuano,consecrauit,præsentibus Episcopis 23.anno Dom. 1069. De qua restitutione, & consecratione huius Ecclesię sculpta in marmore Carmina leguntur nonnulla sub Porticu ipsius Ecclesiæ. Episco-

Epiſcopatum ditauit mirum in modum: at maior pars eius iurium, & poſſeſsionum ammiſſa eſt ab anno 1106. ad annum vſq; 1369. idq; Partium iniuria Nigrorum, & Blancorum in tota quidem Italia, ſed præcipuè in Luca, Piſis, Piſtorio, & Florentia: nec non diuerſas ob ſtatus, & dominij mutationes. Idem Pontifex proſpectiuam partē Eccleſiæ D. Michaelis in foro magno, magnificentiſſimè, vti nunc videtur, illuſtrauit. Aliam de nouo ædificauit S. Alexandro Papæ huius nominis primo, Eccleſiam, in quam, & corpus eiuſdem ſancti tranſportandum curauit.

Luca magnum ſuæ lucis dedit orbi vniuerſo nitorem, cum Vbaldus Alucingolus gente ſua nobili oriundus, & Hoſtienſis Epiſcopus anno 1181. omnium ſummorum Patrum conſenſu Romę ſummum Pontificatum inijt, in quo tam piè, tam præclarè ſe geſsit, vt Lucium eius nominis 3. præcipuo Dei nutu, nominatum omnes tandem cognouerint. Non minorem lucem reddidit Mundo cum Magiſter Thomas natione Ligur Oppido Sergiana Lunē ſis Dięceſis Luca oriundus, indéq; dictus cognomento Lucanus, anno 1447. Pontifex Max. renunciatus Nicolaus V. appellatus eſt.

De Adelberto, Sigifredo, Gerardo, & Atone: vel de Rodulfo Gotifredo, atq; Tedaldo: de Bonifacio inuictiſſimis Principibus Lucenſibus: De Caſtrucio ipſo belli terrne de Mattilda famoſiſſima illa Comitiſſa, cuius tanta fuit erga Sedem Apoſtolicam liberalitas, & reuerentia, vt vno omnium ore diceretur Diui Petri filia: nihil in præſenti recordandum exiſtimo; ne longius errare videremur à ſcopo noſtro.

Mirum igitur haud eſſe debet, quòd Lucæ ſimiliter primum renaſcentis ordinis Canonici lumen viſum voluerit Deus ipſe; & primariam ſuorum miniſtrorum inſtitutionem in lucem reddere, atq; reformare dignatus fuerit: ibidemq; primam Canonicorum Reg. Congregationem

ſui

sui tittulo decoratam, instituere: vbi ad viuum expressã sui vultus imaginem in perpetuum consistere voluit.

Addo postremò, quòd prædicta Ciuitas à suæ fundationis exordio intra Tusciæ Ciuitates præcipua diuitijs, & virorum ingenuitate magnifica valuit, & viguit. Maximæ tamen honestati simplici consulens, & vtilitatis commodum pro nihilo compensans: vitam elegerunt ducere liberrimam: & nobilitatis famam propagare longissimã. Huic vitę rationi optimè correspondet vita Ordinis Canonici, etenim quid aliud est Respublica, nisi vita cõmunis? Hæc verò in Ordine Canonico est ratio primaria, atq; præcipua. Coetera de hac Ciuitate Luccensi habes diffusius in nostro libello vulgari de Antiqua nobilitate, & Religione ipsius, exponendo vitã Sãcti Paulini Protectoris eiusdem imò Apostoli primarij. Item in alio nostro libello vulgari de Sancto vultu Iesu Christi apud ipsã per totum orbem celeberrimo, explicando integrã historiã. Hactenus de foelici auspicatione Congregationis Canonicorum Reg. S. Saluatoris à Locis; à tempore; à personis deducta.

Nunc verò, vt quorumdam scriptorum manifestentur errores de huiusce Congregationis, exordio, ac statu; quorumdam inuidæ oblocutiones, atq; fictiones in facie veritatis confundantur apertè: nonnullorum etiam obscuræ quædam assertiones declarentur: librum ipsum, vt aiunt, in medium afferentes, solutis signaculis aperiemus.

Non culpabimus quemquam, neminemq; nominabimus. Ipsa veritas per se, atq; passim, illorum quidem errata; istorum verò mendacia demonstrabit. Error enim, cui non resistitur, approbatur: & veritas cum non defensatur, opprimitur Ex distinc. 83. Et ex D. Ghrisostomi sẽtentia 11. q. 3. cap. Non solum ille est proditor veritatis, qui palam mendacium pro veritate loquitur: sed etiam qui liberè veritatem non pronunciat, quã liberè pronunciare

ciare oportet; aut non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere conuenit. Est autem liber huiusmodi priuilegium ipsum Gregorij XII. Pontificis in eiusdem Congregationis erectionem primarium, quod scilicet studiosè nos de verbo ad verbum extendimus, atq; subijcimus, vt præfata omnia decernantur clarius.

Priuilegium primum Gregorij XII. in erectionem Congregationis Can. Reg. S. Saluatoris. Cap. II.

Laconismum.

GREGORIUS Papa XII. auspicatur primam Cōgregationem Canonicorum Regulariū sub titulo S. Saluatoris in Monasterio S. Saluatoris Ilicetani apud Vrbem Senarum: Canonicisq; ipsis habitum decernit sub scapulari Rochetum, supra verò Cappam grisei coloris: & tribuit eis gaudere omnibus priuilegijs Heremitarum, & Canonicorum Reg. statuens Commissarios, à quibus nouas Constitutiones sub sequenti forma perciperent.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei ad futurā rei memoriam: Excitat nostræ mensis arcanum specialis, & affectuosa dilectio, qua Domum Prioratus S. Saluatoris de Sylua Lacus ad Rom. Eccle: nullo medio pertinentem Ord. S. Aug. Senensis Diœcesis, sumus hactenus prosecuti, & paterno prosequi studio non cessamus: vt circa statum eius attentæ considerationis intuitum dirigentes: opem impendamus, & operam: vt illa ad Dei laudē, & gloriam, non solùm in suis bonis, & iuribus conseruetur: sed etiam prosperis iugiter gratuletur euentibus: & votiuis, fauente Domino, in spiritualibus, & tēporalibus

succes-

successibus augeatur. Hinc est, quòd nos motu proprio, non ad dilectorum filiorum dictæ Domus, quæ hactenus Ordinis fratrum Eremitorum d. S. Augustini extitit: vel alicuius alterius pro ipsis, nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia eamdem Domum in Prioratum conuentualē auctoritate Apostolica erigimus per Priorem sub conditione, & modo infrascriptis perpetuò gubernandam.

Annotatio in errorem, & pro declaratione.

EX dictis patet error illorum, qui scribunt Auctorem huius Congregationis Fratrem Stephanum Eremitanum. Legimus enim Gregorium non confirmantem, vt isti ponunt, sed ipsum instituentem iuxta suæ mentis arcanum, conceptum iamdiù proprio consilio, quo Dei Ecclesiam ex perfido, & diuturno schismate collabescentem (vt præmisimus) nouo Religiosorum claustralium cętu, tàm reparare, quàm insignire Pontifex sanctissimus pro eo voto suo sollicitus laborabat: idq; motu suo proprio, non ad alicuius instantiam: sed de sua mera liberalitate, & ex certa scientia sua. Legimus, & Stephanum hominem fuisse non Bononiensem, vt quidam scribunt, at Senensem: nec sibimet assumpsisse gestamen Canonicum, nec exquisiuisse; sed ex commentu eiusdem Pontificis datum sibi fuisse, atq; constitutum.

Patet similiter, huiusmodi Congregationem in hoc Ordine, vt inquiunt isti, non esse aliam idest secundam; sed primariam.

Sequitur tenor Priuilegij.

VOLENTES, & eadem auctoritate statuentes, quòd ipsi fratres actu in eadem Domo residentes, eorumq; successores, qui erunt pro tempore, Canonici Regulares; & secundùm regularia instituta huiusmodi Canonicorũ regularium deinceps viuere: & fratres S. Saluatoris nuncupari debeant.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

ATTENDE circa institutionem, statum, & titulum Congregationis; creatur enim nouus Prioratus sub institutis Canonicorum reg. Instituuntur noui Can:Reg: sub regularibus eisdem institutis, & sub titulo absoluto S. Saluatoris: contra scribentes, hoc non esse Canonicos Reg: nec creatos fuisse tales. Quod enim fuerit noua creatio, & noua institutio, declarat apertè ipsemet Pontifex specialis amator illius deuotæ familiæ S.Saluatoris; & affectuosus Canonici Ordinis Reformator. Scies autem, quòd etsi de omnibus, quas seu condiderit, seu reformauerit Congregationibus vtriusq; Ordinis Canonici scilicet, atq; Monastici, eadem quidem ratio fuerit, quam asseruimus: non omnium tamen idem fuisse argumentum in earum prosequendarum affectu: neq; enim aliarum vllam tot Priuilegijs ornauit: nulli hoc ipsum toties testimonium exhibuit: se procreasse, se instituisse, se tanquam nouam plantulam posuisse, & irrigasse, cui habitum; cui leges; cui ipsam dederit viuendi Normam: nullam, inquam,

tot

tot laudum prærogatiuis prosecutus est: vt pro eius meritis, non illis vulgaribus (vt passim Abbreuiatores arbitrio suo) verùm priuatis, patientiæ, constantiæ, & fidei, quæ insigniter in patribus recenset: quasi ex præclaro Stemmate longo tempore sese teste, & iudice per eos quæsito in custodiendo vias duras (vt ipse infert) titulum hunc ipsum extremo sui Pontificatus tempore, per nouũ quoq; Elogium constantiæ prçconizauerit: quatenus ex eo sub insigni Priuilegio Canonici fratres Constantes S. Saluatoris perpetuò celebrarentur. Non latuere Pontificem diuinæ Patrum illorum virtutes, quorum aliquem semper secum habuit; cùm & ipsi extorres à proprijs sedibus, & earumdem, veluti passionum socij (vt suis locis exequemur) hinc inde cum illo euagari cogerentur: & quorum præsertim religioso solatio suarum huiusmodi calamitatum, & profugij, aduersa omnia, quibus omnes in Christo Iesu piè viuentes probari necesse est, æquanimiter tulerit.

Tenor Priuilegijs sequitur.

ET quorum quilibet sub Scapulari Rochetum: superius autem Cappam grisei coloris lanæ mordentis ad instar capparum Conuersorum Carthusiensis Ordinis gestabunt: qua quidem Cappa & ipsi Fratres vtantur, cùm eos ex ire contigerit septa Prioratus, seu Domus huiusmodi ad populum, siue turbam.

Anno-

Annotatio in errorem & pro declarat.

MENTIVNTVR ergo qui album eis primò fuisse datum cucullum scribunt; etenim griseum sicut & cappam de manu Pontificis acceperunt. Errant similiter, ac toto cælo errant qui Scapulare in Canonicis Reg: vituperant: & ob scapularis gestamen hos Canonicos Reg: esse negant. De quo vide in primo libro nostro, vbi de hoc diffusè pertractamus.

Tenor Priuilegij sequitur.

NEc non Prioratus, siue Domus huiusmodi cum eisdem fratribus, & conuersis, ac personis in ea degentibus præsentibus, & posteris; cum omnibus membris, nec non bonis mobilibus, & immobilibus ipsius Domus, siue Prioratus, ad Domum, siue Prioratum huiusmodi, tàm ratione Domus, siue Prioratus, quā personarum huiuscemodi quomodolibet pertinētibus, ac deuolutis, & deuoluendis pro tempore ab omni superioritate, dominio, & potestate Prioris Generalis d. Ordinis Fratrum Eremitarum: nec non Episcopi existentis pro tempore, ac dilectorum filiorum Capituli Senensis, ac quorumlibet aliorum Superiorum Secularium, & Regularium auctoritate prædicta prorsus eximimus, ac totaliter liberamus. Ita quòd Prior Generalis, Episcopus, & Capitulum, & alij superiores prædicti nullam possint in eos visitationem, correctionem, vel aliā iurisdictionem exercere: Sed nobis, & Apostolicæ sedi immediatè sint subiecti; & insuper præsen-

præsentibus adijcimus; quòd ipsi Canonici, seu fratres, qui regularem vitam eorumdem Canonicorum Reg. pro tempore professi fuerint, & sub eadem obseruantia regulari dictorum Can. Reg. pro tempore in Domo huiuscemodi residebunt, possint quotiès opportunum fuerit, tamen iuxta regularia instituta Canonicorum Reg. idoneũ fratrem etiam eiusdem ordinis professorem in Priorem eorum, & eiusdem Domus eligere.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

ADuerte in ipso Priuilegio vbiq; Canonicos nuncupari iuxta institutionem, & titulum præmissum. Pondera item ea verba Canonici, seu fratres: & paulò infra: Fratribus suis Canonicis: Quibus clausulis modò vnum, modò alterum verbum præponitur; vt intelligas per vnũ exponi alterum: cum hic eadem sonent, ac si dixeris Gregorium Papam Pontificem Maximum: & Gregoriũ Pontificem Maximum, seu Papam per indè vt accipiuntur hæc verba, Possessiones, siue Prædia: & Prędia siuè Possessiones: Vbi ditio illa, seu; & siue; expositiuè non distinctiuè hoc in loco interpręratur: Nota similiter pręnomen fratrũ Canonicos nõ dedecere, vt multi somniantes parolizant: sed de hoc Prænomine vide in primo libro nostro.

Tenor Priuilegij sequitur.

QVi tamen postquam electioni de se factæ pręstiterit consensum: Dięcesano loci, vel eius Vicario in spiritualibus generali, qui erit pro tempore, per Electores huiusmodi

dumtaxàt debeat reuerenter, & humiliter præsentari. Quiq; postquam taliter præsentatus extiterit, censeatur eo ipso à Sede præfata confirmatus. Et ex tunc dictum Prioratum in eisdem spiritualibus, & temporalibus liberè, & licitè valeat gubernare. Qui quidem Prior semper vno anno completo intelligatur absolutus: nisi tunc per maiorem partem eorumdem fratrum Domus prefatæ, in electione d. Prioris vocem habentium, determinatum fuerit ipsum Priorem in dicto debere Prioratus officio Domus eiusdem vlterius permanere. Quodq; dicta Domo eius Prioris solatio destituta per mortem Prioris eiusdem, vel aliquo alio casu, eadem vacatione contingente: quod durante vacatione huiusmodi, prædictum officium per antiquiorem fratrem dictæ Domus in Sacerdotio constitutum, exerceatur, quousq; noua electio alterius Prioris, iuxta præfatum modum, fiat, & ad effectum debitum perducatur. Volentes etiam, & auctoritate prefata concedentes eisdem Priori, & fratribus siue Canonicis, Conuersis, & Personis, quos pro tempore in Domo huiusmodi residere cõtigerit, (vt præfertur) quod ipsi potiri & gaudere possint, & debeãt liberè, & absolutè omnibus priuilegijs, indulgẽtijs, gratijs, & exẽptionibus, & libertatibus eis hactenus, ac ordini fratrũ Eremitarũ, & Canonicis reg. huiusmodi, ac Monasterijs, & locis eorũ tã per sedẽ præfatam, quàm alias per quoscũq; concessis: & quibus fratres ordinis Eremitarum, ac cæteri Canonici Regulares, ac eorum Domus Monasteria, & loca quomodolibet potiuntur, & gaudent.

✠

T

Annotatio in errorem, & pro declarat.

ATTENDE quid supra importet verbum hoc; huiusmodi; & illud mox; ac cæteri Canonici; contra olim negantes hos esse Canonicos. Obserua etiam hinc primum in ipsa Cõgregationis erectione, omnium Canonicorũ reg. priuilegia sibi communicari: vt rideas quorumdam leuitatem, qui sua perindè iactitarunt, vt sola illis participari; & per horum tantùm participationem illos inter Canonicos reg. censeri: ac si sub verbo omnium ipsi, qui non dum erant, soli comprehenderentur: vel sua, quæ nõ dum constabant, istis forent antiquiora. An verò per participationem, & non magis per institutionem Canonici constarent: etsi habitus lineus per se solus satis foret aduersus istos: ipsum tamen præsens hoc priuilegium. & sequentia contestantur.

Tenor Priuilegij sequitur.

ET insuper volumus, & ordinamus, quòd venerabilis frater noster Antonius Episcopus Bonon. Camerarius: ac dilecti filij Gabriel electus Senensis Thesaurarius noster: nec nõ & Ioannes electus Ragusinus, eisdem Priori, & fratribus, siue Canonicis, Conuersis, & Personis, de cõuenientibus constitutionibus, & norma viuendi pro conseruatione Prioris, & fratrum siue Canonicorum, Conuersorum, & Personarum prędictorum, prouideant: & omnia alia, & singula faciant, ordinent, & disponant in præmissis, & circa ea: prout eis visum fuerit expedire. Decer

nentes ex nunc irritos, & inanes omnes processus, & excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias; si quas forsam contra hęc quacumq; auctoritate contigerit promulgari: & etiam ex nunc ratum, & firmum motu simili habemus quicquid per eosdem Camerarium, Thesaurarium, & electum Ragusinum, in præmissis, & circa ea dispositum fuerit, seu quomodolibet ordinatum.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

DISSIMVLANTER ne transeas Pontificis max. commissionem, simul, & Commissariorum cum Pontifice necessitudinem; quibus vt sibi magis fide, & affinitate dilectis (quod subindè ostendetur) pręmissi sui arcani executionem credidit. Quę eò tendunt, vt omnia ad solam prorsus Pontificis, & non alterius cuiuscumq;, seu abbreuiatoris, seu supplicantis dispositionẽ referas: vt ex ipso Priuilegio clariùs quoq; innotesset.

Tenor Priuilegij sequitur.

NVLLI ergo omninò hominum liceat hãc paginam nostrę erectionis, voluntatis, statuti, exemptionis, liberationis, adiectionis ordinationis, concessionis, & constitutionis infringere; vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attemptare præsumpserit; indignationẽ omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lucæ 3. Non. Aprilis Pont. nostri anno 2. Dupplicata gratis de mandato D.N. Papæ. H. de Symæa.

Anno-

Annotatio in errorem, & pro declarat.

ERRATVM fuit,& circa annum ab his, qui assignant annum 1410.præfatæ originis. Quod patet ex ipsis Apostolicis litteris Gregorij, & processu: etenim biénio præcessere. Priuilegium datur Lucæ 3. Non. Apr. eius Pont. anno 2. currente anno Christiano 1408. Assumptus quidem fuerat Pontifex anno 1406. Prid.Cal. Nouemb. Ex qua die manati Priuilegij Annum Congregationis Natalem apud Lucenses iure placuit exordiri. Apud quos Saluatore suo fęlici cursu omnia moderante, originis huiusmodi suæ anno centesimo pro vnione Angelici Monasterij postea reuocata est.

Executio Cōmissariorum Apost. pro noua Congregatione S.Saluatoris. Cap. III.

Laconismum.

COMMISSARII statuti per Gregorium nouos Canonicos nouo habitu induunt: & Constitutiones quatuordecim capitibus contentas exhibent obseruandas; volentes quemlibet eorum ex earum transgressione ad pęnam tantùm,& non ad culpas obligatos.

Commissarij igitur,quos dicunt,Apostolici fratrē Stephanum,& fratrē Iacobum Andrææ, quem Pater Stephanus comitem eius itineris ex socijs sibi delegerat; 8. Kal.habitum,Apostolico consilio decretum, sub præmissa Priuilegij immunitate, vestierunt; eumdemq; cæteros

Ilicetanos à fratre Stephano ipso induendos statuerunt. Ipsum nempè omnium Patrem, & noui Dogmatis Apostolici caput aperto hoc satis indicio designantes.

Reliqua item omnia, quæ Pontifex sanctissimus statuerat, quàm celerrimè executi; constitutionum nouæ editioni operam statim impendunt: Et quo vndecumq; nouæ Congregationi maior adstipuletur auctoritas; hos Commissarios Gregorius paulò post ibidem apud Lucenses Romanæ Ecclesię Cardinales creat. Quorum priores duo, vt dictum est, eius Nepotes fuerunt: Alter ex Philippo Corario fratre Bonon. Episcopus; & ex Episcopatu Cardinalis Bononiensis deindè nuncupatus: quem etiam paulò infra Episcopum Portuensem legimus. Alter ex sorore (si stellæ Veneto credimus) in familia Condolmeria, Thesaurarius Apostolicus, ac electus Senensis Episcopus, & mox Cardinalis tit. S. Clementis: qui postea in Pontificatu Martino V. successit dictus Eugenius 4. Tertius electus Ragusinus Epis. breui Cardinalis S. Sixti apud Budam Pannoniæ è viuis sublatus est. De cuius sanctissimi viri scientia, & moribus, meminit Archiep. Antonius Encomio percelebri. Prioribus ergo his protectoribus Congregatio post paucos annos, parum omninò lætos, quibus Patres, vti aurum electum in camino ignis probati sunt, melioribus deindè incrementis, eodem Saluatore Deo Opt. Max: benè iuuante, diutissimè freta est, fęlicissimè. Quorum simultrium processus huiusmodi executionis Apostolicę appellatus, sub sequenti ordine digestus describitur.

✠

Pro-

Processus executorialis in forma.

ANTONIVS miseratione diuina Episcopus Bonon. Camerarius: Gabriel Dei gratia electus Senensis, Thesaurarius D. N. Papæ: ac Ioannes electus Ragusinus: Commissarij ad infrascripta per sanctissimum in Christo Patrem Dominum nostrum D. Gregorium diuina prouid. Papam XII. specialiter deputati: Vniuersis, & singulis Christi fidelibus, ad quorum notitiam præsentes litteræ peruenerint: Sal. in Domino, & fidem indubbiam præsentibus adhibere. Noueritis, quòd litteras eiusdem D. N. Papæ vera Bulla plumbea, cum filis sericis rubei, croceiq; coloris impendentibus more Romanæ Curiæ bullatas, sanas, & integras, non cancellatas, non corruptas, sed omniprorsus vitio, & suspitione carentes: nobis per religiosos viros fratrē Stephanum Ioannis; & fratrē Iacobum Andreæ Canonicis Regulares Domus Prioratus S. Saluatoris de Sylua Lacus, ordinis S. Augustini Senensis Diœcesis, coram Notario publico, & testibus infrascriptis præsentatas, Nos cum ea, qua decuit reuerentia recepimus sub ijs verbis. Gregorius Epis. seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Excitat nostræ mentis arcanum specialis, &c. Post quarum quidem litterarum Apostolicarum præsentationem, & receptionem, fuimus per dictos fratrē Stephanum Ioannis; & fratrē Iacobum Andrææ Canonicos Reg. Domus S. Saluatoris de Sylua Lacus ordinis S. Augustini dictæ Senensis Diœcesis cum instantia debita requisiti: quatenus eos de habitu Canonicorum, siue fratrum Domus Prioratus S. Saluatoris de Sylua Lacus Ord. S. Aug. Sen. Diœcesis prædictæ inuestire: ipsisq; nec non Priori, & alijs Canonicis, & fratribus

Conuentus dicti Prioratus de eodem habitu, ac etiam de conuenientibus Constitutionibus, & norma viuendi pro conseruatione dictorum Prioris, & Fratrum, siue Canonicorum, ac Conuersorum, & personarum additum Prioratum spectantium dignaremur prouidere.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

QVi hos non esse Canonicos, vel tantum ex participatione Priuilegiorum insimulant; his quoq; Commissarijs Apostolicis contradicant, est necesse. Cum hi præsentes Stephanum, & Iacobum fratres Canonicos Regulares: absentes verò eorum concanonicos appellēt: nec dum tamen de Canonico habitu actualiter inuestitos. Erant enim hactenus omnes à Pontifice electi tantū, & designati. Ille verò cum statum istorum, & habitum Canonicorum Reg. esse testetur B. Augustini: musitent modò, & cauillis suis quantum possunt, hos etiam Reuerendissimos, & sapientissimos viros Apostolicos more suo impugnent; quasi melius ipsi voluntatem Pontificis, & decretum, qui Congregationem erexit, post annos centū, & sciant, & interpretentur: illi, qui præsentes, & ex tribus duo Pontificis dilecti Nepotes, & omnes mox Cardinales, minus intellexerint. Neq; enim vsquam maiori argumento eorum huiusmodi argutiolæ dissoluuntur, quàm horum trium Patrum præsenti processu. Qui tam aperto testimnnio idem faciunt, Patres præfatos etiam priusquā lineam vestem habuerint, fratres fuisse, & Canonicos reg. Quod autem vestis huiusmodi linea sit absolutus, & essentialis Canonicorum reg. habitus; & status esset idem Canonicus in præfatis; postremò, & ipsi cauillatores, vel suis, vel suorum certè scriptis contradicentes, in sententiam deue-

deuenere auctoritate Ioannis Andrææ, & aliorum doctorum, quos citant impulsi, cum de Ordine Canonico in genere differunt, sub his verbis. Et quamuis alibi sint dictin ctæ Congregationes, & fortè sub alio colore in habitu exteriori, aut forma habitus prædicti; non tamen diuersi ordinis: imò vnius, & eiusdem ordinis esse censentur: vt plenè ex præmissis patet: dummodò in eis sit eadem professionis, & habitus linei ratio: & consequenter erit in eis eadem iuris dispositio. Si ex iuris dispositione; ergo non ex priuilegio, nec ex participatione: sed essentialiter fuerunt Canonici Reg. Quod negare ex deliberata malitia sapit naturam fraternę inuidentiæ, & impugnationis agnitæ veritatis, quæ per se nota est. Hæc illi post agnitã veritatem confusi, qui eamdem istorum professionis, & linei habitus rationem, & in ipsis eamdem iuris dispositionem dudum negabant.

Sequitur tenor Processus.

NOs igitur Antonius Episc. & Camer. ac Gabriel Senensis, & Ioannes Ragusinus electi Commissarij præfati, cupientes voluntatẽ, & ordinationem dicti D.N.Papæ, nobis cõmissam adimplere, vt tenemur: idcircò prę libatos fratrẽ Stephanum; & fratrẽ Iacobum in præsentia nostra personaliter constitutos; & id flexis genibus humiliter petentes, de dicto habitu: videlicet scapulari, rochetto, & cappa grisei coloris lanæ mordentis, ad instar capparum Conuersorum Cartusiensium ordinis, duximus inuestiendos; damus etiam, & tenore pręsentium concedimus dicto fratre Stephano Ioannis plenam licentiam, & speciale mandatum, Priorem, omnesq; & singulos Canonicos, & fratres conuersos, & personas dicti Prioratus de

de dicto habitu secundũ qualitatem personarũ inuestiẽdi.

Annotatio in errorem & pro declarat.

NOVVS Canonicus habitus in eisdem litteris distinctus, & ab ipso Pontifice motu proprio, proprio consilio, suaq; scientia electus, & excogitatus declaratur, contra scribentes Stephanum sibimet assumpsisse habitum. Præterea etiam proprijs eiusdem Pontificis sumptibus pro Stephano, & omnibus alijs socijs est confectus.

Inopinatos enim (vt prædiximus) ab eo ordine segregauit illos Gregorius: & quam citius, vt patet, eos de ipso habitu inuestiri voluit. Ex quo fit, vt credam potius donatos illis Rochettos, quibus Pontifex ipse, vel ipsi Commissarij Nepotes Pontificis Cardinales, & Episcopi vtebantur. Intelligendum est etiam hos inuestitos, & alios inuestiendos de habitu essentiali ordinis, & de habitu largo modo accepto, qui est tantùm Congregationis, pro distinctione aliorum Canonicorum, vt hàbes in primo nostro libro. Nullibi etiam legis, quòd iterauerint professionem, quia eis opus non fuit. Imò datur eis facultas, & mandatum alios de habitu ipso inuestiendi, absq; vlla mẽtione professionis Attende similiter de habitu Conuersorum, de quo nihil innuit Gregorius in Priuilegio. At Commissarij Constitutionum auctores inhibuerunt Rochettum Conuersis. Et quamuis postea concessum eis legamus, & videamus, verumtamen quidem nec nomen, nec vires apud ipsos sortiri potest. Nec potest dici de approbatis ab Ecclesia. Cum enim Religio importet perfectionem per susceptionem habitus alicuius ordinis approbati, iuxta quem pro sententia D. Thomæ fiat professio solemnis: sequitur, quòd eorum professio, quæcum q

fia t

fiat, non est solemnis, sed simplex, cum non sit in approbato habitu. Neq; enim Conuersorum huiusmodi habitus potest dici Canonicus, qui debetur solis Clericis: sed neq; alterius ordinis, quia sequeretur, quòd eadem Congregatio esset diuersi ordinis, vt puta Canonicorum reg. & Monacorum, seu Mendicantium, quód esset incompatibile, ac omninò absurdum. Ex quo magis laudandi sūt, qui primos reformatores sequentes omninò Conuersos aboliuerunt. Habebant Canonici Rhenani suos Conuersos, at sæculari habitu, modestoq; indutos. Quos nec fratres, nec Donnos, sed simplici eorum nomine à baptismo appellabant. Postea etiam habitu quodam lungo ad genua vsq; illos inuestierunt, & nomine fratrum nuncupauerunt. Ex quo simpliciter Donni ceperunt dici Canonici ipsi ad differentiam ipsorum Conuersorum.

Sequitur Tenor Processus.

NOs enim potestatem Constitutiones, & normam viuendi per nos, pro conseruatione dictorum Prioris, & Conuentus, ordinandi, corrigendi, innouandi, & renouādi nobis omnimodè reseruamus plenariam.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

ATTENDE tamen in ipsis Constitutionibus postea contineri, quòd Prior cum sex alijs Clericis ex senioribus professis, qui numquam recessissent ex Congregatione, posset eis adijcere, & diminuere, ac eas pro voluntate, atq; visum eis fuerit expedire, declarare.

Ex

Ex quo loco opinor emanasse, quòd non plures quam septem Patres omnia in Capitulis generalibus disponāt. Quare intelligitur hic, præfatos Commissarios prefatam potestatem sibi reseruasse, idest in primaria, Constitutionum editione, ac viuendi forma, contra tumultuantes, & Patrum iuges reformationes impugnantes.

Sequitur Tenor Processus.

VOLVMVS insuper, & dicta auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, decernētes, quòd dicti Prior, Canonici, & fratres Conuentus dicti Prioratus S. Saluatoris de Sylua Lacus omnibus, & singulis Priuilegijs, Indulgentijs, Gratijs, Exemptionibus, & libertatibus, quibus fit mentio in dictis litteris Apostolicis, de cætero pacificè, & quietè gaudeant.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

ET hic declarantur Canonici S. Saluatoris, non participantes quorumdam Indulgentijs, ac Priuilegijs, sed proprijs gaudentes liberalitate Pontificis eos instituentis: & Commissariorū præfatorum optima protectione suffulti.

Sequi-

Sequitur Tenor Processus.

INHIBENTES insuper venerabili, & Religioso viro Priori Generali ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini pro tempore existenti: omnibusq; alijs,& singulis tàm Ecclesiasticis, quàm secularibus cuiuscumq; gradus ordinis, vel conditionis existant: ne præfatis Priori, & Conuentui, ac fratribus, & Canonicis dictæ Domus, seu Prioratus S.Saluatoris de Sylua Lacus: quo minus ipsi cũ omnibus,iurib⁹,rebus,bonis,& pertinentijs suis dictis Priuilegijs,gratijs,indulgentijs,exemptionibus, & libertatibus pacificè,& quietè viuere valeant, iuxta dictarum litterarum Apostolicarum formam,& tenorem: & quo minus eędem litterę Apostolicæ,& præsentes nostri Processus debitæ executioni demandentur: omniaq; & singula in eis contenta suum debitum sortiantur effectum,impedimentum aliquo modo præstetis,seu præstent: nec ipsis aliquam molestiam inferatis,seu inferant; neq; impedientibus, seu molestantibus eosdem Canonicos, fratres, & Conuentum super prẹmissis in aliquo detis,seu dent consilium,auxilium,vel fauorem. Alioquin in omnes, & singulos impedientes,& impedientibus ipsos Priorem, Canonicos,& fratres,& Conuentum, ac personas, & subditos eorum super prẹmissis in aliquo dantes consilium,auxilium,vel fauorem,& singulariter in singulos contradictores in hac parte, & rebelles, excommunicationis: in Capitulum verò Ecclesiæ Senensis, si in ijs fuerit delinquens, suspensionis à diuinis: & in eorum Ecclesiam interdicti sententias, sex dierum Canonica monitione præmissa,ferimus in ijs scriptis,& etiam promulgamus. Absolutionem vero omnium, & singulorum, qui præfatas

nostras

nostras sētentias, seu earum aliquā incurrerint quoquo modo, nobis, vel superiori nostro tātūmodò reseruamus. Datum, & actum Lucæ in Domibus inhabitationis dicti Reuerendissimi Patris videlicet D. Antonij, & Camerarij prædicti sub anno à Nat. Dom. 1408. ind. prima die Martis 24. mensis Aprilis hora tertiarum, vel quasi. Pōt. Sanctissimi in Christo Patris, & Dom. Nostri D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XII. prædicti anno 2. præsentibus ibidem RR. in Christo Patribus, & Dominis Hieronymo Episcopo Nathuanensi: Nicolao Episcopo Montiscorbinensis, ac nobilibus viris D. Philippo Corario D. N. Papæ Germano: Francisco Iustiniano Domicello Venetiarum: Bartolino Zanibonis Domicello Cremonensi: nec non Religiosis viris, & fratribus Mattæo de Viterbio: Petro de Sardinia Præsbyteris professis Ordinis Montis Oliueti Aretinæ Diœcesis: & Andræa de Pisis; Francisco Serbondo de Florentia fratribus Præsbyteris professis Ordinis Prædicatorum: nec non Honorandis viris Dominis Martiano de Rampinis de Terdona Cameræ Apostolicæ Notario: Præsbytero Alberto de Columna de Angleria eiusdem Reuerendissimi Patris Domini Antonij Epis. Bon. prædicti Capellano: & pluribus alijs testibus fide dignis ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

EX supradictis patet etiam contra multorum opinionem, quòd frat. Stephanus præfatus non erat Prior tunc eius Monasterij S. Saluatoris de Sylua Lacus; sed ven. Pater, & supprior. Eam tamen supremam dignitatem ipse quoq; pluries laudabiliter gesserat. Prior præfati Monasterij S. Saluatoris tunc temporis erat frat.

Philip-

Philippus Leonardi de Agazarijs de Senis, qui eumdem Magistratū sępius obtinuerat: atq; sub ea sancta cōuersatione quinquagesimū quartum agebat annum. Habitum namq; in eodem loco anno Domini 1353. susceperat, & longam inde ætatem vixit. Omnia tamen iudicio, atq; consilio ipsius Patris Stephani agebantur. Imò & supriorem tunc agebat, & Procuratorem. Quod munus perplures exercuit annos cum fratre Ambrosio Honophrij de Senis; quem ipse sibi substituerat: eo autem subindè defuncto summa omnium voluptate solus obierat. Et ob id in processu potestas data scribitur ipsi Patri Stephano à Reuerendissimis Commissarijs inuestiendi Priorem, & cæteros fratres noui Ordinis Canonici, & nouæ habitu Congregationis. Hoc apertè dictum est contra illos, qui Patrem Stephanum tunc volunt Magistrum fuisse Nouitiorum; nec sine malitia dicunt. Notatur etiam hora Tertiarum in qua ipsi frat. Stephanus, & frat. Iacobus præfatum habitum inuestiti fuerunt, tamquam hora fęlicissimæ pronosticationis; quod & in ipsa gratiam supercęlestem Spiritus Sancti cum omnibus donis eius receperunt ipsi Apostoli: Iuxta illud in Himno: Dum hora cunctis tertia: Repentè mundus intonat: Orantibus Apostolis: Deū venisse nunciat.

Sequitur tenor Processus.

SVBSEQVENTER verò nos Antonius, Gabriel, & Ioannes Commissarij prædicti Constitutiones, & Normam viuendi pro conseruatione dictorum Prioris, & fratrum, siue Canonicorum, Conuersorum, & Personarum Domus, siue Prioratus, & Conuentus S. Saluatoris de Sylua Lacus; nobis, vt præfertur, reseruatas auctoritate Aposto

lica

lica nobis in hac parte commissa, ordinauimus, & disposuimus; & per præsentes ordinamus, & disponimus in hunc modum.

Proemium nouarum Constitutionum Apostolicarum nouæ Congregationis Canonicorum Reg. S. Saluatoris. Cap. IV.

QVONIAM Regula almi Patris Augustini, quam vos in Christo fratres dilectissimi, dicti S. Saluatoris de Sylua Lacus Senensis Diœcesis, estis professi: & per professionem ad ipsius obseruantiam obligastis, & obligatos vos esse volumus: regularem vitam instruit ad perfectum; non est opus multarum Constitutionum textura. Verùm quia sanctissimus Dominus noster D. Gregorius Papa XII. nobis commisit, vt pro decore vestræ conuersationis, & vitæ aliqua ordinaremus seruanda: præmittentes, quod non intendimus, quod infrascripta vos obligent ad culpam; sed tantùm ad pœnam, quam committimus arbitrio præsidentis: pauca seruanda subnectimus, quæ sub capitulis certis distinguimus: videlicet de officio Ecclesiæ cap. 1. De inclinationibus cap. 2. de Receptione Nouitiorum cap. 3. de Institutione Nouitiorum cap. 4. de Professione cap. 5. de Institutione, seu Confirmatione Prioris cap. 6. de cibis cap. 7. de Ieiunis cap. 8. de Silentio cap. 9. de lectione Mensæ cap. 10. de habitu Clericorũ, & Conuersorum cap. 11. de lectis cap. 12. de Capitulo quotidiano cap. 13. de Infirmis cap. 14. & vltimũ.

Anni-

Annotatio in errorem, & pro declarat.

COMMISSIO facta fuit tribus supradictis Reuerendissimis Dominis Episcopis anno 1408. die 24. Aprilis Pontificatus anno 2. sed Cõstitutiones datę fuerunt Lucæ 1409. die 11. Septembris Pont. verò 3. Fluxerunt ergò menses sexdecim, & dies nouem inter commissionem, & Constitutionum traditionem, quarum exemplar ab Ilice to abductum fuit à Reu. Frat. Iulio de Bononia Vicario Monasterij Senensis anno 1521. ad Monasterium Bononiense. Professi fuerant Patres videlicet Stephanus, Iacobus, & cæteri Ilicetani obseruantiam Regulæ Diui Augustini in priori Dogmate Eremitarum. In hoc verò altero non obseruantiam Regulę; sed obseruantiam tantū Ordinis Canonicorum Rugularium. Quæ secunda professio non constat solemniter expressa, per verba, vt prima: sed tantùm per nouam inuestituram habitus Canonici, & receptionem Decretorum Pontificis, in quibus ea obseruantia expressè consistit. De qua in Priuilegio X. & alibi scribitur: ob hanc enim Canonicam obseruantiā excitandam, quæ dudum perierat, in Canonicos promoti sunt sub priori professione Regulæ D. Augustini, quod est dictum contra illos, qui confusionem ponunt circa duplicem hanc obseruantiam, non facientes, aut scientes distinctionem. Vnam etiam tantùm Regulam B. Augustini esse cum pluribus existimo: & eamdem omnes profiteri, qui sub eo Patre militant. Nec placet nouum comentum eorum, qui nostris temporibus plures sibi pro sua vanitate confinxerunt. Hanc Patres D. Saluatoris professi fuerant olim Eremitę Mendicantes, nec propterea promotis in Auctores Canonicæ reformationis, opus fuit iterum

eamdem profiteri: professio enim eiusdem Regulæ omnes pariter sibi obnoxios facit, seu Mendicantes, seu non. Finis autem, iuxta quem quilibet profitetur, omnes distinguit: quamorbem solet ipse finis enunciari in professione, idest iuxta Institutiones Mendicantium, Prędicatorũ, Minorum, Eremitarum, Canonicorum Reg. Congregationis D. Marci, seu S. Saluatoris (quem nostri exprimunt) vt pro huiusmodi finis conditione, singuli singulis suis Congregationibus obligentur.

Nulli verò erant eius Congregationis, quæ nondum constabat, & quę in ipsis proditura erat. Iuxta quorum leges, præfati Patres darent nomen. Pręsertim quæ in ipsis quoq; Patribus emanaturę essent. Non inficior tamen, amotos ex priori dogmatę nouo, quod auspicarentur, subindè obligatos iuxta tradita, tradendaq; sibi Apostolica Decreta: & hoc omninò pro altera quadam professione censeri: non cauta tamen ex vllius temporis præscripto: sicuti nec ex vlla vocis conceptione solemni. Cum illi sub eodem temporis momento, & Canonico habitu, & vtriusq; suffragij munere pro creãdo primo Priore: proq; decernendis nouæ Congregationis negocijs, cuius tum primordia inirent, fuerint donati. Quæ suffragij latio Nouitijs numquam ipso iure permittitur. Quibus paulò post etiam cautum fuerit: vt quamuis, vel eamdem Regulam alibi professi: post circuitum tamen anni, quo probati fuerint, noua omninò professione indigeant, pro priuilegij septimi, & decimi sententia, quæ inferius patebit. Nõ te moueat igitur, quòd priuilegio primo dictum fuerit, quòd postquàm vitam Canonicorum Reg. professi fuerint, & sub regulari obseruantia dictorum Canonicorum in eadem Domo residebunt. Nam hoc tum impletũ est: quando per Commissarios Papæ inuestiti fuerunt de loco, & de habitu sub Decretis contentis in Priuilegio: & sub Constitutionibus per eosdem iuxta tenorem Priuilegij

V gij

gij decernendis: & propterea legis deindè Priuilegio X. eos iam expressè obseruantiam Canonicorum Reg. professos. Non quòd iterum fuissent tria vota professi: sed quia per translationem factam de eis consentientibus per dictos Commissarios ab Ordine Eremitico ad Canonicum. Finis autem illorum professionis, quo obligabantur ad Eremiticum, fuit illicò sub eadem regula translatus ad Canonicum. Describere omisimus ipsas Constitutiones primas, tùm breuitatis gratia; tùm quod pleraq; ad litterã in sequentibus postea apud Sanctum Ambrosium conditis, excerpta legantur: eademq; in vltimam similiter editionem transmissa recognoscimus.

Sequitur tenor Processus.

QVAS quidem Constitutiones, & Normam viuendi dictis Priori, ac fratribus Canonicis, & Conuersis, & personis dicti Prioratus pro tempore existentibus, præsentibus, & futuris auctoritate Apostolica supradicta tradidimus, ordinauimus, & disposuimus: nobis nihilominus Constitutiones huiusmodi, & viuendi normam, corrigendi, immutandi, renouandi, & reordinandi (si postea visum fuerit) potestatem omnimodam expressè reseruantes. Inquorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præmissorum patentes has fieri, siue præsens publicum instrumentum nostrum, hunc processum in se continens exindè fieri, & per Notarium publicum infrascriptum subscribi, & publicari mandauimus, nostrorũq; sigillorum fecimus appensione communiri.

Ordinatæ, & concessæ fuerunt dictæ Constitutiones, & Norma viuendi dictis Priori, ac fratribus, & Canonicis Conuersis, & personis dicti Prioratus S. Saluatoris de

 Sylua

Sylua Lacus per nos Commissarios præfatos; sub anno, Indictione, Pontificatu, & loco, quibus supra die 4. mensis Maij præsentibus ibidem Reu. in Christo Patre D. Antonio Dei gratia Episcopo Pensuariense; nec non religioso viro Frat. Dominico de Neapoli Ordinis Minorum professore: & discreto viro Martiano de Rampinis de Terdona Apostolicæ Cameræ Clerico: ac Ser. Michaele de Cascina Clerico Pisano, testibus ad premissa vocatis specialiter, & rogatis. Et ego Hermannus de Symæa Clericus Colonensis publicus Apostolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius; quia prædictarum litterarum Apostolicarum præsentationem, receptionem, requisitionem, inuestituram, commissionem, inhibitionem, sententiarum fulminationem, constitutionum traditionem, ac reseruationem, omnibusq; alijs, & singulis præmissis: dum sic, vt præmittitur, ferent, & agerentur vna cum prænominatis testibus præsens interfui: eaq; omnia, & singula sic fieri vidi. Ideoq; hoc præsens publicũ instrumentum, præsentem processum in se continens, alijs occupatus negotijs per alium fideliter scribi feci, subscripsi, publicaui, & in hanc publicam formam redegi: signoq;, & nomine meis solitis, & consuetis, vna cum appensione sigillorum Dominorum prædictorum signaui rogatus, & requisitus in fidem, & testimonium omnium, & singulorum præmissorum.

✠

Reditus

Reditus nouorum Canonicorũ ad Monasteriũ suum Ilicetanum S. Saluatoris. Cap. V.

NOVI itaq; duo Canonici amplioribus delibati sacramentis ad socios Illicetum in albis redituri: de consilio, & hortatu Reuerendissimi Ioannis Dominici, vnius ex tribus Commissarijs, olimq; Prædicatorij ordinis, & Prioris Monasterij S. Dominici de Fesulis, ad præfatũ Monasterium Fesulanum accesserunt, priusquam ad Ilicetanum Conuentum proficiscerentur. Diuino etenim lumine illustratus, proprioq; suæ mentis accumine præuidit Reuerendissimus præfatus Commissarius, fore, vt noui Canonici nõ parũ cõtradictionis, atque insultationis à fratribus Eremitis, qui Senis habitabant, ob segregationẽ huiusmodi ab illis, essent passuri. Fesulis igitur Stephanus, quem primum Patrem ipse Pontifex delegerat, pręfatæ nouæ institutionis, reliquos confratres ex Iliceto ad se conuocat, quo cum omnes, præterquam Conuersus vnus Frater Cechus Berti de Foiano, conuenissent, eos sub noua libertate ex Mendicantibus Eremitis Concanonicos salutauit: Rerum ordinem retexuit; & quod earum fidem facerent, priuilegium Pontificis, & Apostolicorum Patrum processum deprompsit. Imbuere subindè omnes Ilicetani eadem noua iura, & pullo habitus colore sub niueum candorem permutato: astantibus vndecim eius Fesulani Monasterij Religiosis: & fratre Marco Petri Fabiani de Mugello territorij Florentini publico Notario ad hæc rogato: eos veluti transfiguratos exemplo sui Saluatoris, quem noui homines induebant in iustitia, & cordis alacritate, & claritate, similes sibi Apostolicus Stephanus reddidit: qui vicissim communi voto Stephanum primũ

nouæ Congregationis Patrem omnes compellarunt die 28. Iunij 1408. Quibus omnibus ritè peractis, ad propriā nouam Canonicam omnes redierunt. Quocircà notandū est, Gregorium XII. vbiq; in Priuilegijs huius Congregationis S. Saluatoris auctorem se se facere. Constat, & in litteris Martini V. eius successoris: At primum Patrem appellatum Stephanum ipsum intelligimus: vel quia primus sodalitij sui promotus in Canonicum à Gregorio, cæteros sibi hac legatione demandata promouit: vel quia primus Prior, & subindè primus Generalis Congregationis fuerit: qui primum locum, & primos labores instituente Gregorio pertulit: & quia talem eum Pontifex elegit. Nomina verò illorum deuotorum Patrum, qui eà tempestate in eo sacro Ilicetano Monasterio sub arcta obseruātia degebant, hæc recitantur; videlicet Frat. Philippus Leonardi de Agazarijs de Senis: Frat. Iacobus Andrææ de Senis: Frat. Dominicus Cioni Vghi de Senis: Frat. Io. Franciscus de Astagia: Frat. Io. Christophori Salimbeni de Senis; Frat. Regulinus Angelini Philippi de Senis; Consanguineus Frat. Bernardini Ordinis Minorum, à Pio 2. Papa sanctorum postea catalogo adnumerati: Frat. Andræas Agelini: Frat. Io. Antonij Guidi Seruani: Frat. Franciscus Nani Serblutij: Frat. Bartholomæus Salui: Frat. Christophorus Ioannis: Frat. Cechus de Foiano, tres Cōuersi, & omnes patria Senenses, numero 13. cum eodē R. Patre Frat. Stephano Ioannis præfato. Frat. autem Ceclus Berti est, qui Fesulum non venerat; non tam quòd remansisset in Liceto custodiæ causa Monasterij, quàm quòd malè sentiebat de noua reformatione, & potius inclinaret ad Eremitas, factiosus quidem factus contra duodecim, & Stephanum. Vt autem apertius rem demonstremus, quasi ab ouo incipere nos oportet. Cum igitur Alexander Anagninus Papa 4. Eremiticam Sectam sub D. Patris Augustini Regulam ab Innocentio Flisco Ianuense Pa-

se Pa-

le Papa 4. (qui roseum etiam Galerũ sacris amplissimorum S.R.E. Patrum addiderat) ex omnibus Eremitis, ac circũcilionibus vndique tuguria, syluestriaq; loca incolentibus, ac sub diuerso habitu, diuersisq; regulis, & titulis cõflatam, intra Vrbes anno Domini 1244. vt simul in communi viuerent, induxisset, confirmasset, reformasset, auxisset, ac multis priuilegijs, & gratijs decorasset, sub vno tantùm capite, & regimine eum ordinem, quem Eremitarum præfati S. Augustini denominauit, regi, & moderari perpetuò mandauit. Volens eorumdem Primatem nuncupari Priorem Generalem, à quo Prouinciales, & Conuentuum singulares Priores annuatim instituerentur, ad libitum suum amouibiles. Sicq; factum est, vt etiã idem Fultignanum Senense de Sylua Lacus Monasteriũ sub eodem S. Augustini Eremitarum ordine deueniret, quod antea (vt fertur) sub S. Gulielmi Dogmate militauerat. Eremitæ (vt scribunt) iam indè à Gulielmo Aquitaniæ Principe primo instituti sunt, à quo Guilelmitæ postea illius professores dici cepti sunt. sub autem noua tunc institutione dictum Monasterium de Fultignana vltra centum quinquaginta annos pacificè perseuerans, ea ipsa Basilica cum cænobio sæpius ab ipsis Patribus resarcita, & ampliata extitit. Verum post hæc ab eiusdem Prouincialibus multis, incommodis, perturbationibus, dispendijs, exactionibus tum pro Generalibus, tum Prouincialibus Capitulis congregandis, faciendisq; visitationibus, ipsi Ilicetani, cum sæpius, & acrius, ac supra vires excruciarentur, ad Generalem Priorem pro opportuno remedio recursum habuerunt: quo ipse, qui tunc Magister Bartholomæus Venetus dicebatur, anno Domini 1392. Schismatis tempore sub Bonifacio Papa 8. eosdem cum ipsorum Monasterio ab omni inferiorum Prælatorum molestia, & iurisdictione liberauit. Sed cum ab eorum vexatione, ipsi Prouinciales minimè desisterent: idem Gene-

ralis Prior in Conuentu generali Ariminense, anno Domini 1394. per suas patentes litteras omnibus Prouincialibus, & alijs inferioribus Officialibus sub Excommunicationis latæ sententiæ pęna mandauit; ne in aliquo circa dictos fratres Ilicetanos,& eorum Monasterium se intromitterent. Quàm exemptionem Magister Nicolaus de Cascia immediatè successor anno Domini 1400. confirmauit: sicq; sub speciali protectione,& regimine Prioris Generalis Ordinis solummodò vsq; ad noui Canonici habitus assumptionem perdurarunt. Hoc in loco frat. Stephanus,qui ex parte Ioanne anno 1354. senis erat natus, & optimis moribus diligenter nutritus; cum esset annorum 14. pulcher aspectu, læta facie, & robusto corpore,satisq; eruditus anno Domini 1368. eodem sacro habitu fuit initiatus. Nunquam verò Superiores Eremitanorum totaliter ab infestatione cessauerunt; sed quotidiè Ilicetanos Patres aliqualiter molestabant: Quare Stephanus, & socij; cum nullam apud homines tantæ rei expediendæ viam inuenirent(vsque adeo omnem ad pietatē, religionemq; obstruxisse aditum prophana seditio videbatur) visum illud est optimum consilium, vt se totos, remq; suam Christo Saluatori,cuius nomini ipsi,ipsorūq; locus consecrati erant,traderent,ac comendarent. Hinc itaq; illum dies noctesq; obnixius præcari, illius assiduis lachryinis benignitatem exposcere, intentissimis votis misericordiam implorare, vt aliquam tandem cum periclitanti Ecclesiæ, tum ipsis supplicantibus, ipse, qui vnus posset,quod vnicum perfugium,vnica cunctis reliqua facta spes esset,opem afferret. Ecce autem dum rebus diuinis,atq; præcationibus pij viri tota mente incūbunt: nunciatur illico Cardinalem Corarium, mortuo Innocentio, in Pontificem Romæ lectum. Quo sanè veluti è Cęlo sibi allato nuncio,incredibili gaudio,ac voluptate illorū perfusi animi sunt. Cognita igitur Gregorij XII. Pontificis

erga

erga se beneuolentia;cum Luca reuersus à prima vocatione Stephanus, vt dictum est, singula quæq; longa serie cæteris Confratribus retexuisset, summo repleti gaudio per optantes,vt eorum mentibus redderetur quies, absolutionem etiam ab obedientia ipsius Generalis Prioris, Stephano intercedente, sperabant. Appropinquante autem die, quo Stephanus Pontificis monitu, vt supra, Lucam accedere deberet. Anno Dom. 1408. die 25. Martij Capitulariter congregati vnanimiter elegerunt prefatum Reuer. Patrem Stephanum cum Fratre Iacobo, quibus per Procuratorium, & amplissimum documentum manu Ser Galgani Cerbonij Senensis Notarij autenticè confectum dederunt in mandatis, vt Lucam accedentes nomine eorũ omnia,& singula Põtificis mãdata audirent, pcipe rent & pficerent, prout præhabita iamdudũ inter eos matura cõsideratione deliberauerãt. Nihil super habitus mutatione penitus opinantes. Vnde verò cum Domini benedictione discedentes, Lucam peruenerunt die 3. Aprilis. Altera verò die coram Pontifice assistentes per benignè fuerunt ab eo suscepti, & longo eos alloquens exordio, tandem aperto consilio,plumbi Bullium Apostolicum institutionis nouæ Congregationis Canonicorum Reg: datum ibi die præcedenti videlicet 4.eiusdem Mensis,& anni manibus proprijs tradidit. Quod cum Pater Stephanus ea, qua decuit, humili reuerentia susceptum explicasset, percurrissetq; diriguit quam maximè prospiciens nouum habitum, quem nunquam opinatus fuisset. Pontifex autem pacificè & leniter eum consolans, rationabiliter declarauit, hoc propensioris fuisse consilij,vt tutiori hoc modo ad eorum perficiendum vteretur desiderium. Tandem cum pius pater Pij Pontificis salubrioribus consilijs aliquantulum acquieuisset:nihil tamen innouare voluit,quousq; eodem permittente Pontifice,ad Confratres suos reuersus, eorum denuo sententiam audiret. Pertimescebat

enim

enim ne fortè inuisum, & insolitum abhorescerent habitum. Reuersi itaq; Commissarij Apostolici, idest frat. Stephanus, cum socio Ilicetum, & cuncta, quæ fuerant gesta referentes; Apostolicas litteras aperuerunt, atq; demonstrarunt. Quæ omnia cum supradicti Fratres audissent, vnanimes libentissimè litteras easdem suscipientes, eidem nouæ institutioni, & habitus mutationi assensum præstiterunt. Rogatum facientes eundem Patrem Stephanum Commissarium Apostolicum, vt quam citiùs ad Pontificem reuersus, præfata, & reliqua omnia ab ipso decreta, effectualiter adimpleret. Iterum ergo Reu: Pater cum socio Lucam post relationem sanctissimo Pontifici exhibitam, præfatas litteras tribus Reuerendissimis Commissarijs Apostolicis, vt supra, reuerenter debita cum instantia præsentarunt. Qui postea Reuerendissimi Domini in vnũ Congregati, & Apostolicis obedientes mandatis, dictum Patrem Stephanum, & socium eius frat. Iacobum canonico habitu, vt supra, inuestierunt. Quo etiam die de eorum mandato confectus fuit executionis Processus: Quem super additis postea nouis Constitutionibus in quatuordecim distinctis Capitibus, die 4. proximi sequentis Maij præfatis nouis Canonicis, vt supra, tradiderunt. Interim bonus frat. Cechus de foiano Ilicetanorum Conuersorum ille vltimus, qui solus nouæ Congregationis habitum penitus contempserat, Eremiticis Cænobij intra Senarum Vrbem sub P. Augustini vocabulo constructi, per interpositos nuncios cuncta, quæ gesta fuerant, propalare solicitauit, detegens modum, quo noui Canonici ab obedientia Prioris Generalis Eremitici dogmatis redempti fuissent. Tunc autem eum Magistratum gerebat prælibatus Magister Nicolaus de Cascia electus in Capitulo 18. Generali Conuentus Aquilæ anno 1400. cælebrato. Intendebat quidem frat. iste Cechus innocentes Canonicos in manus Eremitarum tradere, dum ad propriam Canonicam reuer

terentur.

terentur. Quod vtiq; tradimentum euitauerunt Stephanus cum socio consilio Reuerendiss: D. Ioannis Dominici, vnius, vt dictum est, ex tribus Commisarijs, ita diuinitus inspirati, cum in Fesulanum Monasterium Ordinis Prędicatorum reuertentes prius sese recipiendos eos docuit. Mox die vltima Iunij sub Aurora per acta de more solemniter ipsa re diuina, iuxta nouarum Constitutionum prædictarum Decreta ad electionem Prioris procedere sese præpararunt. Coram quibus Reu: P. Stephanus habito suaui, nec minus erudito sermone, benignè illos hortatus est, vt eundem Fratrem Philippum, quem ad huc habebant Priorem, confirmare vellent: ne, fortè si Patrem ipsũ Stephanum, aut socium suum elegissent, ab Aemulis redargui possent, quod ideo hanc metamorphosim procurassent quatenus ambitione ducti ad Prioratum assumerentur. Cum igitur cessasset loqui, annuerunt omnes rationabili persuasioni: & prolatis suffragijs eundem frat. Philippum in primum nouæ Congregationis, nouęq; Canonicæ Priorem decreuerunt, ab omnibus Vocalibus confirmatum. Electus autem iuxta Constitutionum tenorem cap. 6. vna cum præfato frat. Iacobo Lucam mittitur Reuerendiss: Domino Gabrielli Cardinali præfato, tanquam loci Diæcesano præsentandus, & confirmandus. Cui præfatus Reuerendiss: per quàm benignè annuit, & eundem frat. Philippum in primum Priorem Canonicorum Reg: Congregationis S. Saluatoris in præfato Ilicetano Monasterio, & Canonica habitantium libentissimè confirmauit, vt constat rogatu eiusdem Hermanni de Symea Notarij Apostolici in domibus præfati Reuerendiss: Electi Diæcesani, die 2. Iulij, anni Domini 1408. autenticè confecto. His itaq; peractis ad propria alacres, & læto animo sunt reuersi, ac pacificè ex nigro habitus colore in niueum candore Canonicorum transfigurati sub noua Canonica obseruatione deuotissimè viuere ceperunt. Verùm ille inimi-

cus

cus homo, qui olim euangelici Patris familias purissimo semini Zizania super seminauit: hanc nouam in Christo regenerationis Sobolem, vt potè suis dolosis artibus adversaturam, maximè per horrescens, notam scissuram, qua tum duorum, & subinde trium Summorum Pontificum vexatione vniuersa Christi Religio, & Ecclesia suo impulsu laborabat: inter nouos Canonicos, & Eremitarum primarios paulò post excitare aggressus est: Detegerat enim prælibatus frat. Cechus illis modum, quo noui Canonici à suæ nouæ Canonicæ possessione expulsi, eandem ipsi Eremitæ vendicare facilimus possent. Et primũ quidem istius Cechi hortatu ipsi Eremitani S. Augustini intra Senarum Vrbem, inter quos plures erant eiusdem Ciuitatis nobiliores, & omnibus scientijs eruditi Ciues, duorum Optimorum prædiorum præfato Monasterio Ilicitano ab antiquo tempore legatorum corporalem possessionem actu rapuerunt. Fuerant enim hac eis conditione concessa, vt si quando tempore aliquo in eodem Ilicetano Monasterio Eremitarum Ordo esse cessasset: statim ipsa prædia pleno iure ad eundem S. Augustini Cænobium deuoluerentur. Insuper præfati Eremitæ eiusdem Ciuitatis Procerum, & Primariorum Antianorum suffulti præsidio, contra præfatos Canonicos, & præcipuè aduersus Priorem frat. Philippum, & Reuer. Stephanum, vti primarios, armata, & violenti manu acriter insurgentes, multis modis, & varijs persecutionibus eos affecerunt, nihil ommitentes, quatenus eius Ilicetani Monasterij possessionem, quoquomodo possent, deserentibus illis, sibi vendicarent. Quorum insultus patientia conctantes, aliquandiù præfati Canonici constanter tolerauere; orationibus tamen, & diuinarum scripturarum lectionibus communiti. Tandem facto impetu Magistratus Senenses, retentis eorum Priuilegijs, Constitutionibus, & omnibus scripturis; atq; eorum ablatis omnibus bonis, violenter, & iniuriosè

ab eodem Ilicetano Monasterio omnes fugere compulerunt, præter eumdem frat. Cechum de Foiano, quem in pristino Eremitanorum habito perseuerantem, solum ibidem cum cæteris quibusdam ex suis pro loci custodia Eremitani dimiserunt. Miseri verò Canonici adeò ignominiosè à sedibus proprijs expulsi, in quendam locellum eiusdem Monasterij non procul distantem se receperunt, vbi hostiatim quæstuantes, laboriosam vitam per aliquos dies miserabiliter duxerunt. Demum superno Oraculo monitus Reuer: Pater Stephanus, quod exemplo Abrææ peregrinandum esset, omnia sua ibi, compellentibus etiã Eremitis, dimittere coacti, Pontificem suum apud Ariminum, quo à Luca diuerterat, adierunt, cunctaq; per ordinem retexerunt. Quibus auditis Pontifex maximo cordis cruciatu eorum calamitati compatiens, tempori, ac diuino pariter responso cedendum esse, eos blandis, atq; pijssimis sermonibus hortatus est. Partim itaq; ipsorum decedendo succesentibus iniurijs, & insidijs pari sententia consuluerunt: partim eius Monasterij, & bonorum ægrè nimis ferentes ammissionem, annuebant reuersioni: quibus eorummet consulens Pontifex saluti, & eorum, & plurimorum nobilium Senensium instantia, potestatem fecit ad pristinum habitum, & dogma in eodem Monasterio Ilicetano redeundi: priorem eorumdem statum, immunitates, & priuilegia ac cætera omnia vt prius restituendo per Bullam plumbeam datam in eadem Ciuitate Ariminensi die 20 Nouembris eiusdem anni videlicet 1408. quam bullam cum nonnullis alijs scripturis ad hoc facientibus in eodem Conuentu S. Augustini de Senis habent Eremitæ illius Ordinis. Huius itaq; Priuilegij concessione sex ex præfatis Canonicis ad pristinum Eremiticum Dogma sunt reuersi, & interuentu Communitatis Senarum à præfato eiusdem Ordinis Priore Generali in eodem Monasterio sub pristinis modo, & forma sunt restituti. Qui-

ti. Quibus etiam à præfatis suis Confratribus S. Augustini de Senis, ductis compassione prælibato anno prædia sub quibusdam alijs conditionibus sunt restituta. Quod rogatu publici Notarij sub die 7. Feb. anni 1409. confecto constat. Qui annus erat nouæ Congregationis Canonicorum secundus. Fuit etiam confirmatus ibi Prior idem frat. Philippus, qui in eodem Prioratu permansit ad finem vsq; vitæ suæ, qui fuit anno Dom: 1417. cum vixisset sexaginta quatuor annis. Eo etiam sæuissimo turbine frat. Iacobus Andræę sæpe dictus haud minimo timore perterritus, qui socius, & Collega fuerat ipsius Reu: P. Stephani, & etiam præuisi reliquorum profugij, qui in Canonico habitu omninò perdurare statuerant, asperitatem pertimescens, ammissa penitus alicuius vnquam spe quietis, animi sui conceptum arctioris vitæ exequendum ad Monasterium Ordinis Minorum propè Senas extra muros, quod de Capriola dicitur, confugit; in quo Prælatus erat Pater frat. Bernardinus de Senis, consobrinus frat. Regulini, qui apud frat. Stephanum remansit: in eoq; Monasterio deuotè perseuerans dictus frat. Iacobus tandem sanctissimo fine in Domino quieuit. Frat. autem Stephanus cum frat. Ioanne Antonij; frat. Regolino; frat. Dominico; frat. Francisco supra nominatis in habitu canonico, & Apostolico constantes, & intrepidè perseuerantes, Pontificem suum, & pijssimum Patrem profugum apud Ariminum constitutum, profugi fiducialiter adierunt. Quos benignissimè, atq; clementissimè Pontifex amplexatus est retentisq: secum frat. Stephano, & frat. Dominico præfatis, quo vna communes huiusmodi procellas consolaretur: cum quo P. Stephano sæpius longos, & secretos sermones habebat, & coram eo cum maxima deuotione sacramentaliter confiteri semper volebat reliquos, qui tamtummodò tres erant, eodem mense Nouembris eius anni Lucam eidem Reuerendiss: D. Antonio, primo

ex prę-

ex præmissis Commissatijs Apostolicis, commendatos remisit. Qui cum suis commendatitijs litteris Bononiam, cuius Episcopatum, vt dictum est, tenebat, direxit, & à suis Bononiæ Agentibus locari eos iussit Delubro quodam extra Portam Ciuitatis, quæ S. Mamınæ dicitur: quod Vallis Viridis Bononienses appellant (erant enim locus Ecclesiæ suæ subiectus) quousq; illis de proprio Monasterio prouideretur, ibiq; hospitari mandauit: fueruntq; illic per aliquot menses; & sic prædicti Canonici extorres facti absq; propria sede quatuor annos, & amplius errauere. Quorum fidem, atq; constantiæ virtutem Saluator ipse, cuius titulum vbiq; gerebant, Pontifici, & alijs interim Principibus comprobauit; vt eos demum extra terram, & Cognationem suam sub suis perpetuis auspicijs egregiam sobolem, piam, religiosam, & sanctam, perennemq; procrearet. Arimino posteà soluentem Gregorium Austriam ad Istros comitantes ipsi P. Stephanus, & frat. Dominicus illuc concesserunt; quibus ibidem exulantibus idem Gregorius præfatum primum Institutionis Priuilegium nouæ Congregationi concessum, cum eisdem nouis Constitutionibus in eo insertis, quod, vt diximus, ablatum à Senensibus fuerat cum Constitutionibus, & alijs scripturis, vt supra, cum appensione Bullæ plumbeæ similis primæ, & filis sericeis rubei croceiq; coloris gratis innouari, & è Registro transcribi iussit, vt ex subscriptione Notarij Apostolici in illis verbis, videlicet Duplicata gratis de mandato Dom: Nostri Papæ Ioannes de Monte Politiano &c. subindè die prima Sept: eiusdem anni 1409. sub anno sui Pontificatus tertio; alterum similiter gratis concedit Priuilegium.

✠

Anno

Annotatio in errorem, & pro declarat.

BONONIAM ergo prius perrexerunt, ibiq; moram prænominati Canonici traxerunt, vt declaratum est, post ammissionem sui Monasterij S. Saluatoris apud Licetum: & non statim post Canonicum gestamen (vt quidam somniarunt) ad Ædem S. Donati de Scopeto propè Florentiam Migrarunt. Quod non tantum ex dictis patet, sed ex ijs, quę sumus dicturi, magis patebit.

Consequenter vanum fit, quòd tam libenter de titulo Congregationis eorumdem oblaterant, ex hoc Scopeto inferentes: Vnde tota ipsa Congregatio Scopetinorum dicitur. Sed latius de hoc suo loco.

Priuilegium secundum Gregorij Papæ XII. Cap. VI.

Laconismum.

GREGORIVS idem dictos Canonicos exactos è dicto Monasterio Ilicetano: præstat posse suscipere quemcumq; locum sibi oblatum, & in Prioratum erigere: viuentesq; sub forma data, gaudeant omnibus supra cócessis.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei ad futurã rei memoriam. Dudum si quidẽ per nostras litteras Dat. Lucæ 3. Non. Apr. Pont. nostri anno 2. excitante nostræ mentis arcanum speciali, & affectuosa dilectione, qua Domum, & Conuentum Prioratus S. Saluatoris de Sylua Lacus, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentes Ordini

Ordinis S. Augustini Senensis Diœcesis, sumus hactenus prosecuti, & paterno prosequi studio intendimus incessanter. Nos motu proprio: non ad dilectorum filiorum fratrum dictæ Domus, quæ hactenus Ordinis fratrum Eremitarum dicti S. Augustini extitit: vel alicuius alterius pro ipsis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, eamdem Domum in Prioratum Conuentualem auctoritate Apostolica ereximus, per Priorem sub nouis conditionibus, & modis in ipsis litteris insertis perpetuò gubernandam; prout in eisdem nostris litteris seriosius continetur.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

ATTENDE prius Epilogum accommodatissimum paterno affectui Pontificis erga suos Canonicos; habet enim nescio quid latentis energiæ, dum exorditur ex superioris principio. Attende posteà, quod sedebat in pectore Pontificis arcanum illud pro reformandis regularibus Canonicis, ad quod fuit in ijs pręsertim excitatus ex dilectione, & deuotione, qua erga eos erat speciali affectus. Quod autem non cessauerit eos incessanter prosequi paterno studio quoad vixit, cætera magis Priuilegia vsq; ad eius obitum inferius patefaciunt. Et sic ab ipso Gregorio Pontifice non à Stephano emanati declarantur huiusmodi Canonici. Scito etiam Canonicos præfatos de voluntate Pontificis Monasterium Ilicetanum deseruisse, cedentes iniurijs, quibus nec ipse Pontifex occurrere tum poterat, propter perfidum schisma, quod vigebat. Spem autem habebant alterius potiundi ex singulari in se beneuolentia Pontificis.

Sequitur Tenor Priuilegij.

CVm igitur super excrescente malitia temporis: peruersorum debacante proteruia, nonnulli fratres conuentus prędicti, sub nostra deuotione, & fidei integritate degentes, de præsenti nequeant in Domo, & Conuentu huiusmodi habitare. Nos eisdem pio compatientes affectu, ac volentes paternæ protectionis suffragio subuenire: tenore præsentium eadem auctoritate concedimus, quòd vbicumq; fratres ipsi locum inuenerint congruum, licitum, & honestum, qui eis debitè, & Canonicè pro eorum residentia conferatur, acceptare, & suscipere: ipsumq; in prioratum conuentualem huiusmodi habere, & recipere ad omnipotentis Dei gloriam, & honorem, liberè, & licitè valeant tenere: eadem auctoritate in Prioratum huiusmodi locum ipsum per eos habendum, vt præmittitur, erigentes, ac statuentes auctoritate præfata, quòd fratres ipsi in eo valeant habitare secundùm institutiones, & regulas per ipsas nostras litteras sibi datas. Quodq; locus ipse per ipsos fratres habendus, & in Prioratum, vt præmittitur, erigendus: & fratres ipsi sub dictis modis, & regulis in alijs nostris litteris, vt præmittitur, expressatis, degentes, vti, & gaudere valeant exemptionibus, concessionibus, & indultis. & huiusmodi litteris, quarum tenores, & formas hic haberi volumus pro sufficienter expressis, contentis, & annotatis.

Constitutionibus Apostolicis, & alijs in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumq;. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, erectionis, Constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu, &c. Dat. in Ciuitate Austria Aquileiensis Dœcesis

Kal.

Kal. Sept. Pont. nostri anno 3. Gratis de mandato D. N. Papæ. Io. de Monte Politiano.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

PRIVILEGIVM hoc secundum datur eodem anno supradicto Saluatoris 1409. qui fuit secundus annus Congregationis: quo etiam à præmissis tribus Reuerendiss. Patribus Cõmissarijs iam Cardinalibus Lucę; vbi substiterant; inde digresso Gregorio, innouatæ fuerunt primeuę Constitutiones: Canonici enim qui Bononiæ, vt præmisimus, peregrinabantur, certiores à P. Stephano facti de innouatione primi Priuilegij,& accepta eius copia autentica, Lucam de Patris eiusdem consilio redierunt insimul omnes pro innouatione Processus, & Constitutionum; quas, vt diximus, amiserant, vel abstulerant fratres Eremitani, & Antiani Senenses cum eos violenter de Monasterio Ilicetano S.Saluatoris expulerunt. Quæ omnia ipsi Reuerendiss. Commissarij,& Protectores tunc S.R.E.Cardinales Præsbiteri, creati à Gregorio XII. die Sabbati Pentecostes, videlicet 17. mensis Iunij, compluribus alijs anno præcedenti 1408.de commisione Summi Pont.pereumdem Apostolicum Notarium gratis similiter è registro transcribi mandarunt;& eorum sigillis, quibus tunc, vt Cardinales, vtebantur, appensione muniri,& reddi;vt ipsemet Notarius in fine ipsius innouati Processus executorialis,his verbis testatur dicens: Item post confectionẽ processus, siue Instrumenti prędicti; videlicet anno Nat. Dom. 1409. indè secunda die Lunæ, secunda mensis Sept. Pontificatus sanctiss. in Christo Patris,& Dom. nostri, D. Gregorij diuina prouidentia Papę XII. anno 3. propter ammissionẽ originalis instrumenti, siue processus huiusmodi;

modi; cum sigilla præfatorum Dominorum, quibus tunc vtebantur, non habeantur: qui postmodùm per præfatum Dominum nostrum ad Cardinalatus honorem fuerunt assumpti: Quarę præsentem processum, siue pręsens publicum instrumentum, eorum proprijs sigillis, quibus nunc vt Cardinales vtuntur, mandarunt ex certa scientia communiri pariter, & apponi: quorum sigilla approbo H. de Symea Not. vt supra.

Quod ij tres Cardinales sub ijs temporis, & rerum difficultatibus, iterum constitutiones dare consenserint, & ab earummet restauratione nulla eos ratio submouerit: neq; eiusmodi temporis turbulentissimi, quo omnia fluctuabant: neq; illius sortis miserabilis, qua Pontifex ipse, qui eas imperasset, ex Italia profugisset: & quod ipsa quidem Congregatio, cui denuò dabantur, extorris etiã agebatur: cum etiam tam pauci, & profectò noui Religiosi remansissent: atq; vbi eas essent seruaturi, certum nec dũ locum cognoscerent: nihil aliud rationi consonum adinuenio, nisi Saluatoris ipsius altissimam prouidentiam, qua eius suæ Congregationis fundamenta iactabantur. Post acceptas Constitutiones innouatas, dum Patres se se Lucę detinebant, Alexandrum V. Bononiæ è viuis sublatum audiunt: & Dominum Baltassarem Cossam Legatũ apud Bononienses agentem ipsi Alexandro à Cardinalibus inibi existentibus suffectum, & Ioannem 23. nuncupatum, aliorum duorum Pontificum Aemulum, eorumq; partes tuentium hostem publicum, atq; pertimescendum. Quamobrem Canonici Patres pręfati de R. P. Stephani consilio, & eorum Pontificis commissione, Bononia post habita, Fabriani apud Sacellum D. Nicolai reliquum temporis in arctissima nouę Congregationis obseruantia degerunt. Præfato P. Stephano cum socio peregrinis exulantem vbiq; Pontificem prosequentibus: & ad eosdem suos Concanonicos reuisendos sæpius redeuntibus. Eo

autem

autem anno Dom. scilicet 1410. Congregationis verò 3. die 13. Septem. Pontifex Gregorius tertio Priuilegio suo suos Canonicos corroborat, vt in sequentibus.

Priuilegium 3. Gregorij XII. Cap. VII.

Laconismum.

HOc tertio priuilegio declarat Gregorius nouos Canonicos suos etiam extra propriam sedem, vbicumq; consistant, omnibus sibi indultis gaudere: superiore etiam largius corroborato.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei ad futurã rei memoriam. Sacræ religionis, sub qua dilecti filij fratres, seu Canonici Prioratus S. Saluatoris de Sylua Lacus ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinenti, Ordinis S. Augustini, Senensis Diœcesis, mundanis abdicatis illecebris, virtutum Domino in humilitatis spiritu deuotũ, & sedulum impendunt famulatum: promeretur honestas, vt super illis, quæ ipsis prosperi status incrementum afferre valeant, gratiosum Apostolici fauoris præsidium libenter, & fauorabiliter impendamus, & præbeamus. Dudum siquidem videlicet 3. Non. Aprilis Pont. nostri anno 2. excitante nostrę mentis arcanum speciali, & affectuosa dilectione, qua Domum, & Conuentum Prioratus prædicti S. Saluatoris de Sylua Lacus ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentes; ordinis S. Augustini Senensis Diœcesis, sumus hactenus prosecuti, & paterno prosequi studio incessanter intendimus. Nos motu proprio, non ad dilectorum filiorum fratrum dictæ Domus, quæ hactenus Ordinis fratrum Eremitarum dicti S. Augustini extitit: vel alicuius pro ipsis nobis super hoc oblatæ petitionis

instantiam: sed de mera nostra liberalitate, ex certa sciẽtia, eamdem Domum in Prioratum Conuentualem auctoritate Apostolica ereximus, per Priorem sub conditionibus, & modis in ipsis litteris insertis perpetuò gubernandam, prout in eisdem litteris nostris seriosius continetur. Demùm Kal. Sept. Pontificatus nostri anno 3. super excrescente malitia temporis, & peruersorum debacante proteruia: nonnulli fratres Conuentus prædicti sub nostra deuotione, & fidei integritate degentes, de præsenti nequeunt in domo, & Conuentu huiusmodi habitare. Nos eisdem pio compatientes affectu, ac volentes paternę protectionis suffragio subuenire, eadem auctoritate concessimus, quòd vbicumq; fratres ipsi locum inuenissent congruum, licitum, & honestum, qui eis debitè, & canonicè pro eorum residentia confereretur, acceptare, & suscipere, ipsumq; in Prioratum conuentualem huiusmodi habere, & recipere ad Omnipotentis Dei gloriam, & honorẽ liberè, & licitè valerent, & tenere, & eadem auctoritate in Prioratum huiusmodi locum ipsum per eos habendũ, vt præmittitur, erigentes, ac statuentes auctoritate præfata, quòd fratres ipsi in eo valerent habitare secundum institutiones, & regulas, per ipsas nostras sibi datas: quodq; locus ipse per ipsos fratres habendus, & in Prioratum, vt permittitur, erigendus; & fratres ipsi sub dictis institutionibus, & regulis in alijs nostris litteris, vt præmittitur, expressatis degentes vti, & gaudere valerent exemptionibus, & indultis, & huiusmodi litteris, quarum tenores, & formas sic haberi volumus sufficienter expressis, contentis, & annotatis. Cum autem sicut exhibita nobis pro parte dilectorum dictorum Canonicorum petitio continebat: labe schismatica in plurimis locis vltra solitum pullulante, dicti Canonici, & fratres huiusmodi hucusq; nequiuerint locum aliquem aptum, & idoneum inuenire pro huiusmodi Conuentu, seu Prioratu (vt præmittitur)

erigendo;

erigendo; sed peregrè quodammodò, non sine eorum labore eos conuenit percunctari. Et sicut eadem petitio continebat ipsis Canonicis, seu fratribus, non existentibus in dicto Prioratu S. Saluatoris, siue in alio loco, vt præfertur, eis concesso: ipsos Canonicos, siue fratres, gratijs, indultis, ac concessionibus, & formis in dictis litteris insertis de iure, vt asseritur, non posse gaudere: nec etiam gratiam eis in dictis alijs litteris concessam ad eorum posteros extendere. Nos dictos Canonicos, seu fratres in eorum laudabili proposito confouere, ac statui eorumdem prouidere volentes: dictos primum, vel alium quemcumq; locum non habentes, seu possidentes, & eorum posteros vbicumq; ipsos esse contigerit, dummodò aliàs viuant secundùm eorum regularia instituta, conditionibus, modis, concessionibus, gratijs, priuilegijs, indulgentijs, exemptionibus, & libertatibus per nos, vt præmittitur, eis concessis, liberè, & licitè vti, & gaudere posse; tenore præsentium auctoritate prædicta declaramus. Concedentes eis, quòd si huiusmodi locus aptus, aliàs licitus, & honestus, eis de nouo per quoscumq; Christi fideles ædificetur: vel ipsi Canonici, seu fratres ex eleemosinis sibi concessis illum ædificare velint: vt huiusmodi locum nouiter erigendum liberè, & licitè, vel alias, vt præfertur, erigere possint, & valeant: alicuius super hoc licentia, seu auctoritate minimè requisitis. Constitutionibus Apostolicis, & alijs in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumq;. Iure tamen Parrochialis Ecclesiæ, vel alterius cuiuscumq; semper saluo. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, & concessionis infringere, &c. Datum Gaietæ Idib. Sept. Pont. nostri anno 4. Dupplicata gratis de mandato D. N. Papæ. Io. de Ratingen. 1410.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

IN hoc Priuilegio duo superiora Priuilegia inseruntur ex eo paterno affectu Pontificis, quo se omnia semper voluisse pro suis Canonicis demonstrat, vt benè, atq; commodè viuere possint.

Notandum est etiam hoc anno salutis Christianæ 1410. Ioannem 23. Alexandro V. infra octo menses vita defuncto; violentis magis, quàm liberis suffragijs, cum summum Magistratum extorsisse. Quæ res maiorem nauiculæ Petri tempestatem excitauit, labe schismatica; vt dicitur in Priuilegio, vltra solitum pullulante. Eo tempore Gregorius pro euitandis quorumdam insidijs ad eum capiendum, ex Istris adnauigauit Gaietam, vbi se continuit vsq; ad futurum Constantiense Concilium, cuius ipse res Ecclesiæ miseratus, primus apud omnes Christianos potentatus (vti præmisimus) mentionem fecit: Patre interim Stephano, & socio peregrinis eumdem suum Pontificem, vbiq; exulantem, comitantibus. Hic igitur cùm & prædicti Patres suo Pontifici adessent, præscriptũ tertium Priuilegium exoratum fuit. Quòd non temerè dubitaretur, Canonicos extra proprium Monasterium suis Priuilegijs non gaudere, Quo etiam annotabis apertissimam Canonicorum denominationem. Duo autem hæc Priuilegia vacasse crediderim in assecutione Monasterij Ambrosiani, de quo infra. Nisi fortè melius iudicaueris, ex ijs interim priorem Congregationi locum sub primo Priuilegio conseruari pro sua antiquitatis prerogatiua; & propterea infra confirmata à Martino V. eodẽ anno salutis 1410. & Congregationis 3. die 18. eiusdem mensis, & eodem sui Pont. anno.

Priuilegium 4. Gregorij XII. Cap. VIII.

Lectionismum.

GRegorivs suos Canonicos quarto Priuilegio corroborat, quo eis concedit in mortis articulo posse confessorem sibi eligere, qui eos plenariè absoluat: & ex illo tenentur sex ieiunijs, quæ fiunt post Epiphaniam.

Gregorius Epis. ser. seruorum Dei, dilectis filijs Priori, & fratribus, seu Canonicis præsentibus, & futuris Prioratus S. Saluatoris de Sylua Lacus Ordinis S. Augustini Senensis Diœcesis Sal. & Apost. benedictionem. Prouenit ex vestræ deuotionis affectu, quo nos, & Romanam Ecclesiam reueremini: vt petitiones vestras, illas præsertim, quę animarum vestrarum salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est, quòd nos vestris supplicationibus inclinati; vt Confessor, quem quilibet vestrum duxerit eligendum, omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fueritis: semel tantùm in mortis articulo, plenariam remissionem vobis in sinceritate fidei, & vnitate S.R.E. ac obedientia, & deuotione nostra, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium, persistentibus; auctoritate Apostolica concedere valeat: deuotioni vestrę tenore præsentium indulgemus. Sic tamen, quòd ille Confessor de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda: tã vobis per vos, si superuixeritis: vel per alios, si tunc fortè transieritis, faciendam iniungat. Quam vos, vel illi facere teneamini, vt præfertur. Et ne, quòd absit, propter huiusmodi gratiam reddamini procliuiores ad illicita in posterum committenda; volumus, quòd si ex confidentia remis-

remissionis huiusmodi aliqua fortè commiseritis: quo ad illa, prædicta remissio vobis nullatenus suffragetur. Quodq; à tempore, quo nostra præsens concessio ad vestram notitiam peruenerit: ex tunc singulis diebus, quibus ieiunium per Ecclesiam indictum est: & sex alijs diebus, de quibus vobis videbitur, & in quibus ad ieiunandũ voto, vel alias non estis astricti; nisi tunc fortè infirmitate impediti extiteritis, ieiunare annis singulis teneamini: & si volueritis pro huiusmodi ieiunio dictorum sex dierum: centesimam partem omnium reddituum, & obuentuum vestrorum annis singulis in vsus pios, poteritis erogare. Alioquin præsens concessio nullius sit roboris, vel momenti. Nulli ergo hominum, &c. Datum Gaietæ 14. Kal. Octob. Pont. nostri anno 4. Gratis de mandato D. N. Papæ. Io. de Monte Politiano.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

EX Datis tam præcedentium, quàm subsequentium Priuilegiorum apertè cognoscitur error illorum, qui scribunt post Pisanum Concilium, hunc Pontificem apud Ariminensem Principem moram traxisse, vsq; ad publicationem sequentis Concilij Constantiensis. Cùm Ariminum quidem non concesserit, nisi publicato eo concilio: Vt inferius etiam patebit.

Huius quarti Priuilegij gratia non videtur etiam extendi nisi ad Canonicos: ieiunium verò sex dierum commutatum postea fuit per Eugenium 4. & deindè per alios Summos Pont. in septem Psalmos de pœnitentia quinquagies persoluendos. Et Conuersis quoq; ac commissis tum participatur sub certo numero persolutionis Orationis Dominicæ, & Beatæ Mariæ Virginis salutationis.

Conti-

Continuantur tamen etiam nunc eleemosinæ in maiori summa: nec ieiunia ommittuntur. Hoc Priuilegium est primum intitulatum Priori nominatim, & fratribus,&c. Credunt nonnulli Priorem tum nominari ipsum R. P. Stephanum. Alij attendentes ex sententia Gregorij Priorem vnà cum suis Canonicis, quamuis extorres, in suam tamen dignitatem, & possessionem Monasterij Ilicetani titulo tenus perseueràsse:ex hoc,inquiunt,facilis cōiectura est,Canonicos singulis annis Priorem nouum elegisse; seu magis eundem principio electum confirmasse; vt sic volente Pontifice, ibi simul reseruarent primi priuilegij, & sui Monasterij iura: & propterea singulis nouem priuilegijs canonicos eius Monasterij de Sylua Lacus,legimus appellari: duobus verò vltimis sub solo suo titulo absolutè describi S. Saluatoris: cum tandem Pontifex iamiam Pontificatui renunciaturus, ab illius possessione repetenda,animum & ipse reuocasset. Quæ omnia tamen decimo priuilegio manifestius colliguntur. Post duos autem dies videlicet 20. eiusdem mensis, & anni, vt supra; quintum similiter gratis concedit priuilegium. Nota signanter illam clausulam: Et ne(quod absit)propter huiusmodi gratiam reddamini procliuiores ad illicita in posterum committenda. Intendebat vtiq; Sanctus Pontifex nostrã perfectionem,non defectionem. Commutatio autem ieiunij sex dierum in septem psalmos penitentiales per annum, & aliæ gratiæ per sanctissimum Papam Xistum 4. concessæ mediante Reuerendiss. Cardinali Senensi protectore nostræ Congregationis Pont. sui anno 10. 20. Februarij 1480. sic se habent,vt in sequenti exemplo.

Beatissime Pater; Dudum Gregorius in sua obedientia,de qua Senensis Diœcesis tunc existebat 12. nuncupatus; deuotis oratoribus vestris Priori Generali,& Canonicis Regularibus S. Saluatoris Ordinis S. Augustini tunc præsentibus, & futuris, vt confessor,quem quilibet eorũ

ducerer

duceret eligendum, omnium peccatorũ suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuissent, semel tamen in mortis articulo plenariam remissionem eis in sinceritate fidei, & vnitate S. R. E. & obedientia, & deuotione sua: & successorum eius Romanorum Pont. canonicè intrantium, persistentium: auctoritate Apostolica concedere valeret, indulsit: ac voluit, quòd Canonici prædicti vltra ieiunia ab Ecclesia instituta, vel alia, ad quæ ieiunandum astricti voto non existerent: sex alijs diebus annis singulis ieiunare in perpetuum tenerentur; aut omnium redditũum, & prouentuum eorumdem in pios vsus pro huiusmodi ieiunio sex dierum (si vellent) centesimã partem erogare possent: aliàs data gratia nullius esset roboris, vel momenti: prout in litteris desuper confectis, plenius continetur. Vt autem Pater sancte, Oratores prædicti eo promptiores se ad seruitia sui creatoris exhibeant, ac in illis feruentius perseuerare disponant: quo ex beneficio vestræ Sanctitatis, & Apostolicæ sedis spiritualibus donis, & gratijs amplioribus se munitos fore compererint: Supplicant eidem sanctitati vestræ Prior Generalis, & alij Canonici præfati, exponentes, se ob regularem obseruantiam ieiunijs, & alijs abstinētijs satis esse adstrictos: quatenus ipsos Apostolicis fauoribus, & gratijs prosequẽtes: quòd omnes, & singuli eorumdem in Congregatione, & obedientia huiusmodi persistentes præsentes, & futuri, qui per annum vnum integrum semel in Ebdomadã septem psalmos pęnitentiales cum Lytanijs; aut quinquaginta Pater noster, cum totidem Aue Maria integraliter cum deuotione dixerint; prædictis sex diebus nullatenus ieiunare teneantur, sed ab ipso sex dierum ieiunio penitus absoluti existant: Et nihilominus quòd ipsi, & quilibet eorum confessorem eligere; qui eos etiam semel in vita, ab omnibus, & singulis, etiam Apostolicæ Sedi reseruatis casibus, absoluere, & ipsi plenariam remissionem (vt

præ-

præfertur) assequi valeant: eis, & cuilibet eorum perpetuò concedere dignemini de gratia speciali: non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cęterisq; contrarijs quibuscumq;.

Fiat vt petitur. ✠

Et cum absolutione à ieiunio sex dierum, dummodò septem psalmi, aut Pater noster cum Aue Maria dicantur, vt præfertur.

Et de plenaria remissione semel in mortis articulo.

Et quòd possint eligere Confessorem, qui etiam de reseruatis semel absoluat in vita modo præmisso.

Et quòd huiusmodi gratia perpetuò duret.

Et quòd præsentis supplicationis sola signatura sufficiat.

Sanctissimus Alexander VI. commutauit ieiunia sex dierum in quinquaginta pęnitentiales, coniunctim, vel diuisim, vt in sequenti relatione protectoris nostri Reuerendissimi Cardinalis Senensis.

Franciscus miseratione diuina S. Eustachij S. R. E. Diac. Card. Senensis vobis Reuerendo Patri Generali, & Canonicis Regularibus Congregationis S. Saluatoris Ord. S. Aug. dilectis nobis in Christo carissimis.

Tenore præsentium notum vobis facimus, qualiter Sanctiss. Dom. noster D. Alexander diuina prouidentia Papa VI. Vobis vniuersis, & singulis, qui dixerint quinquaginta vicibus septem psalmos pęnitentiales coniunctim, vel diuisim; omnium peccatorum suorum plenariam remissionem in mortis articulo consequantur, viuæ vocis oraculo ad intercessionem nostram gratiosè concessit, atq; indulsit. Non obstantibus indultis vobis aliàs ab Apostolica Sede concessis, & alijs quibuscumq;. In cuius rei fidem, & testimonium pręsentes litteras per Secretarium nostrum subscriptas fieri fecimus: & nostri rotundi sigilli impressione iussimus communiri. Datum

Romæ

Romæ in domibus nostræ solitæ habitationis sub anno à Nat. Dom. 1496. die verò 27. mensis Ianuarij Pont. præfati Sanctissimi D.N. Papæ anno 4.

B. Capacius de mandato.

Priuilegium V. Gregorij XII. Cap. IX.

Laconismum.

HOc Priuilegio præstat Gregorius Priori, & successoribus posse Confessorem sibi eligere, qui eum absoluat ab omnibus peccatis, etiam Ordinario reseruatis.

Gregorius Epis. ser. seruorum Dei; Dilecto filio Priori Congregationis Canonicorum Reg. Prioratus olim Domus S. Saluatoris de Sylua Lacus Romanæ Ecclesiæ immediatè subiectæ Ordinis S. Augustini Senensis Diœcesis Sal. & Apost. benedictionem. Benigno sunt illa vobis concedenda fauore, per quæ sicut piè desiderare videmini tu, & Canonici huiusmodi Congregationis, conscientię pacem, & salutem animarum Deo propitio consequi valeatis. Hinc est, quòd nos deuotis vestris supplicationibus inclinati: tibi, & successoribus tuis, tàm in dicto Prioratu, quàm alibi ex causa degentibus (iuxta tamen vobis concessa regularia instituta viuentibus) vt idoneum, & discretum Sacerdotē in vestrum possitis, & quilibet possit eligere confessorem, qui quotiès vobis fuerit opportunum, confessionibus vestris diligenter auditis pro commissis etiam in casibus à iure quorumcumq; locorum, in quibus vos degere contigerit, Ordinarijs reseruatis, debitam vobis absolutionem impendat, & iniungat pęnitentiam salutarem. Ac, quod tu Prior, & alij pro tempore existentes Canonicorum huius-

huiusmodi tàm præsentium, quàm futurorum, vbiq; degentium, vt præfertur, confeſsiones per vos, vel alios diligenter audire, eis abſolutionem impendere, etiam in caſibus ſupradictis, & pęnitentiam ſalutarem iniungere valeatis (niſi talia forent, propter quæ Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda) auctoritate prædicta in perpetuum tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo hominum, &c. Dat. Gaietæ 12. Kal. Octob. Pont. noſtri anno 4. Gratis de mandato D.N. Papæ H. de Symea.

Annotatio in errorem.

VERBA illa (olim domus S. Saluatoris) facerent ex ea dictione, olim, vt facilè crederem, Canonicos poſt gratiam pręmiſſorum duorum priuilegiorum, iuribus ceſſiſſe Monaſterij de Sylna Lacus: niſi ea, quę inferius paulò notantur, cum dicitur; tibi, & ſucceſſoribus tuis tam in dicto Prioratu, quàm alibi ex cauſa degentibus: me omninò abhac opinione reuocarent. Reuocant quoq; hanc opinionem nonum, ac decimum priuilegium; quibus cũ abſit illud verbum, olim, hic & duobus ſequentibus mox priuilegijs, ſequens potius verbum, Domus, quam præcedēs reſpiciat. Quo intelligas Prioratus, qui olim fuit Domus, ſeu ſimplex Oratorium: vel melius, Prioratus diſtinctionem intellige: vt qui olim fuerat Prioratus Domus apud Mendicantes: modò ſit Prioratus Congregationis Canonicorum Reg. apud eoſdem Regulares. Cùm ea dignitas Prioratus non Monaſteriorum, ſed Domorum in Mendicantibus ſemper dicta ſit ad differentiam aliorum Regularium. Quod noſtrum argumentum magis corroboratur ex clauſula ſecundi priuilegij ſub his verbis: Dicta Domus, quæ hactenus Ordinis fratrum Eremitarum: &

eandem

eandem domum ereximus in Prioratum conuentualem. Ex quo attende singulis priuilegijs Canonicos, quamuis extorres, vis suum, & quasi possessionem continuasse dicti Monasterij; etiam post acceptam infra possessionem Monasterij Ambriosiani: cum Gregorius, vti bonus Pater speraret eos aliquando in eundem locum reducere, vbi eos creauerat; ipsis tamen id minus cogitantibus, vt infra patebit. Nec illud conuiuentibus veluti oculis pertransseundum iudicamus: nequis ex Canonicis libenter deciperetur circa intellectum huiusmodi priuilegij, liberiorē sibi Confessionum facultatem, quàm suæmet constitutiones præstent, hinc aucupantes. Quę quidem interpratatio adeò veritati aduersatur, & hæc sua ratio, nisi hoc fuerit priuilegium, magis quæat defendi: nam sensus priuilegij est, vt Priores pro tempore possint eligere Confessorem, qui eos absoluat etiam à casibus ordinariorum: & ijdem quoq; Priores per se, vel per alios possint suos Canonicos absoluere à casibus eisdem.

Priuilegium 6. Gregorij XII. Cap. X.

Laconismum.

ANNO Saluatoris 1411. qui Pontificatus Gregorij erat quintus: Congregationis autem quartus; die 13. Ianuarij Gregorius sextum priuilegium gratanter suæ Congregationi contulit: in quo Prælatus absoluit subditos à sententia cuiuscumq; excommunicationis, & dispensat super irregularitatibus.

Gregorius Epis. ser. ser. Dei ad perpetuam rei memoriam. Deuotionis dilecti filij Prioris Congregationis Canonicorum Reg. Prioratus olim Domus S. Saluatoris de

Sylua

Sylua Lacus Romanæ Ecclesiæ immediatè subiectæ: Ordinis S. Augustini Senensis Dœcesis. Sinceritas, quam ad nos,& Romanam Ecclesiam gerere comprobatur, exposcit, vt petitionibus suis, illis præsertim, quæ animarum personarum suæ curæ commissarum salutem concernunt: quantum cum Deo possumus fauorabiliter annuamus. Ipsius itaq; Prioris in hac parte supplicationibus inclinati: sibi,& Priori Congregationis prædictæ, qui pro tempore fuerit: vt quoscumq; Ordinem prædictum ingredi volentes: si occasione instantis dolorosi, & prophanati schismatis, vel cuiuscumq; adhæsionis, aut alias excommunicationis sententiam à iure, vel ab homine generaliter promulgatam incurrerit: & postquam dictum Ordinem ingressi,& professi fuerint,& se talibus sententijs innodatos meminerint: aut Canonicos, & Conuersos, ac oblatos Congregationis, seu Ordinis prædictorum præsentes, & futuros, forsam huiusmodi sententijs aliquo casu innodari contigerit, adictis sententijs in forma Ecclesiæ consueta absoluendi: iniunctis inde eis pro modo culpæ, pęnitentia salutari, ac alijs, quæ de iure fuerint iniungenda. Et cum eisdem super irregularitatibus, si quas celebrã do diuina, aut immissendo se illis præmissorum occasione contraxerint: etiam si sic ligati, sacros ordines receperint: ipsis prius ad tempus, de quo eidem Priori videbitur, à suorum ordinum executione suspensis: vt in eisdem ordinibus sic susceptis ministrare valeant. Constitutionibus Apostolicis, & dicti ordinis: ac alijs contrarijs nequaquam obstantibus; auctoritate Apostolica dispensandi, plenam,& liberam concedimus, tenore præsentiũ, potestatẽ. Nulli ergo hominũ,&c. Dat. Gaietæ Idibus Ian. Pont. nostri anno 5. Gratis de mandato D.N. Papæ H. de Symea.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

ATTENDE deuotionem Pontificis erga P. Stephanum Priorem, in illis verbis (Dilecti filij Prioris). Priori enim afficiebatur mirum in modum, vt supra ostensum est. Attende præthereà hanc priuilegij gratiam non posse à Prælato alijs impartiri: vti potest in alijs casibus superioris priuilegij; cum solus hic absoluit ad dispensandum. Obserua etiam accuratiùs his tribus priuilegijs Cõgregationem Canonicorum Reg. principiò simpliciter appellari. Cui congruunt etiam verba sequentia paulò superioris: Canonicorum huiusmodi tàm præsentium, quàm futurorum, vbiq; degentium: & in præsenti; Canonicos, Conuersos, & oblatos Congregationis, seu ordinis prædictorum: vt certo intelligantur hæc fundamenta pro noua Congregatione Canonicorum locari sub ea sola spe Pontificis, quod veluti noua plantula, quoquo versus palmites suos protensura foret. Quæ sententia ex illius mente habetur seriatim in sequentibus. Congregationes autem modernas, quæ nominantur sub certo Ordine, nondum manasse supra attigimus; ita quòd ausim affirmare, hanc ex ijs priuilegijs, & nomen, & locum inter eas primum vendicasse. Nec te moueat, quòd Constitutiones huius temporis pro vnico tantùm Monasterio editæ videãtur; cum in illis seruetur auctoritas eas ampliandi: locum siquidem habituræ in futuro progressu, de quo infra.

Priui-

Priuilegium 7. Gregorij XII. Cap. XI.

Laconismum.

PRAESTAT hoc priuilegium omnibus solemniter dictam Congregationem profitentibus posse eo tempore consequi plenariam absolutionem in professione sub sequentibus verbis.

Greg. Epis. ser. ser. Dei, Dilectis filijs Stephano Priori Congregationis Canonicorum Reg. Prioratus olim Domus S. Saluatoris de Sylua Lacus, Romanæ Ecclesiæ immediatè subiectæ, Ord. S. Augustini Senensis Diœcesis, & eidem Congregationi Sal. & Ap. ben. Eximiæ deuotionis affectus, quem ad nos, & Romanam Ecclesiam geritis, promeretur, vt petitiones vestras illas præsertim, quæ animarum salutem respiciunt; quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus, Hinc est, quòd nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati; vt omnes Canonici, & Conuersi, ac oblati præsentes, & futuri, de cætero in Ordine, & societate vestris assumpti, & quilibet eorum aliquem idoneum confessorem, de licentia tui (fili Prior) vel Prioris pro tempore existentis, eligere valeant, ac valeat: Qui eis in sinceritate fidei, vnitate eiusdem Ecclesiæ, ac obedientia, & deuotione nostra, vel successorum nostrorum Rom. Pont. canonicè intrantium, persistentibus, plenam remissionem omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, in professione, quam post annum probationis inter eos fecerint dumtaxat, auctoritate Apostolica concedere valeat, deuotioni vestræ tenore præsentium indulgemus sic tamen, quòd idem Confessor de his, de quibus fuerit alicui

satisfactio imponenda, eam Canonicis, & Conuersis, ac oblatis prędictis, per eos, si superuixerint, vel per alios, si tunc fortè transierint, faciendam iniungat. Quam supradicti Canonici, Conuersi, & oblati, siue alij, vt præfertur, facere teneantur. Nulli ergò omninò hominum, &c. Datum Gaietæ Idib. Ianuarij Pont. nostri anno 5. Gratis; de mandato D. N. Papę. Hermanus de Symea. Originale est Ferrariæ apud nos.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

HOc Priuilegio sola hæc ipsa Congregatio tam specificè diu (ni fallor) insignita fuit: Cum alia passim omnia diuersa diuersis, diuersoq; tempore elargita sint. R.P. Augustinus Gandinus Mantuanus Concanonicus noster omnium penè Religiosorum priuilegia vetera, & noua diligentissimè perscrutatus: vt Iulij 2. Pontificis gratuito munere, vnum ex omnibus tàm exteris, quàm nostratibus, sub eius nomine nobis per abbreuiatores formaretur: nusquam sibi huiusmodi exempli alterum occurrisse testatur. Quod tamen siue casum, siue eodem Saluatoris consilio, quo duos præclarissimos Pontifices, primo, & centesimo Congregationis suæ anno, de ea insigni beneficio amantissimè promeritos, præsidere voluit: ne in recentioris perpetua memoria antiquioris penitus sepulta iaceret. Cum enim mihi (inquit ille) reliquorum priuilegiorum exemplaria nostra. ex Patrum mandato in Vrbem delata essent, hoc vnum omninò latuit, quo eiusmodi gratiæ fidem morsoso quidem nimis Francisco Parmensi abbreuiatori facere non potui, quo cæteris insereretur. Verum enimuerò id ipsum mihi deinde minus displicuit: quod intelligerem alios plerosq; Religiosos huiusmodi

nostri

nostri Iuliani specie pellectos, exemplar idem sibi accommodatum, & precibus, & muneribus complurimis obtinuisse. Qui cum reliquis nostris ex eo in præsentiarum gaudeant: hoc vnicum quidem Gregorij, quod latuerit, solis Canonicis S. Saluatoris reseruatum videtur: Quo sanctiones ipsorum, vbi præsertim de hac professione cauetur eius Pontificis, ac P. Stephani, cui nominatim dedicatum fuit, perpetuis duobus nominum titulis necessariò decorantur.

Quibus quippe auctoribus hæc tum iacta sunt fundamenta, quibus ipsa Congregatio consistit. Attende de licentia Prælati Confessorem hic deligi: quo paulò superioris priuilegij nostra sententia clarior elucescat: vbi enim fuerat eligendi gratia concedenda liberior, quàm hic? Vide etiam an profitentibus ante annum gratia hæc extendatur. simulq; obserua oblatos quoq; profiteri posse, quibus idem priuilegium militat: ne de modernis commissis iam dubites: sed aduerte an in huiusmodi oblatis, seu commissis, aut Conuersis professio censeatur votum solemne, an simplex: & an eos ita arctet, vt Clericos, qui in habitu approbato profitentur.

Priuilegium 8. Gregorij XII. Cap. XII.

Laconismum.

ANNO Saluatoris 1412. Pót. Gregorij Sexto; Congregationis autem quinto sanctiss. Pontifex præfatę Congregationi octauum priuilegium in eodem loco gratis concessit; quo possent recipere decem ex quacumq; Religione personas, ad habitum Congregationis; & hoc malignitate schismatum durante, sub his verbis.

Greg. Epis. ser. ser. Dei Priori, & Canonicis Reg. olim Domus S. Saluatoris de Sylua Lacus Romanæ Ecclesiæ immediatè subiectæ Ordinis S. Aug. Senensis Diœcesis Sal. & Ap. Ben. Sinceræ, & magnę deuotionis affectus, vitæq; & conuersationis puritas, nec non Religionis zelus, fidei constantia, & morum honestas, quibus apud nos, & Sedem Apostolicam multipliciter dignoscimini comprobati: meritò nos inducunt, vt votis vestris illis præsertim, quæ religionis vestrę, & diuini cultus augumentum respiciunt: quantum cum Deo possumus, fauorabiliter annuamus. Hinc est, quòd nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, attendentes debita consideratione malignitatem schismatum nunc vigentium: deuotioni vestræ, vt decem personas religiosas cuiuscumq; Ordinis, quisq; ipsarum existat, desiderantes vobiscum viuere sub B. Augustini obseruantia regulari, in qua estis: quas maior pars ex vobis duxerit acceptandas, recipere posit; ipsosq; doctrina verbi diuini, ac huiusmodi obseruantia salubriter informare: nec non personis ipsis, vt sic vna vobiscum pro eorum quiete, & animarum salute Altissimo famulantes, communem vitam cum eadem disciplina, tanquam Nouitij vestri, ducere liberè, & licitè valeant. Constitutionibus Apostolicis, & locorum, ac Ordinum quorumcumq; & alijs quibuscumq; contrarijs non obstantibus: auctoritate Apostolica licentiam, durante schismate tantùm, concedimus per præsentes. Volumus autem, quòd dictę personę ex quantacumq; mora non intelligantur emittere tacitam professionem: Et si ipsæ, vel aliqua ex eis obseruantia dictæ regulæ inflammante, ipsam expresse deliberauerit profite ri; antequam profes sionem emittant: vos, aut successores nostros canonicè intrantes, consulere super hoc debeatis. Nulli ergo hominum, &c. Dat. Gaietæ 8. Kal. Feb. Pont. nostri anno 6. Gratis de mandato D.N. Papæ.

Henricus. L.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

HOc priuilegium R. P. Stephanus Fabrianum ad suos Concanonicos reuisendos, atq; consolandos reuersus, secum cum alijs quatuor ibidem obtentis, mense Iulij eius anni detulit. Vbi postea die 3. seq. Augusti, pro declaratione, & alleuiatione suæ conscientiæ, volens ipse Pater rationem reddere de administratione, quam habuit ante habitus mutationem per multos annos bonorum ipsius Monasterij S. Saluatoris, & Communitatis de Sylua Lacus, seu de Liceto, sibi optima fide commendata in quadam papirea scheda, scripta Fabriani anno, & die suppositis, quæ Florentiæ seruabatur, manu Frat. Ioannis Antonij Guidi Seruanij præfati nominatur simpliciter frat. Stephanus Ioannis; frat. Regulinus Angelini Philippi; frat. Dominicus Gioni Dugi; & frat. Franciscus Nanni Serutij, de quo nulla de cętero amplius inter viuos habetur memoria; omnes Senenses, & fratres S. Saluatoris Ordinis Can. Reg. S. Augustini, vt supra. In eadem scheda fit mentio frat. Petri Pauli Senensis Prędicatorij Ordinis, ac Theologi celeberrimi, qui exulantem Patrem iam prosequebatur, vt in proximo Canonicum habitum assumeret: & alterius frat. Bartholi Andreæ de Cascia Ordinis Eremitarum: pro quibus vltimis fortè duobus octauũ hoc priuilegium fuerat exoratum: licet de vltimo amplius nulla mentio reperiatur. Præfata scheda manu propria R. Patris fuit scripta, in qua simpliciter nominatur frat. Stephanus Ioannis de Senis, frater S. Saluatoris Ordinis Canonicorum Reg. S. Augustini; & fatetur se à multis annis citra vsq; ad habitus mutationem fuisse Procuratorem pręfati Monasterij, & Communitatis de Sylua

Lacus, aut de Liceto Ordinis Eremitarum, vna cum quodam frat. Ambrosio Honophrij, existente per idem tempus Priore dicti Conuentus frat. Philippo Leonardi *della Gazata* de Senis, &c. cui schedæ cæteri Patres omnes proprijs manibus subscripsere.

Anno Saluatoris 1414. ab origine verò Congregationis septimo, indicto iam operis, & persuasionibus Gregorij XII. constantiensi Concilio, eoq; vocatis simul tribus Pontificibus, quorum scissura Petri Cymbilla penitus obruebatur: licentiatusq; ipse Gregorius à Ladislao Rege Apuliæ, atq; discedens à Caieta, Ariminum ad Carolum Malatestam concedebat, vt illum, cui plurimum confidebat, Procuratorem suum ad Concilium destinaret, cum plena potestate suo nomine cedendi Pontificatui, quo pax tandem Ecclesiæ redderetur. Eo in itinere, cum apud Costacciarium, quod oppidum ditionis Igubinæ Ciuitatis est, hospitio eum Guido Antonius Comes Vrbinas, Eugubijq; Dominus pro Sancta Romana Ecclesia Vicarius occurrens suscepisset, vt in reliquum etiam itineris Ariminum vsq; eidem officium tituli sui per suos fines obsequiosius exhiberet: contigit ibidem Patrem quoq; Stephanum vna cum Pontifice adesse, cuius venerabilem faciem contemplatus Religiosus Comes, simulq; silentio obseruans grauissimos mores, quibus tam familiariter deuoto Pontifici assueuerat, oblectatusq; admodum eo nouo Canonico habitu, quem prius non viderat; à Gregorio Religionem Patris, & sociorum, ac eorumdem profugij sortem, quam sub fide, & eius deuotione constantissimè tolerabant, non paucis didicit. Quem Comes bono esse animo iubens, vocatum Patrem venerabiliter complexus est; & multis verbis eum consolatus, optimam citissimæ quietis spem ei tribuit: statimq; illi occurrit S. Ambrosij locellum in monte S. Iacobi super Burgũ faucis propè Eugubinos muros situs: cuius vltimus Prior frat.

Ioannes Reccholi Eugubinus, qui iam senio confectus, sui olim Ambrosiani Collegij solus remanserat; sæpius præfato Comiti votum de suo eodem reformando loco communicauerat; sermoneq; facto apud eos pro dicto Monasterio S. Ambrosij Eugubini, quod in nouam Canonicam sub suo, & successorum perpetuo patrocinio erigere iam meditabatur. Dum super hoc mentis aciem Comes dirigit, rei deliberationem citissimam accelerauit ipsi Comiti denota per noctem sequentem facta visio. Sequentem itaq; noctem, cum pro maiori parte insomnem duxisset: somno tandem ita fuit arreptus, vt nec vigilans apertè, nec dormiens integrè, videret apertis oculis B. Ambrosium Episcopali infula amictum, cuius vultum in ipso locello antiquissima visa pictura eum docebat, rutilante facie sibi arridentem, & dicentem: Hunc nouum Canonicum Ordinem in titulo mei nominis quamcitius, & absq; omni dilatione subintroducere ne tardes, neq; pertimescas: in proximo enim ex hac candidata propagina multi per vniuersam Italiam niuei, fertilissimiq; diffundentur palmites. His dictis, visio elapsa est. Vigilans autem, & stupens deuotissimus Comes, statim summo mane Sancto Pontifici quæ viderat, reuelare contendit, & summo repleti gaudio Priorem Ambrosianum præfatum accersiri procurant. Qui cum sequenti die venisset, audita B. Pontificis paterna exhortatione, ouanter illicò, & libentissimè assensum non negauit; sed sese, suumq; Prioratum in Pontificis, & Comitis manus, illis nouæ Congregationis primarijs Patribus conferendum, in reliquum vitæ suæ (quod tamen admodum breue fuit) vltrò promisit, & resignauit. Quibus ita gestis, & omnibus pro re sua lætis effectis; Pontifex Comite, & fratri Stephano associatus, cœpto itinere Ariminum profecti sunt. Quo in loco die 23. eiusdem mensis anni similiter 1414. & Pontificatus sui 8. nonum priuilegium eis præstitit sub sequentibus verbis.

Prini-

Priuilegium 9. Gregorij XII. Cap. XIII.

Laconismum.

NONO Priuilegio gratiosissimè concesso Pontifex præstat dictis Canonicis Monasterium S. Ambrosij propè Ciuitatem Igubinam: illudq; decernit perpetuò per eos gubernari: erigitq; in Canonicam regularem, eximens ab omni alterius superioritate, ac dominio: nec non à censu, qui persoluebatur Episcopo.

Greg. Epis. ser. ser. Dei, ad futuram rei memoriam. Fragrantia sacræ Religionis, quæ apud Dilectos filios Priorem, & Canonicos Prioratus S. Saluatoris de Sylua Lacus Or. S. Aug. Canonicorum Reg. fratrum nuncupatorum, Senensis Diœcesis, ad nos, & Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, à nobis salubris suscepit institutionis initia: fauorabiliter apud Sedem Apostolicam interpellat, vt Prior, & Canonici Prioratus memorati, fratres nuncupati, insigni honoris dono per Sedem Apostolicam decorentur; & gaudeant prærogatiua fauoris, & Priuilegij singularis.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

ATTENDE Priorem, & Canonicos nominari hoc priuilegio Prioratus S. Saluatoris, absq; illa dictione; olim domus; consueta in præteritis priuilegijs. Attende similiter quantum importent verba illa; A nobis salubris suscepit institutionis initia; contra insimulantes Grego-

cium

rium prefatum Pontificem non fuisse institutorem, sed Stephanum. Attende & alia verba; fratres nuncupati; fratrum nuncupatorum; quasi dicat; Qui vltra quod sunt Canonici Regulares; etiam sunt fratres per Congregationem, quam primi ex nostra institutione faciunt.

Sequitur Tenor Priuilegij.

HINC est, quod deducto ad notitiam nostrã nuper; quòd quidam dudum tunc Episcopus Eugubinus Eremitorium, siue Domũ S. Ambrosij, situm in monte supra burgũ faucis extra muros Eugubinos in Prioratum erexit; & nonnullos Eremitas nullius tunc Ordinis existentes, qui in huiusmodi Eremitorio famulatum Altissimo exibebant, certum habitum regularem induit: & voluit, quòd ipsi Eremitæ ex tunc fratres S. Ambrosij vocarentur: & S. Augustini regulam obseruarent, & degerent sub eadem: quiq; Prioratus ipse per Priorem à fratribus huiusmodi eligendum, & per Episcopum Eugubinum existentem pro tempore confirmandum perpetuis futuris temporibus regeretur; ac etiam quod idem Prior, & fratres vnam libram ceræ in signum subiectionis, & recognitionis, superioritatis, & Dominij eidem Episcopo tradere annis singulis; nec non Decimas, & alias impositiones, & onera, prout sæculares Clerici soluunt, soluere, & supportare in perpetuum tenerentur: & quod à nonnullis erectionem huiusmodi per dictum Episcopum (vt præmittitur) factam iuribus non subsistere dubitabatur; & nihilominus, quod nullus nisi dilectus filius Ioãnes Prior Prioratus eiusdem, qui amodò senex est, & cum dictis Priore, & Canonicis fratribus nuncupatis, qui (vt præmittitur) à nobis regularis Ordinis, & habitus sumpsere

pri-

primordia, residuum cupit ducere vitæ suæ in prædicto remanserit Prioratu.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

MErito dubitabatur de huiusmodi erectione per Episcopum; quia absq; auctoritate Sedis Apostolicæ Episcopus erigere non poterat: vt cap. fin. de relig. dom. §. dispositione præterea. Pondera item Canonicis fratribus, & à nobis regularis Ordinis, & habitus sumpsere primordia: Attende etiam paulò inferius titulum S. Saluatoris absolutum: & mox: qui Rochetum albū de pāno lineo.

Sequitur Tenor Priuilegij.

NOs motu proprio, non ad ipsorum Prioris, & Canonicorum fratrum nuncupatorum, vel alterius pro eis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed de nostra mera liberalitate volentes circa prædicta salubrius prouidere: Eremitorium, siue Domum huiusmodi in Prioratum S. Ambrosij, vt præfertur, erectum cum omnibus, & singulis pertinentijs, iuribus, & iurisdictionibus suis eidem Priori, & Canonicis fratribus nuncupatis S. Saluatoris Apostolica auctoritate concedimus, & assignamus: ac habitum, & Ordinem, siue obseruantiam per dictum Episcopum, vt præmittitur, dictis Eremitis, siue fratribus S. Ambrosij concessos (si qui sint) eadem auctoritate extinguimus, & supprimimus in eodem: Ipsumq; Eremitorium, siue domum, vel Prioratum in Prioratum Conuentualem huiusmodi Canonicorum Regularium fratrum

patrum nuncupatorum S. Saluatoris erigimus: & volumus, quòd per Priorem, & Canonicos fratres huiusmodi nuncupatos, qui Rochetum album de panno lineo sub scapulari, & cappa superius grisei coloris lanæ mordentis ad instar capparũ Cõuersorũ Cartusiẽsis Ordinis, iuxta ordinationem nostrã alias eis datã, deferant, eligendũ; Diœcesani loci, vel eius in spiritualibus Vicario pręsentandũ, perpetuis futuris temporibus gubernetur. Et insuper, vt dicti Prior, & Canonici fratres nuncupati ab omni inquietudine sint securi; nullisq; obstaculis valeant impugnari; volumus, & auctoritate præfata concedimus, & decernimus per præsentes: quòd Prior huiusmodi sic electus, ac eidem Episcopo, vel Vicario pręsentatus, intelligatur esse, & sit eo ipso per Sedem Apostolicam confirmatus: ac curam, regimen, gubernationem, & administrationem Prioratus eiusdem, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus gerere, & exercere liberè, & licitè valeat: ac si per eiusdem Sedis litteras fuisset ritè, & legittimè confirmatus. Præter eà cupientes, vt idem Prior, & Canonici fratres nuncupati eo deuotius Altissimo in humilitatis spiritu famulentur; quo per Sedem ipsam amplioris fauoris præsidio senserint se munitos: Prioratum huiusmodi Cõuentualem per nos, vt præfertur, erectum: nec non Priorem, & Canonicos pręd ictos fratres nuncupatos, præsentes, & qui pro tempore fuerint, cum ipsorum Conuersis, & personis eis ministrantibus, siue seruientibus pręsentibus, & futuris: ac omnibus, & singulis pertinẽtijs, iuribus, & iurisdictionibus supradictis, bonis mobilibus, & immobilibus ad præfatum Prioratum quomodolibet pertinentibus; quæ, vt præfertur, possident, & dante Domino Prior, & Canonici fratres nuncupati huiusmodi in futurum largitione Regum, ac Principum oblatione, seu alias pia concessione, seu erogatione fidelium, vel alijs iustis titulis poterunt adipisci; ab omni prædicti Episcopi,

copi,& eius Capituli, & quorumlibet aliorum superiorũ Secularium, & Regularium, atq; iudicum quorumcumq; superioritate, Dominio, ac iurisdictione: nec non ad supradictam solutionem vnius libræ, ceræ: ac præstatione, & solutione, seu supportatione Decimarũ, impositionũ, & onerum prędictorum eximimus, & penitus, ac protinus liberamus: & sub protectione B. Petri, & Sedis Apostolicæ, atq; nostra imediatè suscipimus, & eisdem B. Petro, & Sedi, nobisq; prorsus, & omninò subijcimus, ac submittimus: ita quòd Episcopus, Capitulum, superiores, & huiusmodi Iudices, seu alia quæuis persona, quacumq; præfulgeat dignitate Ecclesiastica, vel Mundana, nullam in Prioratum, aut Priorem, seu Canonicos fratres nuncupatos, Conuersos, & personas huiusmodi tãquam prorsus liberos, & exemptos excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut alias sententias promulgare, siue aliquam iurisdictionem exercere valeant ordinariam, seu etiam delegatam, & nihilominus prædictis Priori, & Canonicis fratribus nuncupatis, ac Conuersis, & personis huiusmodi in eodem Prioratu degentibus præsentibus, & futuris: quod ipsi omnibus priuilegijs, indulgentijs, & gratijs eidẽ ordini Canonicorum Reg. ab Apostolica Sede concessis, quibus alij Canonici Reg. seu ipsorum loca vbilibet constituta, potiuntur, & gaudent: liberè, & licitè vti, & gaudere possint: fę. re. Innocentij Papæ 4. prædecessoris nostri circa exemptos, quæ incipit. Volentes, &c. & alijs Cõstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus dicti Ordinis, & alijs contrarijs quibuscumq; non obstantibus: de amplioris dono gratiæ concedentes: Nos enim excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & alias sententias, & pęnas, ac processus, quos, & quas contra Priorem, Canonicos, fratres nuncupatos, Conuersos, & personas, ac Prioratum huiusmodi contra præsentium tenorem ferri, seu fieri, vel promulgari conti

gerit,

gerit, irritos decernimus, & inanes; ac nullius volumus existere roboris, vel momenti. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, exemptionis, liberationis, susceptionis, subiectionis, submissionis, & Constitutionis, infringere; vel ei, &c. Datum Arimini 9. Kal. Octob. Pont. nostri anno 8. Gratis de mandato D.N. Papæ. Io. de Monte Politiano.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

AVTENTICVM est Eugubij: & ad præteritorũ fidem corroborandam extat priuilegium eiusdem Gregorij in Archiuio Communitatis Eugubinę cum bullo plumbeo, & filis sericeis, directum Communitati Eugubinæ, & Nobili viro Guido Antonio Comiti Montis Feretri, ac pro S.R.E. Vicario. Registratum gratis: subscriptũ manu. A. de Campo regali, quo ipse Gregorius reducit quasdam Ecclesias, & Ecclesiastica beneficia sub iuribus ipsius Eugubinæ Communitatis; quòd sanè priuilegium datum fuit Gaietæ 6. Kal. Augusti sub eodem anno quinto Pontificatus sui; ad confirmandum, inquam, Gregoriũ fuisse prius Gaietæ, & non Arimini, vt quidam voluere, supraq; dictum est. Nota etiam ex hoc priuilegio, vbi dicit; Alij Canonici Reg. vt quo ad Ordinem nullam differentiam scias inter hos in Congregatione scilicet vnitos, & alios, qui singulis proprijsq; Monasterijs more antiquo viuebant: differebant tamen antiquitus in priuilegijs, sicut, & Monachi: quia diuersa Monasteria diuersis penè indultis gaudebant: cum non essent in Congregationibus vnita, sed separata sub Prælatis perpetuis. Inter alia priuilegia Gregorij hoc etiam connumerandum duximus: cum vltra erectionem eius Monasterij Ambrosiani multa com-

complexus sit; quæ priuilegij naturam, & vires sapiunt. Sed vide quàm sibi propè blandiatur pientissimus Pontifex pro suis Canonicis, quos semel, & iterum eodem priuilegio innuit à se, veluti primo auctore, institutionis, & regularis Ordinis, & habitus primordia suscepisse. Pondera item superioribus quatuor priuilegijs absolutam appellationem Canonicorum; & in præsenti Canonicos, fratres nuncupatos; vt intelligas super erogatoriam fuisse Calixti 3. declarationem circa hoc Canonicorum nomẽ, ex præsentis maximè priuilegij pulcherima vbiq; connotatione. Nuncupati autem fratres dicti sunt, ad differentiam aliorum Canonicorum sęcularium, seu non claustralium: quod superius etiam attigimus.

De situ, auctore, & origine Monasterij Ambrosiani extra Eugubium. Cap. XIV.

HIc locus admonere videtur, vt de situ, Auctore, & Origine Monasterij Ambrosiani pauca breuibus perstringamus. Montem igitur S. Iacobi, quẽ Conuallis Camignanum à Fluuio eius nominis qui præterfluit inde, appellata, dirimit ab eo monte, in cuius appendicibus sita est Ciuitas Eugubina: religiosos homines diuersis locis dudum habitasse, pleraque delubra peruetusta, quæ adhuc ex ruinis conspiciuntur, facile manifestãt; est enim mons ille ea parte, qua sinistrorsum super fluuium iminet ciuitati, contra planitiem, quę ei, & Vrbi læta satis percommodè subijcitur ad habitandum pro huiusmodi genere hominum, vitam solitariam actitantium circa medium satis idoneus. Cacumen eius horridum penitus, & incultum, quod propterea caluum ab incolis appellatur. Ad eam ergo montis partem mediam, quę ad solis ortum

ortum in meridie vergit: ſolida quędam ſaxa, quę partim ſuaptè natura, partim humano artificio, tàm pro habitatione, quàm pro aquarum conſeruatione introrſus cauata paſſim debiteſcunt; eiuſmodi homines eo magis allicere videntur; quod & syluæ, & ſolum hortis haud difficile (quæ duo in primis ab ijs quæruntur, quibus animum, & corpus exercere ſolent) non procul diſtent. Inde quoq; Eugubini in præſentiarum perennis aquæ fontem in Ciuitatem deriuant: qui paulò infra à radicibus Calui contra ſolis ortum ſcaturiens, ad omnes eas Eremitarum ſpeluncas riuo facile decliui deduci potuit, nomē ipſum monti indidit D. Iacobi templum, quod edituæ Moniales iuncto ei Monaſterio ſub id temporis incolebant: eæ deindè ab Eugubinis intra Ciuitatem apud S. Lucam deductæ; deſtitutum Monaſterium cum Templo inter reliquas montis ruinas referri paſſę ſunt. Alijs quoq; nominibus montem eumdem appellari inter antiqua documenta repperi. Et poſtremò etiam S. Ambroſij, iuxta eius diuerſorum locorum, ſeu poſſeſſorū diuerſa nomina. Inter alios itaq;, qui hunc Montem coluere, ſolitarios homines, frat. Ceccarellus nominatus eſt Leonardi Eugubini filius: cui cum Pater libras trecentas Rauennatenſes teſtamento legaſſet ſub annum Saluatoris 1324. non contentus eo legato, ſeptimo anno poſt, Patre de viuis ſublato, nouam inijt cōuentionem cum Ioane fratre pro rata ſucceſsione paterna: quibus demum bonis fretus, cum ſui iam ſolitarij inſtituti peniteret: pro formando nouo Collegio animum adiecit, eiuſdem voti ſocio adhibito fratre Paulo Platanzia, qui eamdem quoq; vitam Eremiticam hactenus duxerat. Decreto igitur Petri Epiſcopi Eugubini degere exorant ſub obſeruatione clauſtralis diſciplinæ: regula D. Patris Auguſtini ac ſcapulari griſei coloris pro habitu (quem dicunt) donati: impetratumq; eſt orare poſſe in loco montis filiorum Vgonis apud Ciuitatē, qui ſituatur

intra possessionem Domini Manni; Domini Barutij; & Domini Balioni olim D. Baroni, palamq;, & claui rem diuinam facere; campanas erigere, & pulsare; iuribusq; Collegij omnibus impertitis, Prioré creare; fratres alios secum admittere, ac in communione viuentes contingentia Monasterij in Capitulo pertractare. Prior, qui communi Collegio delectus foret, confirmaretur ab Episcopo Eugubino, duraturus quinquennium. Sacerdotent qui forent, confitentium peccata audirent, & absoluerent, ac sepulturam pro ibidem degentibus haberent liberam. Potestate facta etiam, victum hostiatim emendicandi. Dedicatur locus sub D. Ambrosio, qui tamen possit nouo ędificio erigi, ampliariq; eorumdem arbitrio: statutaq; est vltimo loco perpetua pensio vnius libræ ceræ nouæ quolibet annuo fæsto Augusto Almæ Virginis persoluenda Episcopo. Decretum constat vndecima die Nouembris sub Pontificatu Ioannis 22. eodem anno 1331. sub diem verò 14. in sequentis mensis frat. Ceccarellus primus Prior ab Episcopo assumptus est, duorum in eo compromisso. Anno autem 1342. frat. Angelus Ioannis, frat. Vannes Petri, frat. Benedictus Venituli vna cum præmissis duobus antiquioribus professi sunt inter manus Episcopi, moxq; omnium communi scrutinio idem frat. Ceccarellus Prior secundò deligitur, confirmante Episcopo. Eligitur autem exacto mox secundo Lustro, quo alterum præfuisse necesse fuit, qui ei primùm Priori successisset pro superioris priuilegij tenore; cum vltra quinquennium ea dignitas non protenderetur. Leguntur hæc sub eodem instrumento 24. Iulij. Eodem anno 21. Nouembris idem Episcopus ex altero Decreto (prioris tamen nulla mentione facta) erigit Oratorium fabricatum opera præmissorum fratrum in Ecclesiam Collegiatam, quam de nouo exædificari iussit, primum lapidem benedicens, signansq; locandum in fundamentis: omniaq; hoc præsenti indulto

iterat,

iterat, quæ superiore decernuntur. Biennalem tamē Priorem fore circumscripsit, nisi idem deinceps fratrum communi voto confirmaretur; & apud scapularem adiecit superiorem tunicam, & cappam eiusdē coloris. Cauet idē, ne excedant numerum senarium: & nunquam Canonici denominentur; nihilq; pro quæritando victu innuens, dotem Ecclesiæ describit nonnulla bona, quæ vndecim capitibus inter suos fines præscripsit (bona tamen quæsita ipsi Ecclesiæ opera, & liberalitate ipsius Patris Ceccarelli) ne fortè largiore munificentia Episcopi decipereris. Ab hoc igitur posteriore decreto; si huiusmodi Collegium exordium inde sumpsisse credamus, quo quippè omnia maturiore consilio nauata sunt, & ab ijs præsertim, qui iam professioni obnoxij essent, in hanc Monasterij nouam erectionem, ad quam Canonici introducuntur, duos, & septuaginta: à priore verò tres supra octuaginta annos supputabis: quo tempore tres tantùm Priores post Ceccarellum interpolatis biennalibus diligenter obseruauimus; quorum primus fuit frater Paulus Luchuli; secundus frat. Ioannes Luchuli, vel Rechuli; tertius frat Paulus Andreæ; iterum frat. Ioannes Rechuli, extremus memoratus in priuilegio: qui inter manus Patrum nostrorum lætus iam pro optata sui Monasterij noua reformatione; cui (quoniam consensisset, partem haud minorem bonus senex iure se se arbitrabatur) paucis diebus post, vt præmisimus, & suæ ætati iam deciduæ, & Collegio parem finem fecit.

✠

De ingressu Canonicorum S. Saluatoris ad reformandum Monasterium D. Ambrosij Eugubinum. Cap. XV.

CONVENERE à Fabriano Eugubium Pater Stephanus cum frat. Ioanne Antonij, frat. Dominico Cioni; & frat. Regulino Angelini, omnes Senenses, qui ex Ilicetanis supererant soli, delatis secum sarcinulis suis vna cum sanctissimi Concanonici ossibus frat. Francisci, qui apud eos sub exilio Fabriani, diem suum extremum clauserat; facta de se non vulgari apud omnes sanctitatis opinione. In ij s sarcinulis(quo Patrum illorum opes non ignores) leguntur quodam Inuentario, vt appellant, manu Salinguerae Notarij Eugubini subscripto, complusculi Codices, & sacrae nonnullae vestes pro diuinis celebrandis, ac pauciores quidem stragulae pro nocturna quiete: notanturq; pauca vtensilia pro parandis cibis; quae omnia exiguę suppellectilis, vna cum deuotis sanctissimi Concanonici reliquijs, quilibet paruuli duo aselli ferre potuerunt; vt discaș quaerentibus primùm regnum Dei, iuxta Saluatoris dictum, reliqua omnia facillimè comparari, & concordia res paruas coalescere. Sigillatim describere potuissem eorum Patrum diuitias, nisi pro certo esset, nō admirandas, at irridendas fore, quorum cordi nil magis erat, quàm ipsa beata paupertas. Conuenere autem huc Patres ipsi videlicet Stephanus, & socij die 26. Septemb. eius anni 1414. Hic tandē post longos errores conquieuere Patres praefati, acti longa eius temporis fluctuabunda tempestate. Conquieuere simul B. Concanonici ossa idest P. Francisci Nanni, fratrum pietate ante Aram maiorem, eleuato

eleuato perexiguo ſaxo, quo oculuntur in loculo decenter collocata, & diuini quidem fragrantia odoris redolentia. Sed neſcio quis Prior clauſit poſtea ſepulchrum eius, & amplius non videtur; ibidem tamen extat absq; dubbio. Huius oſſa, & pleraq; alia omnia bona ad voluntatem, & præces P. Stephani pijſsimus Comes Vrbinas Guido Antonius præfatus, ſua induſtria, & expenſis deferri fecit de loco ad locum; vbi ſtructuris, immunitatibus multis, & amplis, ac alijs innumerabilibus beneficijs de Congregatione S. Saluatoris optimè meritus, adeò familiariter, & ſplendidè eos proſecutus eſt, vt exarrari haud facile poſſet: nam Triclinium (Refectorium quod vocāt) cum ſuperiori Dormitorio, & caſtellum aquæ indeficientis, quod ipſi Refectorio, & alijs alio Canonicorum neceſſarijs officinis deriuatur, opere quidem pro eo tempore, & loco non improbando, proprijs ſumptibus fabricauit; & nunquam, vt promiſerat, eis defuit. Quoue magis eos in dies maioribus ſibi deuinciebat beneficijs; eis arctius ob deuotionem obnoxius reddebatur: adeò vt ad illos quam ſæpiſſimè tranſcenderet pro re diuina: apud illos vna in communi Refectorio cibos, quos præmiſiſſet, ſilenter, & deuotus caperet: ibidem etiam aliquoties culpam leuiter delinquentium iuniorum Canonicorum, pro qua inprandio humi ſederent, apud Patrem ſupplex depreca retur: patrem enim, & ipſe cum alijs Canonicis hoc ſolo nomine fratrem Stephanum reuerenter compellabat. Et quoniam apud eos continuata præſentia eſſe non poterat, leui ſaltem pictura inſtar deuotè ſupplicantis apud Saluatorem, in eodem Refectorio cum illis iugiter apparere voluit: quę effigies veram, vt dicunt, imitata, his noſtris adhuc temporibus durauit. Accidit autem, vt quodam die, dum cibum cum ipſis ſumere ſtatuiſſet, oriri ſibi de propinato veneno ſuſpitionem, & id quidem monente Gemma annuli, quē ſemper in digito geſtabat. Quod

cum Patri tandem aperuisset, ille subitò perterritus est; sed mox ad Deum fiducialiter conuersus, diuinitus monetur, vt sublatis successiuè omnibus mensis perquireretur venenum: quod factum fuit. Intra igitur superiorem mensam, ad quam ipse Comes cum Patre, & suppriore sedebat, & ipsius suppositum vni pedem, siue substentaculum, repertus est immanis scorpio: quo viso statim à titubantis Comitis pectore omnis penitus ablata est falsa suspitio; & efficacius deuotio, atq; beneuolentia erga suos Canonicos confirmata, & adaucta fuit. Tanta igitur ob eius benemerita, quæ inferius etiam pręclariora multo in Congregationem hanc innotescent; inter supplicationes vespertinas, quæ sub aquæ lustralis aspersione, priusquam eatur dormitum, in loco Capituli vbiq; Monasteriorum eiusmet Congregationis quotidiè fiunt; earum partem in salutatione Angelica, quæ triplicata in fine secretò persoluitur, pro eius Comitis Patroni, & successorum memoria Pater instituit. Id quod cum per alteram Constitutionem editionem verbo tantùm indixerit; ad nostram tamen vsq; præsentem ętatem perpetua vtiq; obseruantia transmissum est. Illud etiam hoc loco non ommittam; quod Pater Stephanus fuit Nepos S. Bernardini de Senis Ordinis Minorum; qui scilicet S. Bernardinus per duos annos Eugubij prędicans, eo potissimùm tempore, quo ipsa Congregatio habuit originem, plura verba corã populo Eugubino fecit pro ipso P. Stephano. Hæc frat. Franciscus Vandinus Eugubinus in scriptis suis annotauit.

✠

Prin-

Priuilegium X. Gregorij XII. Cap. XVI.

Laconismum.

PRo incremento regularis obſeruantiæ, & perſeuerantia firmiori exorauit P. Stephanus Pontificem ſuum pro decimo priuilegio, quo tàm Mendicantium Ordinem profeſſos, quàm quemcumq; alium admittere poſſet inter ſuos Canonicos.

Gregorius Epiſ. ſer. ſer. Dei, dilectis filijs Priori, & Canonicis Prioratus S. Saluatoris de Sylua Lacus, ad noſtrã Romanam Eccleſiam nullo medio pertenentis; Canonicis Reg. fratribus S. Saluatoris de Sylua Lacus nuncupatis, Ordinis S. Auguſtini Senenſis Diœceſis Sal. & Apoſt. ben. ſacræ religionis, ſub qua deuotum, & ſedulum exhibetis Altiſsimo ſub regulari obſeruantia famulatum: pro meretur honeſtas, vt votis veſtris, illis præſertim, per quę regularis obſeruantia adaugetur, fauorem Apoſtolicum impendamus. Hinc eſt, quod nos veſtris ſupplicationibus inclinati; vobis in obſeruantia prælibata, quæ nunc vigere aſſeritur apud vos perſeuerantibus, prout decet: & qui Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Reg. expreſsè profeſſi eſtis obſeruantiam: cum eadem vt pro huiuſmodi regularis obſeruantię incremento, & perſeuerantia firmiori quoſcumq; religioſos Ordinum regularium, etiam Mendicantium quorumcumq: nequeuntes in Monaſterijs, Domibus, ſiue locis, in quibus profeſsi ſunt, vel degunt, propter inſtans ſchiſma peſtiferum: vel ex eo quia inibi eorum regula non ſeruatur, cum ſincera conſcientia remanere: aut propter frugem melioris, & arctioris vitæ de eorum Religionibus, Monaſterijs, Domibus, atq; locis ad

huiusmodi Ordinem, & vestram obseruantiam se transferre, professionemq; apud vos emittere consuetam, spontè, & liberè, purè, & simpliciter cupientes: ac volentes ad professionem, & obseruationem huiusmodi recipiendi admittendi, & retinendi, ac eisdem Religiosis propter huiusmodi causas, & earum quamlibet, se de eorum Ordinibus Religionibus, Domibus, atq; locis ad Religionē, & obseruantiam huiusmodi apud vos transeundi, & professionem debitam faciendi; ac vobiscum in Ordine, & obseruantia prælibatis remanendi; superiorum suorum, vel aliorum quorumcumq; super his licentia, vel consensu minimè requisitis: Constitutionibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus Ordinum præfatorum: etiam si talia forent, propter quæ præsens nostra concessio infringi posset; & de quibus quorumcumq; tenoribus, etiam de verbo ad verbum deberet præsentibus nostris litteris fieri mentio specialis: & alijs contrarijs non obstantibus quibuscumq;: Auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus potestatē, & licentiā elargimur. Duraturas (vt premittitur) dumtaxat vigente vobiscum obseruantia sæpè dicta. Nihilominus transeuntes huiusmodi, postquam Ordinem, Religionem, & obseruantias prefatas quibus noscimini mancipati, professi fuerint (vt præfertur) à Priorum Ordinum obseruantijs penitus absoluentes. Nulli ergo hominum, &c. Datum Arimini 3. Kal. Nouemb. Pont. nostri anno 8. Gratis de mandato D. N. Papæ. Io. de Monte Politiano.

✠

Annotatio in errorem, & pro declarat.

ATTENDE principium huius priuilegij, iam nempè erant Patres assecuti Monasterium Ambrosianum, vbi obseruantia tùm maximè vigebat apud eos, vt ibidem innuitur (vigebat enim, & antea dum extorres forent; sed fortasse non æquè benè vt in propria sede) & tamen adhuc Prior, & Canonici asseruntur Prioratus de Sylua Lacus, vti etiam in suriore, quo Monasterium Ambrosianum eisdē nominatis Priori, & Canonicis de Sylua Lacus ascribitur. Voluit igitur Pontifex Canonicos suos adhuc in iuribus Monasterij Ilicetani perseuerare sub ea spe, quam præmisimus illuc eos aliquando reducendi illis minimè ad hoc aspirantibus, vt concessit. Attende similiter hoc 10. priuilegio quid sint professi; prius enim professi fuerunt Regulam B. Augustini in priori dogmate, vt habes supra; deinc obseruantiam Canonicorum Reg. cū fuerint in hoc altero dogmate, de loco, & de habitu corū inuestiti: qua de re supra diffusius. Pulchrè sub regulari obseruantia toties repetita; cum eos adhoc Papa tantum assumpserit in Canonicos Reg. vt per eos obseruantia Ordinis Canonici, iam diù deperdita, reuiuisceret. Constabat enim eos quotidiè eam obseruantiam profiteri, & per delationem habitus Canonici, & vna per obseruationem regularium Decretorum, & Constitutionum ipsius Pontificis, in quibus ea subsistebat. Ne ignores tamen pro Mēdicantibus gratiam paulò post à Martino V. generali Cōstitutione reuocari, quæ tum exorata est, vt etiam prædiximus, cum frater Petrus Pauli Senensis Ordinem Prædicatorum S. Dominici professus, & indiuiduus Comes Patris Stephani tot in tribulationibus, apud ipsos in

Conca-

Concanonicum transgressus est: primum indeptus quidē Nouitiorum locum in Congregatione. Constitutio autem generalis Martini V. post edita, quæ incipit: Viam ambitiosæ cupiditatis Religiosis potissimè Mendicantibus præcludere cupientes, &c. sub Datis Sebennis 4. Kal. Aug. Pont. sui anno primo: Et habetur in extrauagantibus de Regul. transf. ad Rebig. cap. primo: satis manifestè declarat, complures ex Mendicantibus voluisse hanc S. Saluatoris Congregationem, vel ei similem, ingredi. At quia non omnes vno, & eodem zelo Religionis huiusmodi mutationem intendebant; sed nonnullos trahere videbatur cupiditatis ambitio, & præterea iam schismate ablato omnes Religiosi in suis Monasterijs obseruantiam suarum Constitutionum sanctè, pieq; tueri poterāt: ideo præclusa est via, vt dictum est, ab eo Pontifice: super qua interrogatus ipse Pontifex; respondit, eam absolutè, & simpliciter editam, & ab ipso tantummodò approbatā fuisse. Quapropter Illustriss. Caietanus tenet eam per contrariam consuetudinem, & contrarium vsum reuocatam, & pars locis conseruari.

Priuilegium 11. Greg. XII. Cap. XVII.

Laconismum.

SEQVENTI Saluatoris anno 1415. Congregationis autem 7. Gregorius 11. priuilegium suæ dilectę Congregationi plenam, & perfectam tradens perfectionis formam, donauit; quo titulum Congregationis ampliat, præcedentiaq; priuilegia recensendo confirmat.

Greg. Epis. ser. ser. Dei ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex cōcessa sibi desuper vtitur potestate, aliquo-

aliquoties formas, ordines, titulos, atq; modos mutans, erigens, transferens, & reformans in Religione fidelium Christianorum, prout personarum, locorum, & temporũ, conditione pensata in Deo conspicit salubrius expedire. Quia igitur in dispositione ministrorum Dei, maximè sub Regularibus habitu, & obseruantia diuinis obsequijs insistentium nobis credita, considerare nos conuenit, vt Dominici Gregis custodiã vtiliter exercentes, Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis statum quietis, & pacis, summotis impedimentis, & scandalis persollicitudinis nostræ studium procuremus. Ad dilectos fratres S. Saluatoris, qui remanserunt in habitu Canonicorum Reg. sub certis forma, modis, & conditionibus, per alias nostras litteras (quarum tenorem, & formam hic haberi volumus pro sufficienter expressis) factis de Domo S. Saluatoris de Sylua Lacus Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini Senensis Diœcesis, nostræ considerationis oculos dirigentes, speramus dum eorum formam, & inconcussam fidem, ac deuotionem, vitam quoq; honestam, & obseruantiam regularem mentis intelligentiã contemplamur: quod ipsa, vt nouella plantatio in arborem fertilem, fructus vtiles in agro dominico producentem, Deo dante, consurget. Quare circa eorum pacem, commodum, & quietem libenti animo nostræ diligentiæ studium exercemus. Cum igitur malignitate temporis inducente, de voluntate nostra fratres ipsi se à dicto loco remouentes, ipsum, & alia eorum terena commoda postponendo propter verba Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, custodierint vias duras; & sibi ex nostra dispositione Priorem eligentes, constantes permanserunt in forma religionis sibi data: quibus secundum temporum oportunitatem, & rerum varietate, aliqua indulta per nostras certi tenoris litteras, vltra primas, erectionem dicti loci in Prioratum, & institutionem Ordinis, & habitus dationem constituentes,

duximus concedendas sub titulis, & datis infrascriptis. Quarum primæ incipiunt.

Gregorius Episcopus ser. ser. Dei ad perpetuam rei memoriam. Dudum siquidem per nostras litteras Datas Lucæ 3. Non. Aprilis Pont. nostri anno 2. excitante nostræ mentis arcanum speciali, & affectuosa dilectione, qua, &c. Datum in Ciuitate Austriæ Aquileiẽsis Diœcesis Kal. Sept. Pont. nostri anno 3. Nota quòd ista Ciuitas Austriȩ est quæ dicitur Ciuidal di Friuli.

Aliæ verò litteræ successiuè eis concessæ incipiunt Greg. Ep. ser. ser. Dei ad fu. rei mem. Sacræ Religionis, in qua dilecti filij fratres, seu Canonici Prioratus, &c. Dat. Gaietæ Id. Sept. Pont. nostri anno 3.

Aliæ incipiunt: Greg. Ep. ser. ser. Dei, &c. Dilectis filijs Priori, & fratribus, &c. prouenit ex vestræ deuotionis affectu, &c. Dat. Gaietæ 14 Kal. Octob. Pont. nostri anno 4.

Aliæ incipiunt Greg. Ep. &c. Dilecto filio Priori Congregationis, &c. Benigno sunt illa vobis concedenda fauore, &c. Dat. Gaietæ 12. Kal. Octob. Pont. nostri anno 4.

Aliæ incipiunt Greg. Ep. &c. Deuotionis dilecti filij Prioris, &c. Datũ Gaietæ Idibus Ian. Pont. nostri anno 5.

Aliæ incipiunt Greg. Ep. &c. Dilectis filijs Stephano Priore, &c. Datum Gaietȩ Idibus Ian. Pont. nostri anno 5.

Aliæ huiusmodi litterȩ nostræ incipiunt Greg. Ep. &c. Fragrantia sacræ Religionis, quæ, &c. Dat. Arimini 8. Kal. Octob. Pont. nostri anuo 8.

Quædam aliæ nostræ litteræ nuper eis similiter concessæ incipiũt Greg. Ep. &c. Dilectis filijs Priori, & Canonicis, &c. sacræ Religionis, sub qua deuotum, &c. Dat. Arimini 3. Kal. Nouemb. Pont. nostri anno 8.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

LEge hoc II. priuilegium, vt cognoſcas quæ ſupra collegimus circa Congregationis inſtitutionem: & ſcias hanc nouellam Plantulam, quæ noſtris modò temporibus in arborem ſatis fertilem prouecta, iuxta ſanctiſs. Pontificis oraculum, ramos ſuos optimis fructibus oneratos longè, latèq; expandit: ab eo ſuo tantùm arcano prodijſſe: quod ipſe primis duobus priuilegijs intulit. Intelliges etiam, quo ſingulari præconio virtutes ſuorum Canonicorum extollat, qui in habitu remanſerunt: vt compertum habeas, quòd apud ſeniores noſtros vulgatum eſt: qui cum principio induerint, non omnes in eo perſeueraſſe; quod & de Chriſti Diſcipulis legimus, pleroſq; eum deſeruiſſe, & cum alios interrogaſſet: Nunquid & vos vultis abire? Petrus reſpondit; Domine ad quem ibimus? Verba vitę habes tu. Scies item, quam opinionem Diuinus Pontifex de illis, veluti de propria ſobole gloriabundus concipiat. Refert quoq;, vt etiam paulò infra leges, eos de volũtate ſua ſeſe à priore Monaſterio de Sylua Lacus ſpontè ſubmouiſſe. Recenſet vias aſperas, & incommoda, quæ illo quadriennali exilio tollerauere: quodq; extra propriam ſedem in fide, & deuotione erga ſe inconcuſſi perſeuerauere; iuxta ſuam diſpoſitionem, & formã Religionis eis datam. Dicti enim uerò ſunt Conſtantes fratres ex conſtantia in Deum ſumma, cum fuerint extorres multo tempore: & ex conſtantia contra Eremitas; quorũ iniurias, & verbera tolerauerunt patientiſſimè: & à conſtantia erga Pontificem ipſum cum eſſet ſchiſma, & tamdiù vagi fuerint; ſedem ab eo aliquam ſperantes, quam demum conſecuti ſunt. Attende habitum Congregationis

nis esse Canonicum Reg. de quo Archiepiscopus Florentinus in 2. parte suæ Cronicæ tit. 15. sumpserunt, inquit, statum, & habitum Canonicorum Reg. B. Augustini.

Sequitur Tenor Priuilegij.

NE igitur propter huiusmodi variationẽ verborum, ac titulum, & nominationem dictæ Domus Prioratus S. Saluatoris de Sylua Lacus Senensis Diœcesis, quam sponte (vt præmittitur) virtute constantiæ dimiserunt: fratribus ipsis, quos speciali affectione prosequimur, scãdalũ aliquod habeat exoriri; sicut in primitiuis nostris huiusmodi erectionis, & institutionis litteris, voluimus, quòd ipsi fratres tunc præsentes, & eorũ successores, qui erunt pro tempore Canonici Reg. & secundum regularia instituta huiusmodi Canonicorum Reg. deinceps viuere, & fratres S. Saluatoris nuncupari deberent: per præsentes auctoritate Apostolica volumus, mandamus, statuimus, & etiam ordinamus, quòd ipsi de cętero fratres constantes S. Saluatoris in perpetuum nuncupentur, intitulentur, & etiam appellentur; quodq; omnes, & singulę gratiæ per nos, & auctoritate nostra eis concessæ vsq; in pręsentem diem, tam in supradictis, quàm alijs litteris, sub similibus titulis expeditis, quarum tenores, & formas hic haberi volumus pro sufficienter expressis, contentæ, & litteræ ipsę in singulis suis partibus efficaciter valeant, & plenam obtineant roboris firmitatem: & ipsis, ac earum qualibet fratres prædicti vti, & gaudere liberè, & licitè possint; ac si omnes super huiusmodi titulo, & vocabulo prædicto ordinatæ, & scriptæ fuissent, ac etiam expeditæ. Constitutionibus Apostolicis, & alijs contrarijs non obstantibus quibuscumq;. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc

paginam

paginam nostrorum Mandati, Constitutionis, Ordinationis, & voluntatis infringere, &c. Datum Arimini 8. Kal. Febr. anno salutis 1415. Pont. nostri anno 9. Gratis de mandato D.N. Papæ. Io. de Monte Politiano.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

NVllus erat, qui Patrum sanctitati fidem maiorem facere posset, quàm ipse Pontifex, quos antea secum sub illis communibus procellis cum habuisse præmisimus: quorumq; diuinis supplicationibus confirmatus; ipsum consilium accepit super publicationem Constantiensis Concilij; quo pax Ecclesiæ tandem eius opera reddita est. His igitur, non propria contentus conscientia; quæ illis Patribus satis superq; fuerat (quippe qui bonos esse magis, quam predicari vellent) sub noui Elogij præconio, eorum inuictissimæ virtutis, veluti stemma quoddam insigne, suo perpetuo testimonio publicandum duxit: priore titulo Congregationis ampliato per uerbum; Constantes; Cuius tamen constantiæ fidem, ac rationem anteà quoq; sæpius complexus fuisset. Ex quo loco merum consilium Pontificis circa huiusmodi Congregationis institutionem magis attestari possumus, cum hanc tituli prærogatiuam, veluti quoddam sæcularis auræ aucupium, & suæ humilitati, professioniq; minus opportunum, ab eius successore statim Patres supprimendum curauerunt: de se enim nihil, nisi quod humile esset, religiosumq; sentientes, non sua, sed quæ Iesu Christi forent seduli conquirebant. Nota etiam tribus nominibus Congregationem nostram diuerso tempore fuisse nominatã. Primum quidem S. Saluatoris de Sylua Lacus: deindè S. Saluatoris fratres Constantes; tertiò autem S. Saluatoris

absolutè. Dicti sunt profectò Constantes ex causa, & causis in superioribus allatis: de titulo autem absoluto in sequentibus dicetur prolixius à nobis. Aequiuocasse patet illos etiam, qui primùm Canonicis S. Saluatoris locum ad habitandum assignant, post Ilicetanum, illum S. Secundi de Eugubio, pro Monasterio extra, & propè Muros eiusdem Ciuitatis Ambrosiano: nam illius S. Secundi vnio facta est per Calixtum 3. posterioribus temporibus, anno suo primo, Ea enimuerò est illa Canonica Secundina antiquissima, quam adeò pro sua dilexit D. Vbaldus, vbi scilicet à puero prima rudimenta fecit suę Canonicę professionis. Lege eius historiã; celebratur, & adhuc constanti memoria apud Eugubinos Cubiculum istius tunc Canonici penè Ecclesiam fuisse, vbi postmodùm eius nomini consecrata Cappella fuit: & Cubiculi fumarium ob eam rem perpetuò apparere voluerunt. In hac prætereà Canonica obseruandoq;, atq; percurrendo curiosè antiqua documenta, inuenimus Priores perpetuò regulares ad hanc vsq; nouissimam reformationem continuasse, ac nusquàm ea exteris commendata: quod per quam raró inuenies apud Italiæ saltem vtriusq; videlicet Canonici, & Monastici Ordinis Monasteria. Minus excusantur etiam in eo quod Guidum Antonium vocant Vrbini Ducem primũ: non debuit enim res sui temporis historiographos ipsos latere: quis enim ignorat Federicum Feretranum, vno oculo Argo ipso oculatiorem sui sæculi, dum viueret, in re militari vnicum, Imperatorem eum primò Ducatus titulum longè post Guidonem, suas ibi propria virtute peperisse.

✠

Priui-

Priuilegium 12. Greg. XII. Cap. XVIII.

Laconismum.

APostolicvs Pontifex Greg. 12. hanc Saluatoris Congregationem suam, nouam linigeram, & candidatam plantationem sub duodecim Apostolicis columnis, videlicet duodecim priuilegijs præmuniuit, atq; stabiliuit. In hoc autem 12. & vltimo priuilegio præstat conseruatores Apostolicos, ac Iudices quosdã, apud quos possint se tueri circa priuilegia, & omnia per ipsum Pontificem instituta cum opus foret.

Greg. Ep. ser. ser. Dei; Venerabilibus fratribus Vrbinatensi, Pistoriensi, & Vincentino Episcopis sal. & Apos. benedict. Militanti Ecclesiæ disponente Domino pręsidentes circa curam Ecclesiarum piorum locorum, Religionum, & Monasteriorum omnium solertia reddimur indefessà soliciti; vt iuxta debitum pastoralis officij, eorum occurramus dispendijs, & profectibus, diuina cooperante clementiâ, salubriter intendamus. Sanè dilectorum filiorum Prioris, & fratrum, qui ex dispensatione Sedis Apostolicæ speciali fratres Constantes S. Saluatoris Ordinis Canonicorum Reg. S. Augustini nuncupantur, conquæstione percepimus, quòd nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, alijq; Ecclesiarum Prælati, & Clerici; ac Ecclesiasticæ personę, tàm religiosæ, quàm sæculares: necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & Laici, Communia Ciuitatum, vniuersitates oppidorum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, ac aliæ singulares personæ Ciuitatum, & Dioecesum, & aliarum partium diuersarum, occuparunt, & occupari fecerunt Castra, Villas,

& alia loca terras, Domos, possessiones, iura, & Iurisdictiones, nec non fructus, census, redditus, & prouentus, & nonnulla alia bona, mobilia, & immobilia; spiritualia, & temporalia, ad Priorem, & fratres prædictos, eorumq; loca spectantia: & ea detinent indebitè occupata, seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium, vel fauorem. Nonnulli etiam Ciuitatum, Diœcesum, & partium prædictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant: eisdem Priori, fratribus, & locis super prædictis Castris, & Villis, & locis alijs, Terris, Domibus, Possessionibus, Iuribus, & Iurisdictionibus; Priuilegijs, exemptionibus, libertatibus, prærogatiuis à Sede Apostolica concessis eisdem, & eorum locis, fructibus, censibus, redditibus, & prouentibus eorumdem: & nonnullis alijs bonis mobilibus, & immobilibus, spiritualibus, & temporalibus, & alijs rebus ad eosdem Priorem, & fratres, ac eorum loca spectantibus, multiplices molestias, & iniurias inferunt, & iacturas. Quare dicti Prior, & fratres nobis humiliter supplicarunt: vt cum eisdem valdè reddatur difficile pro singulis quærelis ad dictam sedem habere recursum: prouidere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur aduersus occupatores, detentores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, illo volentes eisdem Priori, & fratribus remedio subuenire, per quod ipsorum compescatur temeritas: & alijs additus committendi similia precludatur: Fraternitati vestrę per Apostolica scripta mandamus; quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis; Conseruatores, & Iudices prę fatis Priori, & fratribus efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eosdem super his, & quibuslibet alijs bonis, & iuribus ad Priorem, & fratres, & ad loca prędicta spectantibus: potissimè contra tenorem priuilegiorum, exemptionum, libertatum, & prærogatiuarũ huius-
modi

modi ab eisdem, vel quibusuis alijs indebitè molestari, vel eis grauamina, seu damna, vel iniurias irrogari. Facturi dictis Priori,& fratribus: cum ab eis, vel eorum Procuratoribus, aut eorum aliquo fueritis requisiti: de prædictis,& alijs personis quibuslibet super restitutione huiusmodi Castrorum, Villarum, Terrarum, & aliorum locorum, iurisdictionum, iurium,& bonorum mobilium,& immobilium, reddit	uum quoq; , & prouentuum & aliorum prędictorum,& quorumcumq; bonorum mobilium,& immobilium, præsentium,& futurorum; nec non de quibuslibet molestijs, iniurijs, atq; damnis præsentibus, & futuris in his videlicet, quæ iudicialem requirunt indaginem summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij: in alijs verò, prout qualitas eorum exegerit iustitiæ complementum: occupatores, seu detentores, præsumptores, molestatores, & iniuriatores huiusmodi, nec non contradictores quoslibet,& rebelles cuiuscumq; dignitatis status, ordinis, vel conditionis extiterint: quandocumq; , & quotiescumq; expedierit, auctoritate nostra per censuram Apostolicam, appellatione postposita, compescendo. Inuocato adhoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Nõ obstantibus tàm fęl. record. Bonifacij Papæ 8. prædecessoris nostri, in quibus cauetur, ne aliquis extra suam ciuitatem,& Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltrà vnam Dietam à fine suæ Diœcesis, ad Iudicium euocetur: seu ne Iudices,& conseruatores à sede deputati prędicta, extra Ciuitatem, & Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumq; procedere; siue alij, vel alijs vices suas committere: aut aliquos vltra vnam Dietam à fine Diœcesis eorumdem trahere præsumant (dummodò vltra duas Dietas aliquis auctoritate præsentium nõ trahatur) seu quod de alijs; quam de manifestis iniurijs, & violentijs, & alijs, quæ iudicialem requirunt indaginem, pęnis in eos, si secus egerint,& in id procurantes adiectis;

Conseruatores se nullatenus intromittant: quàm alijs quibuscumq; Constitutionibus à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus ; tàm de Iudicibus delegatis, & conseruatoribus, quàm personis, vltra dictum numerum ad iudicium non vocandis, aut alijs Edictis, quæ nostræ possent in hac parte iurisdictioni, aut potestati, eiusq; libero exercitio quomodolibet obuiare: seu si aliquibus communiter, vel diuisim à prædicta Sede indultum sit: quod excommunicari, suspendi, vel interdici; seu extra, vel vltra certa loca ad iudicium euocari non possint, per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, & eorum personis, locis, ordinibus, & nominibus proprijs, mentionem: & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali, vel speciali cuiuscumq; tenoris existat, per quam præsentibus non expressa; vel totaliter non inserta vestræ iurisdictionis explicatio, in hac parte valeat quomodolibet impediri. De quo, eiusq; tenore toto de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis: cæterum volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, quòd quilibet vestrũ prosequi valeat articulum etiam per alium incoatum quamuis idem incoans nullo impedimento canonico prępeditur: quodq; à Data præsentium sit vobis, & vnicuiq; vestrum in præmissis omnibus, & eorum singulis cæptis, & non cæptis, pręsentibus, & futuris perpetua potestas, & iurisdictio attributa, vt eo vigore, eaq; firmitate posсitis in præmissis omnibus cæptis, & non cæptis, presentibus, & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia, & singula coram vobis cępta fuissent: & iurisdictio vestra, & cuilibet vestrum in prædictis omnibus, & singulis per citationem, vel modũ alium perpetuata legiptimum extitisset. Constitutione prędicta super conseruatoribus, & alia qualibet in contrarium edita, non obstantibus præsentibus perpetuò valituris. Datum Arimini

mini 3. Kal. Martij Pont. nostri anno 9. Gratis de mandato D.N. Papæ. Io. de Rethingen.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

HIc annus erat Congregationis octauus, & tertius Prioratus R.P. Stephani in Ambrosiano Conuentu, quem solum interim habebant præfati Canonici; futurum attamen sperantes, vt Saluatoris immensa liberalitate plures breui, eosq; percelebres, essent adepturi. Quod vtiq; factum est, vt in sequenti libro huius Operis quarto patebit. Constat autem mortuum iam fratrem Ioannem Luculi; qui, senio confectus, voluit vniri Canonicis Saluatoris, vt supra, ac reliquum suæ vitę in eo Monasterio degere cum ipsis: sepultusq; est cum habitu Canonico inter suos primi Dogmatis Confratres, qui sepulti sunt intus in introitu Monasterij in pede scalæ, quę vadit in Chorum, & in Horreum; quia ibi erat tunc temporis Ecclesia, siue Cemeteriũ. Anno 1550. dum foderentur fundamenta quędam per quoddam spiraculum inuentum fuit dictum sepulchrum, & intus visa fuere corpora eorum Patrum integra, cum dicto habitu griseo induta: & frat. Franciscus Vandinus Eugubinus noster Concanonicus non permisit secus amoueri: sed supra dictã sepulturã misit lapidem signatum cum Cruce ad perpetuam memoriã. Interim Patres Canonici Domino ibidẽ quotidiè magis cũ deuoto affectu seruientes, à Saluatore ipso alio aduocati fuerũt etiã pro suamet, at longè nobiliori, domicilio, vt in sequenti libro declarabitur.

LIBER QVARTVS DE ORDINE, AC STATV CANONICO.

M. D. Io. Baptistæ Bonon. Signij Can. Reg. S. Saluatoris.

De reformatione Monasterij S. Saluatoris de Bononia, & vnione Ambrosiani Eugubini cum eo. Cap. I.

DOnis, gratis, & priuilegijs amplissimis communiti Canonici Reg. S. Saluatoris à suo Pontifice Gregorio 12. singularique simul præsidio sui deuotissimi Comitis Vrbinatis firmiter suffulti in sacrosancta obseruantia (vti premissum est) die, noctuq; diuinis occupati, eo in loco S. Ambrosij debitas gratias pro suis

suis votis Saluatori suo iugiter persoluebant. Quorum fama nitidissimę sanctitatis, sanctissimęq; Religionis Bononiam vsq; ad fratrem Franciscum Ghisilerium Priorē perpetuum Monasteriorum vnitorum S. Mariæ de Rheno, & S. Saluatoris, eiusdem Ordinis Canonicorum Reg. perlata est. Qui eorumdem tamen ante notitiam habuisse dicitur, dum illi apud locum vallis viridis suum Bononiæ principiò traherent exilium. Gratulatus igitur eorū beatissimis incrementis, pro suorum Monasteriorum reformatione, perpetuaq; sui, eorumq; Canonicorum in eis successione, mox animum intendit; quippe qui solus & ipse, tanquam ętate confectus, vti Ambrosianus ille Ioannes Reccolus, in ipso Monasterio suo relictus fuerat, vt penè in fine primi libri nostri dictum est. Qua sua opinione minimè frustratus est: nam eò propterea vocati ab ipso, annuerunt ęquissimi Patres eius pio desiderio, vt sub vnionem Monasterij sui cum illis Bononiensibus apud illum transirent, & in se omnia reformarent, quę illorum Monasteriorum antiqua fuissent: nouaq; simul decernerent, quibus iam fundata Congregatio inde administranda foret, & diffusius propaganda: permiseruntq; illi omnem, quam antea habuisset Monasteriorum suorum administrationem: ipsis quoad vixit interim diuinis tantū rebus, & suę sacrę obseruationi vacantibus. At quàm bellè accidit quęso inter hos fieri vnio? vtriq; scilicet originem trahebant ab eiusdem nominis Pontifice: Rhenenses quidem à Gregorio 7. vt dictum est: Constantes autē à Gregorio 12. Bononienses ab Innocentio 2. reformati fuere: Gregorius 12. reformator Ilicetanorum ab Innocentio 7. fuit Cardinalis factus. Bononienses Rheno deuastato in D. Saluatoris Bononiæ se reducunt: Senenses expulsi à Saluatoris Syluæ Lacus antiquo suo Domicilio in D. Saluatoris Bononiensis recepti fuerunt. Vtriq; demum Saluatoris titulum suæ Congregationis habent.

Hæc dum inter eos conueniunt: Concilio Constantiensi, quod perplures ante annos procuratum fuit pro delendo eo schismate perniciosissimo: pro quo delendo laborabat præ cęteris Gregorius 12. ipseq; qui, vt pleriq; asserunt, vsus Concilij primus auctor fuit, idem Gregorius sponte, & alacriter Pontificatu liberè se abdicat: Reuerendissimo Domino Ioanne Dominici Florentino Cardinale S. Sixti recitante coram vniuerso Concilio Bulliplumbiũ mandati, ab ipso Domino Gregorio 12. sibi commissi, ad cedendum Papatui. Datum Arimini 3. Id. Martij Pont. sui anno 9. Incipit autem: Gregorius Episcopus, &c. Terrenas affectiones tenebrarum, &c. Lectis pariter à D. Carolo Malatesta litteris, sub Bulla plumbea Mandati procuratorij à præfato D. Gregorio 12. sibi commissi ad cõsentiendum, & confirmandum omnia acta, & agenda in ipso Constantiensi Concilio. Quæ incipiunt: Greg. Episc. &c. Diuina gratia dirigente, &c. Quibus lectis, & auctorizato Concilio ab eodem Cardinale S. Sixti nomine ipsius Gregorij, cuius Legatione fungebatur: idem Cardinalis receptus fuit ab omnibus alijs Cardinalibus ad osculum pacis, & inter alios Cardinales Præsbiteros collocatus, & insertus: statimq; cantata fuit Missa de Spiritu Sancto, qua finita, lectum fuit Euangelium. Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, &c. Congruit siquidem huiusmodi Euangelium pietati Gregorij, plus amantis quietem Ecclesiæ, quàm in se Pontificatus propriam dignitatem. Cantatis etiam Lytanijs idem Carolus legit aliud Procuratorium ab eodem Gregorio sibi factũ Arimini sub Bulliplumbio die 13. Martij anni eiusdẽ 1415. & Pontificatus sui nono; quod incipit; Gregorius Episc. &c. Cum ad laudem Omnipotentis Dei, &c. Pręmissoq; eruditissimo sermone sub assumptione Thematis. Facta est cum Angelo multitudo militię cęlestis laudantium Deum, & dicentium; Gloria in altissimis Deo, & in terra

pax hominibus bonę voluntatis. Angelus erat nomen ipsius Gregorij Pontificis à Baptiſmo, vt dictum eſt, & quidem munus tunc Angeli Eccleſiæ præſtitit; cum renunciãdo propriç dignitati, vniuerſalem concordiam, & pacem ſolum præ oculis habuit, & procurauit. Statim verò prçfatus D. Carolus renunciauit, & ſolemniter ceſsit Pontificatui nomine ipſius Gregorij 12. alta voce ſub ijs verbis Ego Carolus de Malateſtis Arimini, & nonnullarum aliarum terrarum in temporalibus Vicarius, nec non Prouinciæ Romandiolç Rector pro ſanctiſſimo in Chriſto Patre D. Gregorio diuina prouidentia Papa 12. Et S. R. E. Generalis, atq; eiuſdem Sanctiſs. D. N. Papæ Procurator habens ad infraſcripta plenum, ſpeciale, & irreuocabile mandatum, quemadmodum conſtat per Bullam autenticam Sanctiſs. D. N. prædicti proximè lectam. Nulla oppreſſus, aut coactus violentia, atq; nullo ductus errore, vt omnibus apertè pateat per effectum, quanta ſinceritate, quantaq; cordis affectione ſacram vnionem, & reintegrationem Chriſtianorum in vnitate Sanctæ Matris Eccleſiæ proſequutus fuit, proſequaturq;, per viam etiam renunciationis incluſiuè, purè, liberè, & ſincerè procuratorio nomine ipſius ſanctiſsimi D. N. Papæ 12. In nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti renuncio, & cedo expreſsè in his ſcriptis realiter, & cum effectu ſine titulo, & poſſeſſione, quod, quem, & quam ipſe habet in Papatu, & reſsigno nomine præfati D. N. Papatum, & omnem vim Papatus, titulum, poſſeſſionem, quod, quem, & quam habet coram Domino Ieſu Chriſto, qui Eccleſiæ ſuæ ſanctæ eſt caput, & ſponſus in hac ſacroſancta Synodo, & vniuerſali Concilio, ſanctam Romanam, & vniuerſalem Eccleſiam repræſentante. Quam renunciationem ſancta Synodus admiſit, approbauit, & collocauit: & mox, poſt ei gratias ab vniuerſo Cætu redditas, quod rebus vniuerſis Chriſtianis magis, quàm proprijs conſultum voluiſſet:

inter

inter quamplurimas ordinationes, hanc edidit, qua constituit, & confirmauit omnia præfati Gregorij 12. acta sub ijs verbis videlicet Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis Maguntinæ Prouinciæ in Sancto Spiritu vnanimiter,& legitimè congregata,omnia,& singula per Dominum,qui dicitur Gregorius 12.in sua reali obedientia, Apostolica auctoritate mediatè,vel immediatè,aliàs Canonicè, & rationabiliter hucusq; gesta, facta, dispensata,ordinata, concessa, & indulta: & etiam vsq; ad tempus suæ notitiæ renunciationis pro eo faciendæ: quod tēpus vltra Mensem post huiusmodi renunciationem nolumus extendi,gerenda, facienda, disponenda, dispensanda,ordinanda,concedenda,& indulgenda,ex certa scientia ratificat,& ex super abundanti cautela ad certitudinē approbat, & firmat, satuens, & ordinans, quòd ex causa, vel occasione schismatis,vel cuiuscumq; maculæ, vel inhabilitate ex eo prouenientium non valeat infringi, vel contra excipi, aut in dubium reuocari. Non obstantibus quibuscūq; dispositionibus in contrariū facientibus, &c.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

EX dictis facilè cognoscitur vanitas illorum, qui de rebus gestis & priuilegijs huius Gregorij Pontificis dubitare videntur: an scilicet valida fuerint; quia,inquiunt, schismaticus fuit,& Concilio Pisano abrogatus fuit. Quibus respondetur,hoc Decreto Constantiensis Concilij apposito. Præterea docentur aliud esse schismaticum esse, aliud in schisma creatum fuisse. Præterea etiā, quòd licet statim congregato Concilio Pisano ambo Pontifices abdicati dicerentur: eorum tamen gesta vsq; in præsens Concilium,etiam ab eo Alexandro ibi electo, translata

stata sunt approbanda, vel reprobanda. Immò taxatur illud Concilium Pisanum, quo ipse Gregorius 12. vna cum Benedicto 13. qui in Gallijs etiam ipse se pro Pontifice Max. gerebat, exauctoratus fuerat vtriq; ante hunc diem surrogato Alexandrum V. (cuius tempore Monasterij Ilicetani facta est iactura) nam Gregorius, quo se antea tuebantur Canonici, ad Istros, vti præmisimus, extra Italiam secesserat inter partes Aquiligiæ: Cum neq; Concilio, neq; electioni Alexandri annueret: cessurum enim scilicet Pontificatui fuerat pollicitus, cedente simul, & Benedicto: quo recusante, Concilium Pisanum neutris Pontificis auctoritate ratum nullum redarguebat. Non possum autem satis hic mirari, quosdam super hac promissione Pontificem hunc, quem alioquim sapientissimum, & sanctæ vitæ scribunt collusionis insimulare: cum eo proposito Lucam petiturus Concilium, vt cederet, venisset; cum & Concilio deinde sequenti apud Constantiam, cuius ipse primus mentionem fecisset, per Procuratorem cessisse dubium non sit: cupiebat enim Pontifex integerrimus schisma sedare, non fouere, ne ex sua sola cessione, illius incendium (quod haud temerè pertimescendum fuerat) non cedente Benedicto, magis excitaretur: ex vtriusq; namq; resignatione Concilium vires, & auctoritatem sumpturum non dubitabatur. Lege Archiepiscopum Florentinum suis Chronicis. Nota etiam huius 4. libri gesta initium suscipere ab anno Domini 1417. Congregationis autem 12. Prioratu 4. R. P. Stephani.

Sequitur Chronichismum.

DIE Lunæ 15. eius Mensis Iulij in 17. sessione præfatum Concilium post ipsius Gregorij cessionem, & renunciationem eundem olim Gregorium decernit Apostolicæ Sedis Marchię Anconitanæ Legatum Episcopum pripum omnium Cardinalium post Papam cum omnibus iuribus, & pertinentijs, collationibus, & prouisionibus, & alijs omnibus, quæ solent ab Apostolica Sede in forma plenissima talibus Cardinalibus concedi: & Dominos Patres in Christo Reuerendissimos Cardinales ab eo creatos tunc viuentes, videlicet D. Antonium Corarium Episcopum Portuensem: D. Gabriellem tit. S. Clementis: D. Io. Dominici tit. S. Sixti: D. Angelum tit. SS. Petri, & Marcellini: D. Blandellum de Blandellis tit. S. Sabinæ Præsbyteros: & D. Petrum tit. S. Mariæ in Cosmedim Diac. Cardinalem recepit, & admisit cum omni eorum dignitate, emolumento, voce, & alijs Cardinalibus priuilegijs, quibus vt veri Cardinales frui, vti, & gaudere pariter possent: & quòd officiarij Gregorij prædicti, suorũ, vt antea, gauderent gradu, & statu officiorum. Quæ Constitutio incipit; Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Sancto Spiritu legitimè congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans. Cum Christi fideles pijs in Domino deuotis affectibus, &c. Die autem Sabbati 17. Augusti in 18. sessione post Missam Assumptionis B. Mariæ Virginis (quia erat infra eius octauam) fuerunt deputati sex Nuncij Apostolici ad Reuerendissimum D. Angelum Corarium Episcopum Cardinalem, & Marchiæ Legatum; inter quos primus numeratur Cardinalis Ragusinus pręfatus, &c.

Post

3 Post hæc die Iouis 15. Octobris eiusdem anni in 22. sessione, audacter procedi cæptum est contra Petrum de Luna, videlicet Benedictum assertum 23. quem dicunt secundum se Papatum annis iam 22. expletis occupasse; qui citatus nullatenus comparuit: & quod plus est ab Imperatore Sigismundo præsentialiter persuasus, & admonitus, ad Concilium adire contempsit: sed in sua pertinacia persistentes, vt Aspis surda aures continens obturauit, asserens se in Pontificatu velle decedere, cum annum tunc ætatis ageret octogesimum; & ne coarctari posset in Paniscolam Insulam munitissimam cum paucis magnopere se tutatus est. Qua propter præfatum Concilium seruatis iuridicis, & Canonicis terminis, & actibus, atq; omnibus alijs seruandis in multis sessionibus: tandem die Dominica 26. Iulij anni 1417. in sessione 37. cantata Missa de Spiritu Sancto ipse Petrus de Luna per diffinitiuam, & in appellabilem sententiam, vt hereticus, & schismaticus, & inuasor Papatus, ab omni Concilio damnatus fuit depositus, & priuatus: Qui nihilominus impænitens diem suum clausit. Sanctissimus autem Gregorius ad Angelum suum Baptismatis nomen reuersus, Episcopus Cardinalis, & in Picenibus Legatus, in tot aduersis, & persequtionibus, tantæ constantiæ, & magni animi semper perseuerauit: vt nihil de ijs curare, nihil mente voluere videretur: sciens iuxta propheticam sententiã in hoc mundo flagellum nullnm esse, quod non faciat Dominus ad vindictam malefactorum, correctionem vero bonorũ; sic in his, quę sibi dictasset, fixus persistebat: vt à nullo posset à suo proposito reuocari. Sic modestus, vt verè Phylosophus cognosceretur. Sic sapienter, & sacrarum scripturarum lectioni assiduus, vt à speculatione, & disputationibus nunquam cessaret. Pontifex nempè cum quouis altero comparandus, si extra perniciosissimi schismatis tempora ortodoxæ Ecclesiæ contigisset. Quem Cõgre

gationis

gationis S. Saluatoris primum, & auctorem, & fundatorē ex eius attestantissimo testimonio pluribus priuilegijs supra deducto, & fatemur vltrò, & prædicamus. Cuius tanta diligentia circa eius erectionem fuit, vt nihil prætermisisse videatur, quod pro ea perpetuò firmanda, & decoranda, excogitari potuerit. Id quod haud scio, si per alium antea circa aliquam factitatum legeris, nisi fortasse hæc temporalibus bonis potius metiare, quàm spiritualibus. Deniq; ipse D. Angelus Coriarius Gregorius olim 12. pacis, ac humilitatis solidissimum exemplar, post annum, & duos menses à sua cessione, ante Martini V. creationem (ne viuens successorem videret, atq; etiam verum sui Vicarium fuisse Christus manifestaret) dum esset Recanati anno salutari supradicto videlicet 1417. ætatis verò suæ 83. assumpti autem Pontificatus 9. die 7. Septembris, Saluatori suo, Constantiæ, ac fidei æterna ab eo præmia suscepturus, fracto huius terreni corporis ergastulo, sanctissimam animam felicissimè reddidit; ibiq; in Cathedrali Ecclesia, quæ S. Flauij dicitur, honorificæ traditus sepulturæ: omnibus qui aderant præ mæstitia, & deuotione collachrimantibus. Vbi insculptum hoc Epitaphium legitur.

Maximus Ecclesiæ Princeps, summusq; Monarcha
Ordine Gregorius bis sextus clauditur Archa.
Hic pro pace datus cœlesti numine semper
Ferbuit æthereo, superi fauere decenter.
Ast bis schisma malum facta hæc dementia Pisis,
Ipse pius releuat pura, & constantia testis.
Cardine bis sacro Pastoris consecta cedit,
Marchia suscepit Recanati Flauius æde.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

SOLVS Gregorius ex tribus illis non vidit successorem suum: sed paulò antè, hoc est die 7. immediatè præcedentis mensis Septembris decesserat: vt Christus hunc suum verè, vt dixi, Vicarium, ac legitimum Pōtificem inter superstites adulterinos vixisse contestaretur. Cum solus sponte per Procuratorem Pontificatui renunciasset, vti promiserat, quo pax Ecclesiæ tandem redderetur. Quamuis sint qui eius mortem ascripserint, mærori animi, quē inciderit, dicunt, ob eam occasionem, & cessionē. Quod facilè refellit eius sanctissimi Patris anteacta vita, quæ omnibus scribentibus probatissima commendatur. Huius mentem columbinam fuisse asserit Archiepiscopus Flor. videlicet nitidam, nulloq; fuco obolitam.

Sequitur Chronichismum.

SVB anno autem ipso 1417. sexto Idus Nouembris Conclaue ingressi sunt Cardinales triginta, & duo; & sex viri ex vnaquaq; natione delecti, & quidem magis probati, qui vna cum Cardinalibus in ipso Conclaui constitere: & hora tertia eo Concilio euectus est ad Pontificatum, sub festum D. Martini, Oddo, vel Otho Cardinalis Columnius, Romanorum nobilissimus, & Princeps Diaconus Cardinalis S. Gregorij ad Velum aureū, qui ob D. Martini Episcopi celebritatem, quæ ipsa die colebatur, Martinus eius nominis 5. vocari voluit. In cuius assumptione diuturnum schisma anno 40. tantum finem fecit.

fecit. Sed ne pertranseas inconsultò, etiam cum diuino consilio factum, vt ex D. Gregorij titulo Cardinalis eligeretur Pontifex Gregorio 12. successor; Gregorium enim præfatum verè sui Vicarium hoc similiter argumento Deus Omnipotens comprobare voluit, aurumq; purissimum in sua obedientia extitisse, sed diuina prouidentia velatum. Martinus autem ipse à teneris annis cura parentum moribus, & litteris imbutum, vbi adoleuisset; iuri Pōtificio Perusij operam dedit: vnde ad Vrbem rediens; ob integritatem, & doctrinam Vrbani 6. Referendarius factus est: quod munus tanta cum humanitate, iustitia, & mansuetudine gessit; vt Diaconus Cardinalis ab Innocentio 7. creatus sit. Nec ob eam quidem rem à natura sua discessit. Humanior enim quàm antea factus, patrociniū suum omnibus præstabat: ita tamen, vt in rebus publicis non multum se immisceret. Nam cum in Conuentu Constantiensi multę in vtrāq; partem altercationes haberentur, propter diuersa factionum studia: ipse medium quoddam tenuit; quo in alterutram partē inclinare nullo modo videbatur: communi vtilitati semper consulens. Hác ob rem, & Imperatori, & Cardinalibus, ac deniq; omnibus gratus, Pontifex creatur: Quo in Magistratu nō somno, & ocio; sed negocio, & sollicitudini deditus, audire, refellere, approbare, suadere, dissuadere, hortari, deterrere accedētes ad Sedem Apostolicā consueuerat: cognita petentium honestate, vel secus. Mira enim vtebatur facilitate; & honesta petentes à se voti compotes dimmittebat. In consultationibus autem mirę prudentię vir est habitus. Nam, & quid agendum, & quid vitandum esset, statim rę proposita acutissime diudicabat: breuis in dicēdo, cautior in agendo, adeò vt prius rem factam cernerēt homines, quàm ab eo excogitatam putarent. Eius autem sermo plenus sententijs erat: Ex ore eius nullum verbum tam crebrò, quam iustitiæ nomen prodibat. Ad suos per

ſępè conuerſus,maximè ad eos,qui Prouincias,& Ciuitates gubernabant, his verbis vtebatur; Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram. Indigebat tùm profectò tali Pontifice Eccleſia Dei,qui Nauiculam Petri ſchiſmatis, & ſeditionum omnium fluctibus quaſſam redigere in portum ſalutis gubernaculo ad motus ſciret,& poſſet. Hæc Platina in huius Pontificis vita. Non tacebo ego hunc pręſtantiſsimum virum vnà cum alijs Cardinalibus eiuſdem factionis ipſum Gregorium 12. elegiſſe Pontificem: quod etiam argumentatur diuinum beneplacitum in eius Pontificis creatione.

Huic nouo Pōtifici Martino egregius Comes Vrbinas Guido inquam Antonius ex coniuge arctiſſima neceſſitudine iungebatur. Hinc Ambroſiani Patres eo faciliorem habere cęperunt oblatam cum Bononienſibus S. Mariæ de Rheno, & S. Saluatoris Canonicis, vnionem; de qua poſt longos ſermones diù deliberantes inter ſe; tandem conuenerunt ,vt pro huiuſmodi facienda reformatione, idem R. Pater Stephanus cum ſocio Fr. Dominico Ciono ſæpè dicto, ad Martinum. V. nuper,vt dictum eſt,Pōtificem creatum, & nondum ſoluto Concilio, vt opinabā tur, adhuc extra Italiam conſiſtentem, ſe transferrent. Hos Ghiſilerius cōſtituit ſuos agentes,& huiuſmodi Procurę mandatum conſtat confectum Bononiæ in Epiſcopali Palatio coram Reuerendiſsimo Epiſcopo Bononienſi inter partes,manu Ser Marci Rainaldi de Formaglinis,& Ser Rainaldi quondā Comacini de Formaglinis, ſtipulatùm publicè coram teſtibus, anno 1418. ind. 2. die 22. Aprilis. Pontificatus eiuſdem anno primo Congregationis autem 11. Extat, & alterum mandatum procuratoriū frat. Franciſci Ioannis Antonij de Senis, Vicarij R.P. Stephani præfati Prioris Monaſterij S. Ambroſij de Monte S. Iacobi extra Muros Eugubinos: & frat. Regolini Angelini de Senis: & frat. Petri Pauli de Senis; frat. Ioannis

Georgij de Alexandria: frat. Iuliani Rentij de Callio: frat. Iacobi Sernutij de Florentia: qui omnes vocales in Capitulo congregati constituerunt præfatum R. Patrem Stephanum Priorem,& frat. Dominicum Cionum de Senis suos sindicos,& Procuratores super vnione,& cæteris modò præfatis per Rogitum Adami quondam Ioannis de Eugubio in Logia dicti Monasterij S. Ambrosij in dicto monte 20. Febr. 1419. Ad Pontificem igitur prefati Patres peruenientes, curante præfato Guido Antonio Comite Vrbinate apud eum solita affectione sua, & sollicitudine erga ipsos Patres, negocium feliciſſimè iuxta eorum voluntatem ad finem traxerunt; obtento à Pontifice mandato infrascripto,& in modo subsequenti præsentato.

Bulla Sanctissimi Domini Papæ Martini V.

Laconismum.

CONTINET hęc Bulla vnionem Monasterij Ambrosiani Eugubini cum Monasterij S. Mariæ de Rheno,& S. Saluatoris Bononiensibus.

In nomine Domini Amen. Anno natiuitatis eiusdem 1419. Ind. 12. die 4. Mensis Martij tempore Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & D.N. Domini Martini diuina prouidentia Papæ V. anno secundo. Vniuersis,& singulis præsentem paginam inspecturis pateat euidenter; quòd ad præsentiam R. in Christo Patris,& Domini D. Nicolai Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Bononiensis,& Principis, personaliter accedens ven.& Religiosus vir D. Franciscus de Ghisilerijs Prior Monasterij inuicem vnitorum S. Mariæ de Rheno de propè Bononiam, & S. Saluatoris Bononiensis Ordinis S. Augustini eidem D. Nicolao, & Episcopo de nouo actua-

actualiter exhibuit, & præsentauit quasdam litteras sanctissimi in Christo Patris,& D.N. D.Martini diuina prouidentia,Papæ V.scriptas in Membrana , & munitas eius vera,& nota Bulla plumbea Papali, pendente ad cordulā canapis more Romanæ Curiæ,non abolitas, non cancellatas,nec in aliqua earum parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspitione carentes,aliàs per ipsum præsentatas eidem Domino Episcopo. Quarum litterarum tenor sequitur de verbo ad verbum, & est talis videlicet.

Martinus Epis.ser.ser.Dei Vener.frat.Nicolao Episcopo Bon.salutem,& Apostolicam benedictionem. Ad hoc circa regularis obseruantiæ professores eò diligentius laboramus, quo fæcundius eorum religio fructum in eis afferat salutarem,& laudabilibus possint in Domino proficere incrementis. Sanè pro parte dilecti filij Francisci de Ghisilerijs Priori S.Mariæ de Rheno propè Bononiam , & S.Saluatoris Bononiensis, Monasteriorum inuicem canonicè vnitorum , & per Priorem solitorum gubernari Ordinis S.Augustini,nobis nuper exhibita petitio continebat. Quod licet retroactis temporibus in prædictis Monasterijs pleriq; dicti Ordinis Canonici Conuentum facientes,residere,& sub regularibus habitu,& obseruantia Domino famulari consueuerint, diuini cultus inibi ferentes incrementum, passim tamen propter guerrarum turbines,aliasq; calamitates,quibus partes illæ afflictæ fuerunt, Monasteria ipsa, eorum dispersis, atq; distractis facultatibus,atq; redditibus,tantæ destitutionis, atq; desolationis subiaceant opprobrio,quòd ex Canonicis dictorum Ordinis , & obseruantiæ nullus ad præsens residet , paucíq; reperiri valent residere acceptantes quomodolibet in eisdem. Et sicut eadem petitio subiungebat ; dilecti filij Stephanus Ioannis, & Dominicus Cioni de Senis, ac nonnulli alij Canonici Monasterij S.Ambrosij Eugubini dicti Ordinis,aliorum tamen habitus , & obseruantiæ ,

in ipsis vnitis Monasterijs conuentualiter regulari castimoniæ subdi; diuinis quoq; inseruire, & intendere desiderant: si eis, & eorum successoribus inibi sub huiusmodi eorum, vel alijs per se decernendis, habitu, & obseruantia remanentibus; super hoc Apostolicę sedis præsidio prouidè consulatur: de dictoq; Monasterio S. Ambrosij, quod per Priorem ad dilectorum filiorum Conuentus eiusdem nutum ponendum, & amouendum pro tempore regi, & gubernari consueuit: eiusdem vnitis, siue insimul de omnibus prædictis Monasterijs auctoritate Apostolica faciẽdæ vnio, nec non applicatio, & annexio singulis Monasteriis ipsis forent non mediocriter pro futurę. Quare pro parte dicti Francisci asserentis, se confractum senio, fuit nobis humiliter supplicatum, vt super pręmissis opportunè consulere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui huiusmodi cultum, & obseruantiam nostris temporibus vigere, & adaugeri intensis desiderijs affectamus: eisdem supplicationibus inclinati; fraternitati tuæ, de qua in ijs, & alijs specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus, & mandamus; quatenus de præmissis omnibus, & singulis, ac eorum circunstantijs vniuersis auctoritate nostra te diligenter informes; & si per informationem huiusmodi ita esse repereris; eosdem Stephanum, & Dominicum, ac eiusdẽ Monasterij S. Ambrosij Canonicos ad hoc voluntarios: vt etiam huiusmodi eorum, vel per te decernendis, vt præfertur, retentis habitu, & obseruentia de dicto Monasterio S. Ambrosij ad prędicta vnita Monasteria transire: & in illis etiam iuxta Constitutiones, & instituta ipsis, & dicto Monasterio S. Ambrosij per eamdem sedem concessa, confirmata pariter, & approbata; ac illius statuta, & cõsuetudines viuendo, & incedendo perpetuò remanere valeant: eadem auctoritate licentiã largiaris: statuens, atq; decernens in vnitis Monasterijs eisdem postquã Stephanus,

nus, & Dominicus, ac alij voluntarij Canonici prædicti inibi in Canonicos recepti, & integrati fuerint: quo ad eosdem habitum, & obseruantiam, succedentibus, atq; seruatis his præsertim, quæ per te circa illos adijci, nec non disponi, & ordinari contigerit, etiam locum sibi vendicare, & effectualiter perpetuis futuris temporibus vigere debere Constitutiones, & instituta, nec non statuta, & consuetudines antedicta. Et insuper tibi Monasterium S. Ambrosij prædictum; cuius, ac dictorum vnitorum Monasteriorum fructus, redditus, & prouentus sexcentorũ Florenorum aureorum, secundum communem æstimationẽ valere annuum (vt asseritur) non excedunt, cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis eisdem Monasterijs vnitis, vel insimul omnia prædicta Monasteria auctoritate pręfata in perpetuum vniendi, incorporandi, & annectendi; huiusmodi quoq; Monasteria, & illorum personas in capite, & in membris, prout reformationis officium inibi expedire cognoueris, eadem auctoritate reformandi, & corrigendi, ac de habitu, & obseruãtia quibus se personæ ipsę pro tempore coaptare debeant: etiam super illorum alteratione, atq; mutatione cum indigentibus inibi dispensandi: ac prædicta vnita Monasteria ab omni iurisdictione, potestate, superioritate, & dominio Episcoporum Bononiensium, pro tempore existentium, ac illorum Officialiũ (pro vt tibi videbitur) eximendi, & liberandi: ac omnia alia, & singula quę in præmissis, & circa ea, & ad hoc, quod Monasteria ipsa, & personæ quæcumq; in illis pro tempore eidem Domino mancipatæ votiuis congratulentur euentibus, necessaria fuerint; aut quomodolibet opportuna, faciendi, disponendi, & ordinandi, & etiam per censuras Ecclesiasticas exequendi, plenam, ac liberam concedimus tenore præsentium facultatem. Non obstantibus reseruationibus generalibus, vel specialibus de Monasterijs quibusuis per dictam sedem factis: & in antea facien-

 dis:

dis: ac Constitutionibus Apostolicis, necnon statutis, & Consuetudinibus Monasteriorum, & Ordinis prędictorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis: cæterisq; contrarijs quibuscũq; Prouiso, quòd in Monasterijs ipsis, prout facultates eorũ suppetent, etiam huiusmodi diuino instaurato cultu, debitus Canonicorum, & Ministrorum numerus omnimodè reseruetur. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane: si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Friburgi Lausanensis Diœcesis Nouis Iunij Pont. nostri anno primo. Ioannes de Prato.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

CVM frat. Franciscus Ghislerius, vir nõ minus animi pietate, quàm generis nobilitate præclarus, antea cum paucis Bononiæ in D. Saluatoris superesset (bellorũ enim incendio multisq; consecutis calamitatibus Canonica Rhenana excisa, Canoniciq; ad paucos reducti erant) anno 1417. extinctam pęnè familiam reparare cogitans; Canonicos regulares S. Augustini Monasterium Ambrosianum propè Eugubium tunc temporis incolentes, paucis ante annis à Gregorio 12. Papa Veneto Lucæ institutos primùm; deinde Martini V. Papæ Decreto veros, ac germanos Canonicos Regulares declaratos, atq; approbatos, sibi vnire curauit. Qua scilicet vnione, eodem Martino V. approbante, peracta; ita iam simul vniti, Canonici Regulares S. Marię Rhenanæ, & S. Saluatoris promiscuè dicebantur: Nimirum à Basilica S. Saluatoris Bononię, vt in secundo libro dictum est ab Oliuario Rhenano Canonico erecta, & constructa. Idem Martinus

tinus Papa V. postmodum Canonicos Reg. S. Saluatoris absolutè appellari iussit. Quo titulo vniuersa dictorum Canonicorum Regularium Congregatio deinceps nuncupata fuit: & hoc dictum sit contra improbantes institutionem huiusmodi à Gregorio præfato, intelligentes à Martino V. confirmatam, & auctam fuisse. Scito prętereà Nicolaum Episcopum Bononiensem tunc fuisse frat. Nicolaum Petri Nicolæ de Albergatis nobilis Bononiensis, qui cum esset Prior Monasterij S. Hieronymi de Bononia Ordinis Cartusiensium, suffectus fuit D. Ioanni quondam Abbati S. Proculi de Bononia: postea Episcopo defuncto die 4. Ianuarij anno 1417. Qui frat. Nicolaus Episcopus maximè reluctabatur, nec tandem prius acquiescere voluit, donec à Priore Generali sui Ordinis obedientiæ pręceptum susciperet. Inito autem Pontificali, nihil de priore obseruantia cibi, vestimenti, & status austeritate mutauit, vel minuit. Eleemosinis deditus, pauperes puellas coniugio tradebat honesto: volens etiam Iudæos signo crocei coloris in pectore gestato à Christianis secerni. Confirmatus fuit à pręfato Martino V. in ea Constantiensi Synodo; à quo etiam paulò post ad Cardinalatum S. Crucis in Hierusalem fuit assumptus, vir vtiq; prudentissimus, atq; sanctissimus. Nota etiam appellari Canonicos S. Ambrosij; vt ex hoc pariter magis veram Congregationem Canonicorum Reg. fundatam principiò non dubites. Attende similiter quàm apertissima denominatione appellentur Patres S. Saluatoris per Martinum Canonici reg. S. Augustini, absq; etiam fratrum prænomine; id quod item apud Gregorium sępe legendum est. Item nota illa verba, aliorum habitus, & obseruantiæ; quia habitus in religiosis accipitur aliquando pro habitu professionis, & aliquando pro habito, qui defertur supra habitum professionis, qui non est de substantia, nec de essentia Ordinis: vt notat Ioannes Andræas in verbo habitus

Clem. 1. Alterius igitur habitus intellige quo ad vestes superiores; omnes enim deferebant pariter tunicam lineam, quæ est habitus Ordinis; sed differebant in habitu superiori, siue ex forma, siue ex colore, qui tantum erat ex vsu; & consuetudine Monasteriorum eius temporis; & post hæc Decreta Congregationum, vt ex eo tantũ quælibet dignoscatur. Nota similiter, & verba; alterius obseruantię; quia vt dictum est principio in Ordinis reformatione Gregorius 12. Congregationem hanc Saluatoris comentus erexit sub noua obseruantia. Vbi autem paulò inferius dicit; retentis habitu, & obseruantia; intellige de habitu professionis, seu Ordinis, qui consistit in tunica linea, & nũquam dimittitur, nec alteratur, nisi per mutationem Ordinis. Et obseruantia, idest quæ fuerat in eis excitata per Gregorium in conseruationem Ordinis. Reformatio igitur non mutat speciem; quare semper idem Conuentus, qui à principio fuit: Et in cap. relatum. ne Clerici, vel Monac. vide ibi Doctores in verbo Reformari.

Præsentatio litterarum Apost. & instantia Frat. Francisci Ghisilerij Bon. pro executione vnionis. Cap. II.

QVIBVS litteris (sicut præmittitur) præsentatis, & per eundem Dominum Episcopum cum ea, qua decuit, reuerentia, & benignitate receptis, & acceptatis; idem D. Franciscus Prior Monasteriorum prædictorum pro habenda ab eodem D. Episcopo, in ipsis litteris Apostolicis executore principaliter nominato, executione litterarum prædictarum, & contentorum in eis iuxta eius volun-

voluntatem,& propositum,reuerenter proposuit, & narrauit. Quod Monasteria ipsa propter temporum malitiã, multasq; turbinis,& calamitates,quibus ciuitas Bon.cum eius Territorijs,& pertinentijs diutius fuit oppressa, grauesq; impositiones pecuniarum,ac diuersas molestias ipsis Monasterijs,& eorum Priori,& Canonicis, tam realiter,quàm personaliter,& alias diuersimodè illatas, & factas: Monasteria ipsa à certo tempore citrà fuerunt, prout nunc sunt, Canonicis totaliter destituta: Ex quo eadẽ Monasteria in diuinis non modica passa fuerunt detrimẽta: ac etiam pro eo, quod ipse Prior à certo tempore citrà,continua inquisitione,ac sedula præhabita,non valuit idoneos Clericos,& Canonicos in eisdem Monasterijs instituere,seu collocare,& Deo deseruire, & ibidem profiteri volentes. Attende; nam Clerici profitentes sunt Canonici: non profitentes autem dicuntur Clerici sęculares. Proposuit etiam idem D. Franciscus Prior, quod ipse affectans toto corde in eisdem Monasterijs diuinum cultum augeri, adinuenit religiosos viros fratres Stephanum Ioannis,& Dominicum Cioni de Senis, ac non nullos alios Canonicos Monasterij S.Ambrosij propè Eugubium eiusdem Ordinis S. Augustini (diuersorum tamen habitus, & obseruantiæ) qui in ipsis vnitis Monasterijs conuentualiter regulari,castimonię subdi diuinisq; inseruire ibidem desiderant; si eis,& eorum successoribus ipsorum Monasteriorum gubernatio, & administratio sub eorum habitu, & obseruãtia,post ipsius D. Prioris mortẽ auctoritate Apostolica, liberè relinquatur. Quos Canonicos ipse D.Prior in eisdem Monasterijs pro augumento diuini cultus præfici desiderat; vt in diuinis per eosdẽ Canonicos,qui deuotę,& religiosæ personę,bonæq; vitę, ac obseruantiæ regularis existunt,valeant laudabiliter deseruire: & ad ipsos Canonicos ibidem præficiendos, & admittendos, præfatus D. Prior petijt per præfatum D. Epis-

Episcopum auctoritate Apostolica, & vigore litterarum suprascriptarum in prædictis exaudiri: Et deindè per eũdem D. Episcopum dictum Monasterium S. Ambrosij propè Eugubium, cum eius iuribus, & pertinentijs dictis Monasterijs S. Mariæ de Rheno propè Bononiam, & S. Saluatoris Bonon. vt præfertur, vnitis, vnire, & incorporare, & circa contenta in litteris Apostolicis antedictis, & pro earum executione statuere, decernere, & aliàs prouidere, prout, & sicut eidem D. Episcopo videbitur pro vtilitate Monasteriorum prædictorum, & augumento diuini cultus in eisdem Monasterijs vnitis faciendi. Et prædicta dixit, narrauit, & petijt dictus D. Franciscus Prior omni modo, via, & forma, quibus magis, & melius potuit in præsentia religiosorum virorum frat. Stephani Ioãnis de Senis, & frat. Dominici Cioni de Senis Procuratorum ad hęc legittimè constitutorum à religiosis viris fratribus, & Conuentu Monasterij S. Ambrosij de Eugubio Ordinis Canonicorum Reg. S. Augustini prædicti ex instrumento rogato sub die 28. Mensis Februarij præsentis anni manu Adami Ser Ioãnis de Eugubio Notarij publici. Qui fratres Stephanus, & Dominicus antedicti, auditis omnibus, & singulis per ipsum D. Franciscum Priorem, vt præfertur, expositis, dixerunt supradicta omnia veritate fulciri: & deindè voluntariè, & sua sponte, tã pro salute animarũ suarũ, quàm vt possint, prout sperant, diuina gratia eisdem suffragante ipsis Monasterijs S. Mariæ de Rheno, & S. Saluatoris Bon. in diuinis laudabiliter deseruire, & cultum diuinum in eisdem augere, & sub bona obseruantia per se, & eorum successores ibidem perpetuò conseruare, obtulerunt se paratos in eisdem Monasterijs vnitis pro se, & alijs eorum Canonicis dicti Monasterij S. Ambrosij, & ex eorum legittimo Mandato, & cum voluntate, & beneplacito dicti D. Prioris quam diù vixerit; & cum licentia ipsius R. P. D. Episcopi in hoc auctoritate

Apo-

Apostolica specialiter suffulti, in ipsis Monasterijs se locare,& cum obseruantia institutorum dicti Monasterij S. Ambrosij manere, & in prædictis omnia obseruare, & adimplere, prout idem D. Episcopus auctoritate Apostolica prædicta decernendum duxerit, ac statuendum.

Executio per Epis. Bon. litterarum Apostolicarum, & vnionis demandata.

QVi R.P.D. Nicolaus Epis. antedictus visis litteris Apostolicis antedictis,& earum tenore diligenter recensito, & auditis omnibus,& singulis expositis, narratis, & petitis tam per dictum D. Franciscum Prioré, quàm per dictos fratres Stephanum, & Dominicum de Senis Canonicos, & Procuratores prædictos, & eorum mandato legittimè super predictis viso,& examinato: & super his omnibus,& singulis,ac eorum circunstantijs vniuersis,prout rei qualitas requisiuit, habita informatione diligenti,per quam reperit prędicta in dictis litteris Apostolicis enarrata,& alia per ipsum D. Franciscum Prioré, vt supra proposita, veritate fulciri. Attendens bonam voluntatem, & affectionem, quas gerit idem D. Franciscus Prior circa reformationem dictorum suorum Monasteriorum,& augumentum diuini cultus in eisdem. Attendens etiam affectionem dictorum Canonicorum, qui offerunt se, & eorum successores in ipsis Monasterijs locare, ipsaq; reformare,& in eisdem sub bona obseruantia regulare vitam ducere. Attendens etiam diuinum cultum multipliciter augeri debere: Volens tam ipsius D. Prioris, quàm Canonicorum prædictorum puris, & sinceris votis animi confouere, eisdem Canonicis transeundi ad dicta Monasteria, retento habitu, & obseruantia dicti

Mona-

Monasterij S. Ambrosij: & in illis etiam iuxta consuetudines, & instituta ipsis, & dicto Monasterio S. Ambrosij per Sedem Apostolicam concessa, confirmata, & approbata, viuendo, & incedendo, auctoritate Apostolica, & omni modo, iure, & forma, quibus magis, & melius potuit, licentiam fuit elargitus, etiam in vita dicti D. Prioris, si, & prout ei placuerit: & alias, vel alio modo non. Statuens, & decernens idem D. Episcopus auctoritate Apostolica antedicta, vt omnis libera administratio Monasteriorum prædictorum nihilominus ad dictum D. Franciscum Priorem, & quamdiù ipse vixerit, in spiritualibus, & temporalibus liberè spectare debeat, ac etiã pertinere, ita quòd in eius vita nullo modo de, & super prædictis aliquam habeant, vel habere possint potestatem ipsi transeuntes in vita dicti D. Prioris. Et subsequenter præfatus D. Episcopus Monasterium S. Ambrosij prædictum, cuius, & dictorum vnitorum Monasteriorum fructus, redditus, & prouẽtus sexcentorum Florenorum auri secundum communẽ æxtimationem, valorem annuum non excedunt, cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis eisdem Monasterijs S. Mariæ de Rheno, & S. Saluatoris Bononiensis auctoritate Apostolica antedicta, vniuit, annexit, & perpetuò incorporauit: & ipsa in perpetuum auctoritate præfata ex nũc ad inuicem, & de cætero vnita, annexa, & incorporata esse decreuit. Statuens, & decernens, vnionem huiusmodi per mortem dicti D. Francisci Prioris solum, & dumtaxat; vel ipso viuente, cum fuerit declaratum per ipsum D. Episcopum de voluntate, & consensu dicti D. Prioris, dictam vnionem habere locum, & non ante plenum sortiri effectum. Ita quòd post ipsius D. Francisci Prioris mortem, vel declarationem, de qua supra, immediatè prędicta Monasteria S. Mariæ de Rheno, & S. Saluatoris per eosdem, & alios Canonicos dicti Monasterij S. Ambrosij in suis habitu, & obseruantia, & iuxta consuetudines;

&

& instituta ipsis,& seu dicto Monasterio S. Ambrosij, aut eorum Ordini per Sedem Apostolicam concessa regantur,& spiritualiter,ac temporaliter perpetuò gubernentur in omnibus,& per omnia post, & sicut superius continetur. Quòdq; Canonici in dicto Monasterio residentes pro tempore,quotiescumq; fuerit opportunum Priorem dictorum Monasteriorum eligant secundum formã, modum,& conditiones eorum alijs Monasterijs eiusdem Ordinis per Apostolicam Sedem concessis, videlicet quòd Prior eligatur à maiori parte Conuentus Canonicorum dicti Monasterij vocem habentium in Capitulo: Et quòd per electores prædictos dicta electio præsentetur Diœcesano, vel eius vices gerenti. Qua præsentatione facta intelligatur ipse Prior sic electus, auctoritate Apostolica confirmatus: cuius officium semper intelligatur finito anno expirare,nisi per maiorem partem fratrum,siue Capituli prædicti vocem habentium in dicto Capitulo fuerit determinatum,ipsum in dicto Prioratus officio permanere, vt plenius in eorum priuilegijs continetur. Quodq; Canonici dicti Monasterij tempore debito deferre debeant Tunicam,& Rochettum albos,cum scapulari albo de super, & euntes extra Monasteria ad populum, super Rochetto Cappam nigram cum Capucio nigro appenso Cappæ. Ipsorumq; Monasteriorum liberam administrationem,post ipsius D.Prioris mortem, vel declarationẽ, de qua supra, eisdem Canonicis, & eorum successoribus assignauit,& ad eosdem ex tunc in futurũ perpetuò pertinere decreuit. Quòdq; omnium ipsorum Monasteriornm S. Mariæ, & S. Saluatoris Bononiæ gubernatio, & administratio ad eundem D. Franciscum Priorem, & quamdiù vixerit, vt supra dictum est,absq; vlla intromissione Canonicorum prædictorum interim spectare debeat,& liberè pertinere,prout, & sicut supra dictum est,vel donec fuerit declaratum,vt supra. Reseruãs

tamen

tamen idem D. Episcopus Executor antedictus plenariã potestatem in prędictis,& pro executione litterarum prę dictarum de nouo prouidendi,statuendi,& declarandi,si, & quoties eidem D. Episcopo videbitur conuenire pro bono statu Monasteriorum prædictorum , & ipsorum administratione,ipsis Canonicis,& eorum successoribus assignata. Et vigore præsentis vnionis post ipsius D. Prioris mortem,vel declarationem,de qua supra, ad eosdem peruentura,vt præmittitur, per præsentes facta, & reseruatione administrationis dictorum Monasteriorum S. Marię de Rheno,& S.Saluatoris Bon.eidem D.Francisco Priori , & quamdiù vixerit plenariè reseruata , & donec aliter fuerit declaratum , vt supra. Super quibus etiã dictus D.Episcopus reseruauit sibi potestatem de nouo corrigendi,& latius terminandi, & declarandi, prout sibi videbitur pro bono pacis,& sustentatione Monasteriorum prędictorum. Mandans pręsens Instrumentum ad maioris roboris firmitatem sui sigilli pontificalis appensione communiri. Acta fuerunt prædicta omnia Bononiæ in Episcopali Palatio in Cappelletta parua iuxta studium dicti D. Episcopi; pręsentibus honesto viro D. Ioanne de Magnanis Rectore Ecclesiæ S. Lucię de Bononia: Rainaldo quondã Ser Comacini de Formaglinis Ciue Bonon.& Alberto quondam Iacobi de Grifonibus Ciue Bonon.Cappellæ S.Saluatoris testibus ad prædicta vocatis, adhibitis, & rogatis . Ego Philippus quondam Stephani de Formaglinis Ciuis Bonon.publicus Imperiali Communis Bonon.auctoritate Notarius prædicta omnia, & singula prout in notis, & rogationibus olim Marci Ser Rainaldi de Formaglinis Notarij defuncti de prædictis rogatus inueni vigore commissionis mihi factæ per D.Rodericum de Valentia licentiatum in iure Canonico Vicarium Generalem R. P. & D. D. Nicolai Episcopi Bonon. & Principis rogati per Ser Rolandum de Castellanis

lanis Notarium in millesimo quadringentesimo vigesimo tertio indictione prima, die vigesima tertia mensis Februarij sumpsi, scripsi, & fideliter exemplaui. Hic ideo me subscripsi, signoq; meo consueto in præmissorum fidem signaui.

Annotatio in errorem, & pro declarat.

PRAEFATVS D. Nicolaus Episcopus, qui etiã Princeps in Actis à Notario appellatur, vix tandem nono, post Martini Pontificis litteras datas, mense, commissum sibi negocium exequitur, ac perficit. Quod autem diutius id productum sit, illud in causa fuisse perhibetur. Nam dum hæc vnio tractaretur, ecce duo iuuenes à fratre Frãcisco Ghisilerio Priore sacro Congregationis habitu initiati fuerunt: alter sanè, qui frat. Iacobus Antonij Mediolanensis appellatus est, alter verò frat. Adeodatus Iacobi Martini de Seta Bon. quos profectò sub sequentis anni medio 1419. iam fuisse professos, constat ex processu quõdam facto manu Balthassaris Bartholomæi Ariuerij Bon. cui ambo vocales Capituli S. Saluatoris de Bononia interfuerunt. Paulò post etiam sub mense Maij huius anni 1418. alius eamdem Congregationem in ipsomet Monasterio ingressus legitur, & eodem habitu inuestitus, qui frat. Ioannes Guicciardini Iacobi de Greghenzano Bon. nominatus est. Legimus & ante hunc processum semper fuisse in Monasterio S. Saluatoris Canonicos, & Nouitios, ibi deseruientes Deo, ac præcipuè frat. Ioannem Georgij Bonon. frat. Iulianum Rentij Calliensem: & frat. Iacobum Nutij Florentinum; inter professos paulò post connumeratos. Quare pro comperto habemus ante huiusmodi peractam vnionem, in eo Monasterio apud ipsum

Ghisi-

Ghisilerium resedisse Canonicos: pluresq; interea etiam Nouitios, vt supra; ibidem fuisse, qui Priori perpetuo mox successerunt. Nota & incidenter hoc loco; Germanum præfati frat. Iuliani Calliensis, qui vocabatur Ioannes Rentij, Monasterium nostrum Calliense S.Petri construxisse. Hinc Ghisilerius nullam amplius de præfata vnione sollicitudinem, nec mentionem habebat: immò penitus recusare videbatur: quòd iam desperare non posset sui Monasterij propagationem: Maximè verò, quia malè sentiebat, quòd in litteris Apostolicis de habitu Ambrosianorum inibi conseruando cautius decernebatur. Quo scilicet contrarium sua petitio sortiretur effectum, longeq; à sua intentione alienũ. Obseruanda enim sunt hæc in præfata Ghisilerij petitione.

Primo D.frat.Franciscus Ghisilerius, solus quidẽ tum in Monasterijs suis Bononiensibus, & ex Canonicis omnibus reliquus factus; sed Prior tamen, & Canonicus eorum professus, ac viridis senectutis, quippe qui ab vnionis Ambrosianæ tempore vndecim totos annos vixerit, vniuersam in se vno Monasteriorum suorum familiam referebat, atq; reseruabat.

Secundo F.Fran.Ghisil. Martino Pontifici pro suis reformandis Monasterijs, atq; redintegrandis supplicat: Ambrosianos Canonicos in sua Monasteria vocat, & recipit: non vocatur ipse, neq; recipitur ab illis: at iure potior est, qui vocat, & recipit, quàm qui vocatur, atq; recipitur ab alijs.

Tertio Monasterium S. Ambrosij Eugubini tàm per Ghisilerium, quàm per Ambrosianos, cum Bononiensibus vniri tùm in Martini bullis, tùm in Nicolai processu, non contra, hæc cum illo petuntur.

Quarto Nicolao Episcopo facultas in his omnibus mãdatur primùm Canonicos Ambrosianos in Monasteria Bononiensia transferendi, & cũ ijsdem Igubini Ambrosia

norum

norum vniendi, non contrà. At ſimili modi antiquior planè, cui vnitur, quàm quod vnitur, ratio videtur.

Quinto Monaſteria ipſa, & eorum perſonas in capite, & in membris, atq; Ordinem ipſum, & Canonicam in ijs diſciplinam reformandi, & corrigendi, non extinguendi, ac ſupprimendi.

Sexſto prætereà tranſlatandi Canonici Ambroſiani, & ipſi petunt ſe in Monaſteria Bononienſium ad diuinum cultum, Canonicamq; diſciplinam ſubdi, atq; locari (vt hinc ſubiectos intelligas, non ſuperiores) tum apud Martinum Pontificem, tùm apud Nicolaum Epiſcopum.

Hæc ſunt, quę Ghiſilerij animum à præfata vnione protrahebant. Stephanus mordicus tenebat, nec dimittere habitum ſuum vllo pacto in animum inducere poterat; verumtamen tranſacta tamen aliquando res eſt pró Epiſcopi reuerentia, atq; prudentia: & reformatio, ac redintegratio Monaſteriorum Bononienſium, & S. Ambroſij Eugubini fuit peracta: & Congregatio ipſa Diui Saluatoris à præfato Nicolao Epiſcopo Commiſſario Apoſtolico infraſcriptis modo, & ordine conſtituta.

In primis Canonici Ambroſiani in Monaſteria Bononienſium transferuntur etiam in vita D. Franciſci Prioris concedentis, reſeruata ipſi tamen adminiſtratione Monaſteriorum, vt erat, perpetua. Deindè Monaſterium S. Ambroſij vnitur Monaſterijs Bononienſibus videlicet S. Mariæ de Rheno, & S. Saluatoris. Tum verò Prioratus Monaſteriorum ipſorum Bon. qui hactenus ab initio fuerat perpetuus (vt ferè dignitates omnes etiam Clauſtrales id tẽporis eſſe conſueuerunt) fit à morte Ghiſilerij annuus iuxta recentem Ambroſianorum inſtitutionem, ac diſciplinam; quæ iam tum communis clauſtralium omnium, ac Regularium, non Ambroſianorum peculiaris eſſe cœperat. Poſtremò hunc in modum habitus, & veſtimenta decernuntur: Tunica linea, ſiue Rochettus cõmunis vtriuſq;

& Canonicorum omnium naturalis habitus retinetur. Cappa nigra, quæ Ambrosianis adhuc fuerat grisea, & tunica lanea alba sub Rochetto, quę nulla apud Ambrosianos memoratur, vel grisea præsumitur, à Bononiensibus desumitur. Ab ipsis verò Ambrosianis Cuculla, siue scapulare, attamen in album colorem, ad voluntatem Ghisilerij transmutata. Portabant quidem Canonici de Rheno super Rochettum inter domesticos parietes Paludamenta super humeros, siue Almutias magnas laneas albas, vt diximus in primo libro, & vt in eorum Constitutionibus de vestimentis, & calceamentis, ac lectualibus fratrum cap. 21. constat: & his vtebantur in ęstiuo tempore: gestabant autē in hieme Diploidem genus quoddam vestimenti ad instar illius Florentini Luccus, vel Lucensium Nobilium habitus, vel sanè ipsius scapularis. Forma huiusmodi habitus dictorum Canonicorum S. Marię de Rheno habetur in quadam Icona ex ligno confecta, ac auro, varijsq; Dedala manu ornamentis decorata: quæ rappresentat B. Mariam Virginem in actu suæ coronationis à filio, ad cuius pedes videtur vnus prædicti Monasterij Canonicus cum habitu suo, nempe Rochetto Romano, Cappaq; lanæ nigri coloris à parte anteriori tantum aperta, quantum sufficit ad ostendendas manus: in reliquo verò per totum clausâ ad instar capparum S. R. E. Prælatorum, ad quorum etiam similitudinem habet coronam capitis patentē integram, iunctis manibus, ac genua flectens, prædictam Virginem, & eius filium adorans: & hæc Icona erat ad altare maius præfatæ antiquissimę Canonicæ ante eius desolationem, & ruinam. Postea translata fuit in D. Saluatoris de Bononia, & in Altari D. Thomæ Martyris reposita: Inde asportata in D. Blasij de Sala; tandem ad Canonicam ipsam Rhenanam, nouissimè restitutam, reportata fuit consilio, & iussu nostro, cū essemus anno 1601. Prior dicti S. Saluatoris de Bononia, & in

Sacristia eius Ecclesiæ de Rheno decentissimè accommodata. Verum scias,non esse integram in omnibus,vt erat, in antiquis partibus suis huiusmodi Iconam; ea tantùm pars est,quæ in superioribus consistebat.

In reliquis postea omnibus obseruantijs, cum nulla ferè differentia extiterit,eadem disciplina confirmata fuit. Et attende, quòd obseruantia est principaliter circa tria essentialia, quæ D. Augustinus,vt dictum est in primo libro,nuncupat sanctitatem in sermonibus Canonicis,& in speculo siue in Regula. Idem in sua facit Damianus. Dicitur etiam illa districtio, quæ versatur circa rigorosiorem in religiosis disciplinam,pro qua habent diuersi diuersas Constitutiones præter regulam. Vbi ergo in ipsis litteris Apostolicis dicitur: Retentis habitu,& obseruantia; intelligendum est de habitu essentiali, & de obseruantia pro tribus essentialibus,quę numquam in eodem Ordine Alterantur. Inferius verò,vbi dicitur; De habitu, & de obseruantia,quibus se personæ illæ pro tempore coaptare debeāt: vide de hoc verbo coaptare in Glos. cap. recolētes de Statu Monac. Etiam super illorum alteratione, & mutatione datur facultas in præfatis litteris Commissario Apostolico. Vbi intelligitur de habitu exteriori, siue superiori,scilicet de Cappa,cuius color mutatus fuit ex griseo in nigrum vigore pręsentis decreti Apostolici: Talis verò habitus non est,vt diximus,de substantia Ordinis,cuius maior diuersitas fuerat apud antiquiores, vt habetur ex Constitutionibus Benedicti 12. de quibus supra: & ideo potuit alterari,ac penitus etiam dimitti (si placuisset) absq; tamen infectione, & alteratione habitus essentialis ipsius Ordinis. Et obseruantia idest circa Constitutiones,quæ quotidiè in vnoquoq; Ordine alterantur, & immutantur: de quibus vide Glos.cap. Deus qui: de vita, & honest.Cler. Quæ dicit, auctoritatem Papæ esse exceptam,etiam in professione,quantum ad solemnitates, nō

quo ad Ordinis substantiam. Sed vestes omnes, præter lineam tunicam in Canonicis Reg. spectant ad solemnitatem: quare alterari possunt, atq; immutari. Vide etiam quid intelligat Abbas super eodem cap. de habitu, & proposito, quod est hæc obseruantia: & quo modo coaptatio eiusdem habitus, & obseruantiæ conueniat in singulo quoq; Monasterio. Hactenus de vestimentis, & eorum compositione.

Pro titulo autem Congregationis conuenere citius: nã maximè vtrisq; acceptus fuit is profectò Saluatoris; in quo etiam Ghisilerius potiorem partem habuit: sublato enim Ambrosianis Monasterio S. Saluatoris Ilicetano, quod fuerat fundamentum eorum Congregationis, & institutionis: Bononienses quidem suum S. Saluatoris in Ciuitate alacrius præstiterunt in vniuersalem titulum Congregationis, ac principalem Conuentum: quemadmodũ etiam ipsi Ambrosiani Martino V. fore supplicarunt per hæc verba in ipsa supplicatione post longam narrationẽ, videlicet: Dignetur sanctitas vestra præfata omnia, & singula prædicta ex certa scientia, & Motu proprio habere rata, & firma, & ea validare supplendo omnem defectum, si quis in eis foret, & de nouo disponere, & concedere, quòd dictus Prioratus S. Saluatoris Bononiæ, & S. Mariæ de Rheno sit caput dicti Ordinis: & ipse ordo cum habitu, & Constitutionibus supradictis, & priuilegijs antedictis nominetur fratrum S. Saluatoris, vti per prius vocabatur ordo fratrum Constantium Canonicorum Regularium S. Augustini, sub Priore Generali regendo secundum modum constitutum per præfatum Episcopum Bononiensem, Commissarium Apostolicum, & ipsi Ordini, & Prioratui, & fratribus Canonicis Reg. prædictis personis, & Conuersis ipsius; & ipsorum tam præsentibus, & futuris; & tam locis habitis, & habendis: Et se dicto Ordini, & Prioratui submittendis vbicumq; erunt, & cum om-

nibus

nibus acquisitis,& acquirendis; & tam Capiti,quàm mẽbris præsentibus, & futuris concedere omnia priuilegia concessa,& immunitates,de quibus fit mentio supra,& in relatis dictis litteris Apostolicis continetur: & quæ auctoritate Apostolica cõcessa fuerunt,& indulta ipsis, & Prioratui S.Saluatoris de Sylua Lacus Diœcesis Senensis cum omnibus sequutis exindè: & illis vti valeant,possit,& debeant: & quæ quacumq; auctoritate fuissent concessa Ordini fratrum Eremitarum S.Augustini, & Canonicorum Reg.& fratribus, locis, & Monasterijs eorumdem, prout ipsis,& dicto Prioratui de Sylua Lacus auctoritate Apostolica fuerunt concessa, &c. Quæ omnia diffusius videri possunt in scripturis antiquis Monasterij Eugubini,vt refert frat. Franciscus Vandinus Eugubinus in suis Notationibus.

Quibus ita compositis,statuit tamen idem Episcopus, & Commissarius Apostolicus,nullam vnionem huiusmodi consecuturam esse nisi à Ghisilerij obitu, effectum: aut ibi, & quatenus placuisset ipsi Ghisilerio viuenti. Quod tamen quam primum placuit; siquidem ipsa confestim inita vnione, atq; redintegratione, Ambrosiani aliquot in Monasterio S. Saluatoris Bononiensis asciti fuerunt; atq; ad Dei cultũ,Canonicasq; obseruationes cum magna Ghisilerij voluptate, atq; lætitia recepti. Deniq; summam sibi Episcopus Nicolaus reseruauit facultatem rursus alia prouidendi, statuendi, declarandi, corrigendi, & decernendi super vnione, ac reformatione prædictis arbitrio sui.

✠

Contra impugnantes huiusmodi Reformationem.

VERUM, quia non defuere, qui nostræ huius Congregationis exordia, non à Rhenanis, sed ab ipsis Ambrosianis desumenda falsò, vel suspicati sunt, vel inuidè magis obiecerunt: nosq; superbiæ causa potius in Francisco Ghisilerio ex familia Bononiæ antiqua, & perillustri; tādem etiam summo Pontificatu in Pio V. dignæ: quam in frat. Stephano laudare vnionem, successionemq; deducere: quasi despectum habentes Patrem Stephanū, quod ab humiliori Eremitanorum, atq; Mendicantium dogmate prodierit: & cuius maiorum fortuna ignoratur: Nam si scrutari volueris, quis eius genitor fuerit; Ioannē inueneris, patria Senensem, nec vltra aliquid reperire poteris: hoc vno solo Patris, & Patriæ cognomine discretus ab alijs. Quod institutum à maioribus receptum nos illibatum sub omni fide hactenus conseruamus: vt translati in nouam hanc familiam Saluatoris per adoptionē, quæ est ab ipso Christo Iesu: cognationi paternę penitus renunciemus: in qua singuli nobiliores existimus meritorū nostrorum propria virtute: ita Patri Stephano suæ virtutis merita satis honori fuere. Hunc ipsum vsum Apostolorum fuisse legimus: vt Petrus, & Andræas Ioannis à Bethsaida Iudææ. Iacobus, & Ioannes Zebedæi ex eodem viro: & ante Apostolatum Piscatores tantum scribuntur. Quis verò fuerit Zebedæi, vel Ioannis priorum Patris genitor: cuiusuè fortunę scriptura prætermisit Stephani autem præfati superiorem sortem Annales nostri manifestam faciunt: illum sub professione Eremitica prius Deo militasse. Ante hanc professionem nihil meminerunt. Iis profe-

profectò hominibus licet iam septuagies septies declaratum fuerit, Pontificem ipsum Gregorium 12. cuius laus est apud omnes Ecclesias; & sanctitas religionis probata est apud Constantiense Concilium, eam Stephani primariam reformationem commentum fuisse, atq; excogitatã illo suo mentis ex arcano tãdem deprompsisse, atq; vltrò erexisse, vt omnia eius testantur Decreta quæ in superiori libro congessimus; quibus, & Martinus V. illius primus successor, multa adijciendo, fidem facit. Non autem fratrem Stephanum, virum profectò sanctissimum, atq; laudatissimum fuisse vllo modo eius auctorem, vel reformatorem. His inquam non obstantibus, nouissimè sic respondemus. Esto, quòd frat. Stephanus sit ipse nostri prothoparens, noster ipse dicatur institutor; nunquid talem ob progenitorem gloria nostra esset condita sub silentio? Nonne de Christo ipso asserit Chrisostomus in Hom. 3. super Matt. dignitatem eius refulgere: non quia magnos ille progenitores haberet, atq; potentes; sed quia potius exiguos, ac viles? Sed quid, obsecro, refert, quòd in nostris, aut alijs Auctores, quos Spiritus Sanctus ad hoc opus assumpserit, fuerint laici, Conuersi, Mendicantes, ignobiles, humiles, noui, & mundo despecti, an verò Pontifices Maximi, Imperatores, Cardinales, Reges, Principes, Episcopi, seu quorumuis Ordinum religiosi etiam antiquissimi? Quid nostra inquam refert, si alios Cephas, nos Appollo, siue Paulus baptizauerit? Non ne carnales sumus, qui hęc secundum carnem, & non secundum spiritũ metimur? Non ne spiritus ipse vbi vult spirat? Non ne ipse idem artifex, qui armentarium Pastorem sicomoros villicantem, Prophetam fecit? Non ne abstinentem puerum, & qui Citharedum impleuit? Non ne qui Saulem asinas patris quærentem inter Prophetas compulit; & ex ignobilissima Tribu, in primum Regem super Solium Israelitici Populi sublimauit? Non ne qui publicanum Euange-

listam: qui humiles piscatores maximos Prædicatores; qui nefarios persecutores in auctores, & Doctores præcipuos Ecclesiæ dedit? Qui dudum sibillas; qui vtriusq; instrumenti tot mulieres, tot puellas, cælesti sapientia, & suo numine imbuit? In hoc sanè concluditur; non magnũ esse magnos habuisse Patres, sed magna egisse: neq; gloriandum in multitudine sanctorum domus, vel patriæ, sed bonorum operum suorum, & meritorum: illumq; esse Ordinis dignioris, qui vitæ fuerit sanctioris. Culpam ne ipsi Gregorio Pontifici alioquim sapientissimo imputabimus, quod scilicet ad reformandum Ordinem Canonicum potius fratres Mendicantes, quàm Monacos, aut Clericos, aut sęculares in altiori gradu positos, elegerit? Quid igitur si hos auctores in Episcopos, vel superiores Prælatos (quod fit quotidiè) assumpsisset? Quid si, vti Anacoreta ille Cælestinus lecti fuissent in maximos Pontifices? Tunc nempè nec dogmatis, nec habitus mutatio ex hac promotione repręhenderetur, quæ nulla ambitione, nullamue largitione, seu corruptela, sed sola Paracleti dispẽsatione consecuta fuisset. At profectò eodem solo numine cooperante illi Patres, haut minus irrepræhensibiles, videntur promoti ex Mendicantibus Canonici Regulares, & auctores nouæ Canonicæ Congregationis, & multò sanè dignioris dogmatis, præsertim inopinati. Non enim (vt Calumniatores quidam scribunt) compulsus R. P. Stephanus ad eam habitus mutationem ex altercatione cum suo Generali, ob nescio quam iuuenum iacturam, ante habitam, deuenit: sed pro noua Congregatione cõdenda gradum, & ordinem illum dignorem assumpsit promouente eum vltrò Pontifice Max. sub nouum habitum, quem & proprio consilio decreuit. Improbarentur fortasse, si vltrò ex vna Congregatione, seu Ordine, sub alterum se per nouam professionem temerè transformassent: quod tamen absq; culpa D. Antonius, & D. Nico-

lanus Tolentinus fecerunt ex nostris Canonicis: fecerunt item pleriq; alij, quibus id tum passim licitum fuerat: cũ sub id temporis transitus quam facillimus foret de vno Claustro ad alterum. Transiuit quoq; dehinc ad nostros sub eorumdem Patrum disciplinam dignus perpetua laude, ac memoria frat. Petrus Pauli Senensis, qui prius, vt dictum est, inter Prædicatores sub Ordine Mendicantium fuerat sacræ Theologiæ Magister; cuius vita in ea noua disciplina apud Patres illos adeò probatissima inualuit; vt post eius Patris Stephani in superos recessum: sextum continuum Generalatum gesserit, vlteriorem protracturus, nisi in eo anno sibi decedere contigisset; cum tamen à principio Magistratus ille annuus foret. Is cum ob transitum huiusmodi à quibusdam ex suis superioris Ordinis redargueretur: licuit, inquit, D. Dominico Patri vestro ex Canonico Regulari submittere se in Mendicantem eo tempore, quo Canonica obseruantia maximè declinauerat; item mihi, & multo magis, licet ex Mendicante euchi in Canonicum Reg. sub hanc eius nouam reformationẽ, sublata modò Patris vestri omnis prorsus disciplina (Nõdum enim reuixerat eius Ordinis presens reformatio) qua sapientissimi Patris responsione os quoq; oblatratorum oppilatum est, vt iam aduersus Patrem Stephanum, & socios ex huiusmodi Diui exemplo hiscere non valeãt: cum rationabilius potuerint ex Mendicãtibus regulares fieri Canonicos pro fundanda noua regularis Congregationis institutione: promouente vltrò presertim, vt sæpius iam dictum est, summo Pontifice, cui parere necesse fuerit. Nec illis propterea, sicuti nec D. Dominico iterum profiteri contigerit; nisi forsan in his eam habitus, & Dogmatis commutationem nouam, fuisse tacitam professionem vtcumq; censueris; sed Gregorius neq; illum elegit; antiquam sanè religiosę vitæ consuetudinem, atq; disciplinam anxius exquirebat. Hos itaq; vocauit, in quibus

reten-

retentam, atq; firmius conseruatam, non absq; stupore tũ temporis flagitiosissimi Dominus ostendit.

Ita quidem si quis domum collapsam instaurare velit, non duces bellorum, aut Doctores, aut summo ex Magistratu Senatores: at Cementarios, Fabros, Murarios, Lignarios, atq; Ferrarios ad id operis conducit. Similiter igitur ad reformandam Religionis obseruantiam, maximè verò Canonicam, prudentissimè non omnibus, quamuis aliàs honestis hominibus; sed probatæ pietatis, humilitatis, atq; conuersionis viris commendatum munus huiusmodi fuit. Addo postremò. Et quis doctus, vel etiam Christianus consequentiam istam admittat: Fratres erãt Mendicantes, ergo viles? Non ne ipsi quoq; Mendicantiũ Ordines ex Canonica plantatione, quasi exemplari quodam, & deliciarum Paradiso quatuor flumina, Gion, Phison, Tigris, & Euphrates, quatuor scilicet] Mendicantium Ordines originem traxerunt? Ordo quidem prædicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum; qui sub exemplo, & prædicatione vniuersam superficiem Ecclesiæ tamquam rosea flumina irrigare videntur. Sed qua tã dem ratione sunt Mendicantes; nisi quia diuino lumine illustrati, ac edocti mendacibus his mundi abiectis diuitijs, religiosam paupertatem spontanei appetiere, vt hæredes fierent in domo domini? Quot Principes, quot Reges, quot summos Imperatores inter eos enumerabis, qui Coronas, & Sceptra spernẽtes huius sæculi, magis voluerunt vna cum ipsis beatam, perpetuamq; gloriam mendicare in Cælis? Huiusmodi sanè homines fateri oportet Cæsaribus ipsis longè nobiliores, atq; clariores. Dicant, oro, qui ex hac professione, tamquam ex tenui loco fratrum Mendicantium Congregationes in ipsis assumptas deprimunt: vnde nam prima Congregatio fidelium fuerit, qui nondum Christiani appellati essent, de quibus scri bit S. Lucas: Multitudinis autem credẽtium erat anima

vna,& cor vnum in Deo: Non ne ex humillimis Piscatoribus(quod ante præmisimus) victum ex ea arte sibi Mēdicantibus, sub quorum tamen insignibus Pontifices summi adhuc perseuerant? Non ne ex ipsis fratribus Mendicantibus in eum amplissimum Ordinem Pontifices Maximi pleriq; prodierunt, viri (si viros appellare fas est) in omni sanctitate,& scientia probatissimi ? A quibus multiplici priuilegiorum prærogatiua Claustralium omnium Religio,& præsertim Canonicorum Reg. aucta, & decorata subsistit. An fortasse honorabilius censendum est, quamlibet huiusmodi Congregationē ex laicis, quàm ex Religiosis Auctoribus excitari? Laici Paulus,& Antonius apud Christianos, speluncas,& vastas solitudines, ac loca penitus deserta primi incoluisse leguntur: Anacoretarū simul,& Eremitarum auctores. Basilius ille Magnus Monachalem Ordinem primus inter Monasteria coegisse Episcopus scribitur. Augustinus Ordinem Canonicum sub Apostolicis,& D. Marco institutum Præsbiter instaurauit. Benedictus Laicus sumpto licet habitu sanctæ conuersationis Romano(vt innuit Gregorius) alterius Monachalis Ordinis Patrator fuit. Dominicus religiosus; Franciscus Laicus primos Mendicantium Ordines instituit, frat. Iacobus Brixius in Ordine Prædicatorio humilis Conuersus , alterius Congregationis Canonicorum Reg. auctor fuit (si eos auctores nuncupamus , qui in eis primum sibi locum, primosq; labores vendicarunt . An igitur illam deterioris conditionis censebimus, quia eius auctor religiosus, non laicus prius extiterit ? Nunquid laicum hominem viro religioso potiorem dixerimus ? Alexander 4. mendicitatem fratrum Minorum, & Prædicatorum esse meritoriam declarauit. Nicolaus 3. in declaratione Regulæ fratrum Minorum, quod paupertas prædictorum fratrum, quæ abdicat proprietatem omnium rerum tam in particulari, quam etiam in communi propter

Deum,

Deum, sit meritoria, atq; sancta, omninò determinauit. Nos igitur (vt post longam circulationem redeamus ad punctum) minimè quidem Stephanum auctorem nostrũ facimus, quod priorem eius mendicitatem erubescamus; verum quia rei prosequimur veritatem. Stephano damus laudem: at Ghisilerio non defraudamus iurisdictionem: quando scilicet honor principali debetur, non accessorio: resq; vnita semper ea, cui vnitur, est inferior: quodq; alij aggregatur, eius naturam imitari tenetur ib. 9. 1. cap. & ne temporis. & extra. ne sede vacante cap. 1. Hoc in sũma est verissimum, Ambrosianos Canonicos à suo Ambrosiano Conuentu in Monasteria Ghisilerij transisse, translatosq; fuisse, ac simul cum ijs Ambrosianum spontè, atq; liberè vnitum. Quamobrem licet id certis conditionibus, & modis factum dicatur: attamen vi transitionis, & vnionis statuendum videtur. Ambrosianos, eorũq; Monasterium in naturam transisse Bononiẽsium, ad quos transierunt, & quibus cum vniti, & copulati sunt. Hæc autem omnia colliguntur ex prædictis tum Martini litteris, & processus instrumento Nicolai Episcopi: tum Lancellotti, & Parentij scriptis: nec non ipsius Ghisilerij publicis tam ante, quàm post Ambrosianam vnionem editis documentis. Magis autem clara sunt hæc apud iuris vtriusq; doctores. Franciscus vnit, Stephanus vnitur; ergo à Francisco totius vnionis gratia, vel etiam gloria desumitur. Et sicuti Mintio postea quam effluxit in Padum, amplius non est ei nomen: ita nec Stephano postquam se transtulit in Franciscum. Et si Capa capit omnes: ex assumptione Capæ Bononiensis, dimissa Ambrosiana, restat Monasterium S. Saluatoris de Bon. caput omnium. Et si dixeris fortasse, ob mutationem tituli Congregationis Bononienses Canonicos amplius non esse Rhenanos, sed Ambrosianos; errabis & in hoc. An non Tyberinus Fluuius est qui priusquam in eo immergeretur Rex ille Etru-

ſcus Albula nuncupabatur? An non Papia eadem Ciuitas eſt, quæ olim Ticinum? An non ipſa Bononia eſt omnibus bona, quæ olim ſine felle Felſina omnibus cara? Sic eadem ſemper, & vna Congregatio Domini Saluatoris eſt nunc, quæ olim, diuq; Rhenana fuit. Ex reformatione, docent ipſi Doctores, nõ dicitur immutatio, neq; innouatio: ſed illamet dicitur, quæ fuerat prius. Vide illos ſuper Clemen. relat. ne Clc. vel Mona. cap. quanto de off. ord. cap. inter quatuor. De relig. dom. cap. ne religioſi. De regul. cap. ea quæ. Et cap. cum ad Monaſterium de ſtatu monac. Attende inſuper, quòd ius vniuerſitatis conſeruatur, ne dum in paucis; ſed etiam in vno l. ſicut §. fin. ff. quod cuiuſq; vni. Nunquam igitur venerabile Rhenanorũ Collegium antiquiſsimum extinctum fuit, ſed nunc magis, ac magis floret. Collegium enim licet deſinat eſſe Collegiũ omnibus mortuis pręter vnum, nihilominus ius Collegij, ſiue vniuerſitatis remanet in illo per l. d. ſicut municipij. §. vlt. Et hoc idem dicunt Laur. Vinc. & Tan. ſunt verba Gloſ. ex cap. Gratum de poſtul. Prælat. Ghiſilerius igitur in Ambroſianis Canonicis omnia, quæ fuiſſent ſui Monaſterij antiqua, renouauit; nouaq; ſimul cum eis ſtatuit, quibus iam fundata Congregatio adminiſtraretur. Quibus in primis decernẽte Martino V. eius ſuæ gentis Birrum præmiſſum perpetuò geſtandum dedit, priore abieiſſamoto: quo quidem veluti inſigni manifeſtiſsimo ſui Monaſterij inditium compertum fecit firmatæ in eis perpetuæ ſucceſsionis. Cum quibus plures quoq; annos in ea ipſa ſui Prioratus dignitate ſuperſtes fuit. Interim multis ex nobilioribus conciuibus ſuis in Canonicos ibidem ſub eã nouam reformationem initiatis; qui eo poſt decennium de medio ſublato, mox in Priores annuos in hunc vsq; diem, alijs inuicem ſuccedentibus, electi fuerunt. Anno videlicet Saluatoris 1419. frat. Nicolaus Iacobi Martini Bonon. Nouitius in Monaſterio S. Ambroſij de conſenſu

R. P.

R. P. Stephani, qui Prior appellabatur S. Ambrosij, & S. Saluatoris, testamento hæredem suum instituit Simonem fratrem ea conditione, vt infra annos tres persolueret R. Patri, seu frat. Ioanni Antonij, seu frat. Petro Pauli, aut frat. Dominico Cioni senensibus Ducatos centum auri venetos, conuertendos in fabricam eorum Monasteriorum. Hæredi recusanti mox substitutum intelligeretur Monasterium S. Saluatoris. Constat huiusmodi testamentum scripturis Adæ Igubini tertia die Iunij. Is Nouitius fuit frat. germanus superioris fratris Adeodati; post quem, & alios tres leges eiusdem Congregationis sacris initiatos, ex eodem parente Iacobo Martino procreatos. Quod autem ea fuerit reformatio, ostendunt ipsæ litteræ Apostolicæ, ac ostendit processus eorum. In litteris quidem hæc scribuntur: Huiusmodi quoq; Monasteria, & illorum personas in capite, & in membris; prout reformationis officium expetere cognoueris, eadem auctoritate reformandi, & corrigendi, &c. In processu verò dicitur; Attendens Commissarius Apostolicus bonam voluntatem, & affectionem, quas gerit idem D. Franciscus Prior circa reformationem dictorum suorum Monasteriorum, &c. Et huius factæ reformationis in capite, & in membris noua repetitio fit à Martino V. in priuilegio Congregationi Mãtuę Dato.

Reformatio dicitur reparatio, quæ fit ex casu aliquo, aut vitio, re ad interritum declinante. Ita orat Ecclesia, vt dignitas conditionis humanæ per immoderantiam sauciata, medicinlis parsimoniæ studio reformetur. Ex cap. ne cler. vel monac. in verbo reformari. Reformatio nihil aliud est, nisi collapsorum ad pristinam formam reparatio, pro qua D. Augustinus adeo desudauit in Clericis, quatenus occultè collapsi à regulis Apostolorum, pro sententia Abbatis reformarentur in pristinum statum, & ne tam facilis lapsus in posterum pateret, fabricauit eis

Mona-

Monasteria, opuscula edidit imitatus Hieronymũ de moribus, & vita eorum, quæ non faciunt nouam speciem, vt inficiantur nõnulli, sed antiquam reparant vti Apostolis institutam; sicuti fit de quibuscumq; alijs reformationibus di. cap. relatum. Et cap. cum ad Monasterium de sta. reg. Et de eodem in sexto, & cap. sicut nobis in clem. de regu. Pro quo faciunt etiam alia plura, quæ breuitatis gratia ommittimus. Constituta itaq; hunc in modum sacra D. Saluatoris Congregatione, ac familia; & primis illius, vti dicebamus, iactis fundamentis: Canonici Ambrosiani illicò Ghisilerio facile concedente, ex Monasterio suo Bononiam translati, in Canonica, seu Monasterio D. Saluatoris Mundi (sic enim appellatum initio legimus, & ipsi postea plerumq; appellare consueuimus: nempè, ne ab homine quopiam mortali videatur, sed ab ipsomet hominum Saluatore, ac mundi Domino Christo desumptus titulus intelligatur) Rhenano iampridem bellorum incendio, ac vetustate, vt antea significauimus, ferè consumpto, atq; destituto, Deo piè, religioseq; famulari aggressi sunt: atq; interim Franciscus Prior sedulò rem administrans, ac prudenter, iuxta Apostoli doctrinam, vti bonus Pater cæpit filijs suis thesaurizare. Verum dum transitio hæc, vnio, atq; reformatio sub Nicolao Episcopo Commissario diutius penderet, atq; protraheretur, vt dictum est, Martinus V. idem Pontifex, perinde ac si res iam tum confecta litterarum suarum ratione foret, mense ferè sexto cum dimidio à Data suæ primæ bullæ, per aliam suam sub die 19. proximi sequentis Septembris, eidem Congregationi, & Canonicis S. Saluatoris amplissimum tribueret Priuilegium, quod vulgò dicitur Mare magnum: vbi omnia à Gregorio 12. Canonicis Ambrosianis anteà concessa, confirmauit, ob eam videlicet causam, ne vnionis, atq; transitionis Ambrosianorum ratione, abrogata

gata illorum Priuilegia viderentur. Bullarum quoq; suarum pro vnione S. Ambrosij cum Bononiensibus Monasterijs S. Mariæ, & S. Saluatoris, & pro omnium reformatione, ad verbum ferè mentione repetita: tum verò titulum Congregationis S. Saluatoris confirmauit, nimirum in Bononiensi Monasterio, cum longè anteà Monasterium S. Saluatoris à Sylua Lacus, siue Ilicetani, in quo primum instituti fuerant, & in quo titulum initio assumpserant Ambrosiani Canonici, & ius in eo quodcumq; Eremitanis fratribus liberè concessissent. Prætereà legem Prioris Generalis eligendi præscribit, præsupposita iam Capituli Generalis lege, quæ nulla adhuc lata erat, nondum S. Ambrosij decreta, atq; expedita vnione. Deniq; Canonicos in suam, ac
Sedis Apostolicę protectionem suscipit adem
pta prorsus alijs superioribus quibus-
cumq; in eos auctoritate, atq;
dominio per suas gra-
tias ad per-
petuam
rei memoriam. Sub Datum Mantuæ 14.
Kal. Ianuarij sui Pontif. anno 2. Anno
verò Domini 1418. Quas in
sequentibus integras
legere po-
teris.

✠

Priuilegium Martini V. quod Mare magnum dicitur. Cap. III.

Laconismum.

PRAESTAT omnes gratias, vt supra, &c. Et quod possit cogi Capitulum generale, Prioremq; Generalem constitui. Ipsi Capitulo omnia eius Congregationis subijcit; Canonicosq; eximit prorsus ab omni superioritate, & dominio cuiuscumq; Ecclesiastici, seu sæcularis: nolens eos à quoquam posse conueniri, præterquam à Sede Apostolica, seu eius Legato: cætera omnia confirmãs, quæ superior Gregorius eisdem concesserat.

Martinus Epis. ser. ser. Dei ad perpetuam rei mem. super gregem dominicum, nobis, licet immeritis, desuper creditum, vigilis extendentes speculatoris officium, in decore sacræ religionis sub qua dilecti filij Canonici, siue fratres S. Saluatoris nuncupati Ordinis S. Augustini, mundanis abiectis illecebris, deuotum, ac sedulum exhibent Domino famulatum, ingenti mentis exultatione reficimur: prospicientes potissimè, quòd ipsi per alta virtutum gradibus: per bonorum exercitium operum, & præclara sanctitatis præcedentes merita, cæteros ad diuinę Maiestatis obsequium trahunt per exempla, vitam ducendo pijssimam, diuinisq; laudibus, ex quibus gloria attolitur Altissimi, accuratius insistendo, & huic mundo mortui, Dominoq; Iesu Christo, qui vita est, viuentes in spiritu, pro vniuersorum salute fidelium superos flagitant incessanter: propterq; ipsos Canonicos, siue fratres, quos, & dictum Ordinem erga nos, & Romanam Ecclesiam singularis claritate deuotionis prælucere conspicimus: infra

nostri Claustra pectoris paternis contemplantes affectibus: circa fęlicem eorumdem statum feruentibus vigilamus studijs: & vt Deo propitio in pacis, & tranquillitatis agro locati, iugiter protegantur à noxijs, & incrementis salubribus ab omni conquiescant perturbatione securi. Illis quæ ad solidandam huiusmodi Religionis eorum integritatem, prouidè facta comperimus, vberioris præsidium adijciendo muniminis, ipsos apostolicæ libertatis prærogatiua, & exemptionis suffragio per amplius stabilimus. Dudum siquidem postquàm bo. me. Angelus in sua obedientia, de qua partes illę tunc erant, Gregorius XII. nominatus, per quasdam Domum eiusdem S. Saluatoris de Sylua Lacus Ordinis fratrum Eremitarum dicti S. Augustini Senensis Diœcesis, in Prioratum Conuentualem, auctoritate Apostolica erexerat; per Priorem sub anditione, & modo infrascriptis perpetuò gubernandum; volens, & eadem auctoritate statuens, quòd fratres in antea in eadem Domo residentęs, eorumq; successores qui essent pro tempore Canonici regulares, & secundum regularia instituta huiusmodi Canonicorum reg. deinceps viuere, & fratres S. Saluatoris nuncupari deberent; & quorumlibet sub scapulari Rochetum, superius autem Cappam grisei coloris lanę mordentis ad instar Capparum Conuersorum Cartusiensis Ordinis gestarent. Qua quidē cappa ipsi fratres vterentur, cum eos contigeret septa prioratus, seu domus huiusmodi ad populum, siue turbā exire. Adijciēs insuper, quod ipsi Canonici, seu fratres, qui regularem vitam eorumdem Canonicorum reg. pro tempore professi forent, sub eadem obseruantia regulari dictorum Canonicorum Reg. pro tempore in Domo huiusmodi residere possent, quoties opportunum foret (tamen iuxta eadē regularia instituta Canonicorum Reg.) idoneum fratrem, etiam eiusdē Ordinis professorem, in Priorem eorumdem, & dictæ Domus eligere. Qui post-

quam electioni de se factæ præstaret consensum, Diœcesano loci, vel eius Vicario in spiritualibus generali, qui esset pro tempore, per electores huiusmodi dumtaxat deberet reuerenter & humiliter præsentari. Qui postquam taliter præsentatus existeret; censeretur eo ipso à Sede Apost. confirmatus: & ex tunc dictum Prioratum in eisdē spiritualibus, & temporalibus liberè, & licitè valeret gubernare. Et qui quidem Prior semper vno anno completo intelligeretur absolutus, nisi tunc per maiorem partē eorumdem fratrum Domus prædictæ, in electione dicti Prioratus vocem habentium, determinatum foret ipsum Priorem in dicto debere Prioratus officio Domus eiusdē vlterius permanere. Quodq; dicta Domus Prioris solatio destituta per mortem Prioris eiusdem, vel aliquo alio casu eadem vacatione contingente: quòd durante vacatione huiusmodi, prædictum officium per antiquiorem fratrem dictæ Domus in Sacerdotio constitutum exerceretur quousq; noua electio alterius Prioris iuxta præfatum modum fieret, & ad effectum debitum perduceretur. Volens etiam ipse Angelus, tunc Gregorius 12. & auctoritate Apostolica pręfata concedens Priori, & fratribus, siue Canonicis, Conuersis, & personis, quos pro tempore in Domo huiusmodi residere contingeret: quòd ipsi potiri, & gaudere possent, & deberent liberè, & absolute omnibus priuilegijs, Indulgentijs, gratijs, exemptionibus, & libertatibus eis hactenus, ac Ordini fratrum Eremitarū, & Canonicis Regularibus huiusmodi, Monasterijsq; & locis eorum tàm per Sedem præfatam, quàm alios quoscumq; concessis: & quibus ipsi fratres Ordinis Eremitarum, ac cæteri Canonici Reg. & eorum Domus, Monasteria, & loca quomodolibet potirentur, & gauderent. Et subsequenter nonnullis fratribus Domus huiusmodi tūc, vt asserebant, in Domo ipsa habitare, & locum aliquem aptum, & idoneum pro Conuentu, seu Prioratu erigēdo,

inuenire nequeuntibus, fratres ipsos prædictum primum, vel alium quemcumq; locum non habentes, seu possidentes, & eorum posteros, vbicumq; ipsos esse contigeret, dummodò alias viuerent secundum eorum regularia instituta, conditionibus, modis, concessionibus, gratijs, priuilegijs, indulgentijs, exemptionibus, libertatibus per ipsũ eis concessis; vti, & gaudere posse per quasdam alias declarauerat. Ad eiusq; notitiam deducto, quod dudũ quidam Episcopus Eugubinus Eremitorium, siue Domum S. Ambrosij, situm in monte supra Burgum Faucis extra muros Eugubinos, in Prioratum erexerat: & nonnullos Eremitas nullius tunc ordinis existentes, qui in huiusmodi Eremitorio famulatum Altissimo exhibebant, dictum habitum regularem induerat, & voluerat, quod ipsi Eremitæ ex tunc fratres S. Ambrosij vocarentur, & eiusdem S. Augustini Regulam obseruarent, & degerent sub eadem; quodq; Prioratus ipse per Priorem à fratribus huiusmodi eligendum, per Episcopum Eugubinum existentẽ pro tempore confirmandum, perpetuis futuris temporibus regeretur, & etiam, quòd idem Prior, & fratres vnam librã Ceræ in signum subiectionis, & recognitionis superioritatis, & dominij, eidem Episcopo Eugubino tradere annis singulis, nec nõ Decimas, & alias impositiones, & onera, prout sæculares Clerici soluerent, soluere, & supportare in perpetuum tenerentur: prædictis Angelus tunc Gregorius 12. per dictas alias Eremitorium, siue Domum huiusmodi in Prioratum S. Ambrosij, vt præfertur, erectum, cum omnibus, & singulis pertinentijs, iuribus, & iurisdictionibus suis eidem Priori, & Canonicis fratribus nuncupatis S. Saluatoris, auctoritate Apost. prædicta concessit, & etiam assignauit; ac habitum, Ordinem, siue obseruantiam per dictum Episcopum Eug. prędictis Eremitis, siue fratribus S. Ambrosij concessos si qui essent, eadẽ auctoritate extinxit, ac suppressit in eodem; ipsumq;

Eremi-

Eremitorum,siue Domum in Prioratum Conuentualem huiusmodi Canonicorum reg.fratrum nuncupatorum S. Saluatoris,erexit; & voluit,quòd per Priorem, & Canonicos fratres huiusmodi nuncupatos, qui Rochetum albũ de panno lineo sub scapulari, & cappam superius grisei coloris lanæ mordentis ad instar capparum Conuersorũ Cartusiensis Ordinis iuxta ordinationem supradictam deferrent,eligendum,& Diœcesano loci,vel eius in spiritualibus Vicario præsentandum, perpetuis futuris temporibus gubernaretur. Nihilominus auctoritate præfata concedens,atq; decernens,quod Prior huiusmodi sic electus, ac eidem Episcopo Eug.vel Vicario præsentatus, intelligeretur existere,& esse eo ipso per sedem prædictam confirmatus, ac curam, regimẽ, gubernationem, & ministrationem Prioratus eiusdem tam in spiritualibus, quàm in temporalibus gerere,& exercere liberè,& licitè valeret, ac si per eiusdem sedis litteras fuisset ritè,& legitimè cõfirmatus Prioratum quoq; Conuentualem per eum, vt præfertur erectum, nec non Priorem, & Canonicos prædictos,fratres nuncupatos,præsentes, & qui pro tempore forent,cum ipsorum Conuersis, & personis eis ministrantibus,seu seruientibus pręsentibus,& futuris,ac omnibus, & singulis pertinentijs,iuribus, & iurisdictionibus supradictis, bonisq; mobilibus, & immobilibus ad præfatum Prioratum postremò,vt præmittitur,erectum,quomodolibet pertinentibus: quæ illi possidebant tunc, & dante Domino in futurum,largitione Regum, & Principum oblatione,seu alia pia concessione,seu erogatione fidelium, vel alijs iustis titulis possent adipisci, ab omni prædicti Episcopi Eug.& eius Capituli, ac quorumcunq; aliorum superiorum sæcularium,& Regularium,iudicum,superioritate,dominio,atq; iure; nec non à supradicta solutione vnius libræ ceræ,ac præstatione,& solutione, seu supportatione Decimarum,impositionum,& onerum prædicto-

rum exeruit, & penitus liberauit. Ac sub protectione B. Petri, & sedis prædictæ, ac suæ, imediatè suscepit. Et nihilominus singulis in eodem Prioratu postremò erecto, vt præfertur, degentibus, præsentibus, & futuris, quod ipsi omnibus priuilegijs, indulgentijs, & gratijs, eidem Ordini Canonicorum Reg. à dicta sede concessis, quibus alij Canonici Reg. seu ipsorum loca vbilibet constituta potirentur, & gauderent, vti, & gaudere possent, dixit concedendum. Tandem vero nobis, tunc diuina fauente clemētia, ad apicem summi Apostolatus assumptis; pro parte dilecti filij Francisci de Ghisilerijs Prioris S. Mariæ de Rheno propè Bononiam, & S. Saluatoris Bon. Monasteriorum inuicem Canonicè vnitorum, & per Priorem solitū gubernare, dicti Ordinis S. Agustini. Exposito quod licet retroactis temporibus in prædictis vnitis Monasterijs pleriq; dicti Ordinis Canonici Conuentum facientes residere, & sub regulari habitu, & obseruantia Domino famulari consueuissent diuini cultus inibi ferentes incrementum passim: tamen propter guerrarum turbines, aliasq; calamitates, quibus partes illę afflictæ fuerant: Monasteria ipsa eorum dispersis, atq; distractis facultatibus, & redditibus tantæ destitutionis, & desolationis subiacuere opprobrio, quod ex Canonicis dictorum Ordinis, & obseruantiæ, nullus tunc resideret, pauciq; reperiri valerent, residere acceptātes quomodolibet in eisdē. Quodq; dilecti filij Stephanus Ioannis, & Dominicus Zonni de Senis, ac nonnulli alij Canonici dicti Monasterij, siue Prioratus S. Ambrosij; aliorum tamen habitus, & obseruantiæ, in ipsis vnitis Monasterijs conuentualiter regulari castimoniæ subdi, diuinis quoq; inseruire, & intendere desiderarent; si eis, & eorum successoribus inibi sub huiusmodi eorum, vel alijs per ven. fratrem nostrum Nicolaum Episcopum Bonon. decernendis, habitu, & obseruantia remanentibus; super hoc dictæ sedis præsidio prouidere consu-

consuleretur: de dicti quoq; Monasterij S. Ambrosij, quod per Priorem, ad dilectorum filiorum Conuentus eiusdẽ, nutum ponendum, & admouendum pro tempore, regi, & gubernari consueuerat; eisdem vnitis, siue insimul de omnibus prædictis Monasterijs eadem auctoritate facienda vnio, nec non applicatio, & annexio singulis Monasterijs ipsis forent non mediocriter profuturæ. Nos per alias nostras litteras eidem Nicolao Episcopo dedimus in mãdatis; quatenus de præmissis omnibus, & singulis, & eorum circunstantijs vniuersis auctoritate nostra se diligenter informaret; & si per informationem huiusmodi ita esse reperiret; eosdem Stephanum, & Dominicum, ac alios eiusdem Monasterij S. Ambrosij Canonicos ad id voluntarios; vt etiam huiusmodi eorum, vel per ipsum Nicolaum Episcopum decernendis, vt præfertru, retentis habitu, & obseruantia de dicto Monasterio S. Ambrosij ad prædicta vnita Monasteria transire, & in illis etiam iuxta Constitutiones, & instituta ipsis, & dicto Monasterio S. Ambrosij per eandem sedem concessa, confirmata pariter, & approbata; ac illius statuta, & consuetudines viuendo, & incedendo perpetuò remanere valerent, eadem auctoritate licentiam largietur. Statuens, atq; decernẽs in vnitis Monasterijs eisdem, postquam Stephanus, & Dominicus, ac alij voluntarij Canonici prędicti, inibi in Canonicos recepti, & integrati forent quo ad eosdem habitum, & obseruantiam succedentibus, atq; seruatis his præsertim, quæ per eundem Nicolaum Episcopum circa illos adijci, nec non disponi, & ordinari contigerit, etiam locum sibi vendicare, & effectualiter perpetuis futuris temporibus vigere debere Constitutiones, & instituta, nec nõ statuta, & consuetudines antedicta. Et insuper ipsi Nicolao Episcopo Monasterium S. Ambrosij prædictum; cuius, & dictorum Monasteriorum vnitorum fructus, redditus, & prouentus sexcentorum Florenorum auri, secun-

dum communem extimationem valorem annuum (vt asserebatur) non excedebant cum omnibus iuribus,& pertinentijs suis eisdem Monasterijs vnitis, vel insimul omnia prædicta Monasteria auctoritate præfata in perpetuum vniendi, incorporandi, & annectendi. Huiusmodi quoq; Monasteria,& illorum personas in capite,& in mébris,prout reformationis officium inibi expedire cognosceret,eadem auctoritate nostram reformandi, & corrigendi. Ac de habitu, & obseruantia, quibus se personæ ipsæ pro tempore coaptare deberent, etiam super illorũ alteratione,atq; mutatione cum indigentibus inibi dispẽsandi, ac prędicta vnita Monasteria ab omni iurisdictione,potestate,superioritate,& dominio Episcoporum Bonon.pro tempore existentium,ac illorũ officialium, prout sibi videbitur eximendi, & liberandi; ac omnia, & singula,quæ in præmissis,& circa ea,& ad hoc, quòd Monasteria ipsa, & personę quęcumq; in illis pro tempore eidem Domino mancipatę votiuis congratularentur euẽtibus necessaria forent,aut quomodolibet opportuna disponendi, faciendi, ordinandi, ac etiam per censuras Ecclesiasticas exequendi plenam,& liberam concessimus facultatem,prout in ipsis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Canonicorum,siue fratrum S.Saluatoris nuncupatorum petitio continebat; ipsi,qui dicta Domo de Sylua Lacus habita per eos omninò pro relicta, nullum in ea ius, siuè interesse deinceps eis vendicare contendunt; post nostram assumptionem huiusmodi, spiritu videlicet, & animo, in vnitatis gloria positi,& vnicum gregis vniuersalis intuentes Pastorem,ab eo præsertim pro suorum status, & Religionis stabilitione salubri,omnium litterarum ipsarum effectum, præter quam in his, quibus eamdem Domum de Sylua Lacus contingere videntur vberioris Apostolici substitutione muniminis,colligi,& adunari desiderent;

cæteris

cæteris adiunctis alijs,per quæ eisdem Canonicis, & fratribus S.Saluatoris,virtutum dilatatis gradibus,acceptioris in dies repromittitur vitæ fruges; eiusmodi quoq; eorum status, & religio cætu ministrante superno, fructus propagatione continuę palmites distendere potuerunt ampliores. Nos igitur Canonicorum,& fratrum S.Saluatoris eorumdem,quos in charitatis conclusimus, visceribus,in hac parte supplicationibus inclinati, litteras prædictas,ac in ipsis contenta,illis dumtaxat, in quibus eamdem Domum de Sylua Lacus comprehendere iudicantur,exceptis: & alia quęcumq; inde secuta,rata habentes, & grata illa auctoritate prefata, ex certa scientia confirmamus,ac præsentis scripti patrocinio communimus;supplentes omnes defectus,si qui forsam interuenerint in eisdem,statuentes,& etiam decernentes, quod ipsi omnes, & singuli, qui de huiusmodi statu, & religione fuerint pręsentes,& futuri Canonici,siue fratres S.Saluatoris perpetuò nuncupentur. Quodq; ille ex eis,quem anno quolibet in generale Capitulo per ipsas secundum suarum Constitutionum,& statutorum desuper disponentium exigentium,celebrando concorditer inibi, vel saltem à dupla parte eorumdem ritè in ipsorum Priorem Generalē, & ad eius officium iuxta ordinationes, & limitationes, modosq; & formas,qui super his per huiusmodi capitulū ritè traditi,& acceptati fuerint, pro tempore dirigendū, eligi,& assumi contigerit; postquam electioni tunc de eo factę consenserint; illorum Prior generalis, etiam perindè,ac si huiusmodi ipsius electio per eamdem Sedē Canonicè confirmata foret,habeatur ab omnibus, & etiam reputetur. Ipse verò anno reuoluto à tempore consensus eiusdem,nisi tunc denuò, suis exposcentibus meritis saltem ab huiusmodi dupla parte de eo similis cælebretur electio,veluti à prędicto absolutus officio Prior generalis inibi esse,censeriq; desistut eo ipso. Rursus autem vniuersa

uersa Monasteria, Prioratus, Domus, Conuentus, Loca, nec non res, & bona cum suis membris, iuribusq; & pertinentijs quibuslibet Canonicorum siue fratrum S. Saluatoris prædictorum, quæ videlicet illarum vsibus iustis modis hactenus oblata, traditaq; fuere, ac dante Domino applicare potuerunt quomodolibet in futurũ, dispositioni, ac eorum personæ tàm Clerici, quàm Conuersi in dictis Monasterijs, Prioratibus, Domibus, Conuentibus, locis siue membris degentes pro tempore cuiuscumq; dignitatis, status, aut conditionis fuerint dispositioni, ordinationi, correctioni, reformationi, & obedientiæ Congregationis, & ordinis Canonicorum, siue fratrum S. Saluatoris eorumdem, & huiusmodi Capitulo in omnibus subiecta perseuerent. Et insuper vt Canonici, siue fratres S. Saluatoris prædicti ab exteris erepti laquies, & à iugo redditi cuiusuis suppressionis illęsi, eo liberius, quò quietius pacis famulentur auctori, ipsos, ac huiusmodi, & eorum Ordinem, & personas, nec non Monasteria, Prioratus, Domus, Conuentus, loca, res, bona cum prædictis membris, iuribus, & pertinentijs; præsentia, & futura ab omnibus iurisdictione, dominio, & potestate Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoparũ, Pattiarcharum, Cathedralium, & Metropolitanarum, & aliarum Ecclesiarum, Capitulorum, & aliorum Iudicum, ordinariorum, ipsorumq; officialium quorumlibet, auctoritate Apostolica prædicta, tenore præsentium perpetuò prorsus, & omninò eximimus, absoluimus, & totaliter liberamus. Ac sub B. Petri, & Sedis Apostolicæ protectione suscipimus, atq; nostra: Sedi pręfatæ ea volentes immediatè subiacere, itaquòd Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Capitula, Iudices ordinarij, officiales prędicti, siue qui vis alij quacumq; dignitate præfulgeant, etiam ratione delicti, vel contractus, seu re de qua ageretur pro tempore, vbicũq; committatur delictum, iniatur contractus, aut res ipsa consi-

consistat: non possint quouis modo auctoritate ordinaria, in Canonicos, fratres, personas eorum Ordinē Monasteria Prioratus, Domus, Conuentus, loca, membra, res, bona, iura, siue pertinentias huiusmodi, aut quoduis ex illis; vtpotè penitus exempta aliquam iurisdictionem, siue potestatē, vel quodumq; dominium exercere: Decernentes Canonicos siue fratres, & personas huiusmodi, ac illorum quemlibet in negocijs, & casibus quibusuis, vbi alias de iure, vel consuetudine locorum ordinariorum forum sortiri possent, siue deberent, cum inibi, sed coram Sede Apostolica prædicta, vel eius Legatis dumtaxat teneri; illis, qui contra eos actionem, siue causam quamcumq: intentare, aut mouere voluerint, stare iuri. Omnes præterea Excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, censuras, poenas, atq; processus, quos haberi, vel promulgari; nec non totum id, & quicquid fieri contigerit, quauis etiam auctoritatē contra exemptionis, liberationis, & Constitutionis earumdem continentiam, atq; formam, nullius subsistere robore firmitatis. Profectò vniuersis Canonicis, siue fratribus, personis, Monasterijs, Prioratibus, Domibus, Conuentibus, locis, & membris supradictis, quod in singulis quæ ea, & illorum quodlibet pro tempore contingere dignoscentur, quibusuis Priuilegijs, libertatibus, exēptionibus, immunitatibus, & gratijs huiusmodi Prioratui, siue Domui S. Saluatoris à Sede Apostolica, & aliàs ritè quomodolibet concessis; & quæ præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus: procedente tempore vti, & gaudere valeant auctoritate Apostolica concedimus, & indulgemus antedicta; non obstantibus tam fęlicis recordationis Alexandri Papæ 4. Prædecessoris nostri, quæ incipit; Volentes; ac alijs Apostolicis Constitutionibus, & ordinationibus; nec non statutis, & consuetudinibus Monasteriorum, Prioratuum, Domorum,

Con-

Conuentuum, locorum, & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate vallatis, ac omnibus alijs, quæ dictus Angelus, tunc Gregorius 12. in suis voluit. Nosq; in nostris litteris volumus non obstari cæterisq; contrarijs quibuscũq;. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, communitionis, suppletionis, statuti, exẽptionis, absolutionis, liberationis, susceptionis, constitutionis, voluntatis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorũ Petri, & Pauli, &c. Datum Mantuæ 14. Kal. Ianuarij Pont. nostri anno 2. Registrata gratis de mandato Domini nostri Papæ pro bulla, & registro G. de Gallis. Anselmus, &c.

Annotatio in errorem, & pro declaratione.

PRAEFATVM Priuilegium Mare magnum pro tempore appellatum est, quod cætera quæcumq; priuilegia, gratias, concessiones, & dona complectitur, atq; confirmat. Et quod ante ipsum Congregatio veluti fouea esset perexigua, nullum faciens Capitulum generale, vnum solum habens Priorem. Et quia inter Constitutiones eius temporis nihil erat, quod Capitulum generale concerneret: propterea decernitur modus electionis Prioris generalis; vt videlicet à dupla saltem parte electorum assummatur, & iuxtà Ordinationes, & limitationes, modosq; & formas, qui super ijs ab huiusmodi Capitulo ritè traditi, & acceptati fuerint. Vt aduertas Priorẽ generalem nullam habere auctoritatem, nisi quam Capitulum generale ei præstiterit. De decretis autem super

his

his constat ex Cōstitutionibus paulò post edictis. Nusquā legis etiam nisi hic, quòd Patres habuerint Monasterium Ilicetanum pro derelicto; ita vt in illo non essent ius suū vindicaturi. Et ex hoc magis ac magis etiam innotescit Gregorij Pontificis priuilegio sub eodem arcano manasse omnia, quod ipsemet principio insinuauit. Duo namq; in ipsis priuilegijs continentur, quæ Patribus minus grata fuisse dignoscuntur, Ius reseruatum contra Eremitas super eo loco Ilicetano, quod ipsi numquam vendicare intendebant: & postremò factus, qui videbatur ampliati tituli. Quæ duo mox post Pontificis mortem ex hoc priuilegio Martini supprimi conarunt. Aduerte in hoc etiam priuilegio absolutam Canonicorum denominationem absq; illa superiori nuncupatione fratrum; vt scias hoc prænomen non esse in Canonicis necessarium, eos tamen Claustrales ostendere, & sub obseruantia magis decorare. Nota cuius auctoritatis sit Capitulum generale; cū possit etiam de quibuscumq; bonis, & iuribus Monasteriorū pro suo beneplacito disponere. Quare commendabilis est ea Patrum Constitutio, quæ extremum locum claudit earum, quæ paulò post publicatæ fuerunt. Vbi succurrendum decernitur Monasteriorum paupertati ex epulentiorum fortunis. Fundata quippe in doctrina Saluatoris, qui præcipit habenti duas tunicas, vt alteram non habenti contribuat. Hac scilicet vnione, & Christi Saluatoris charitate res nostra ex nulla penitus à Patribus illis comparata honesta satis nobis relicta est. Hanc profectò huius priuilegij causam necessariam fuisse concludi potest: Prouidendum enim fuerat ante litterarum superiorum executionem, ne qui Canonici ex Monasterio Igubino Bononiam, tamquam in nouam Coloniam deducendi essent, discreti à reliquis Ambrosianis viderētur: & sub obedientia tamē discreti Prælati ab eo, quē Conuentus Ambrosianus separatim pro eius temporis priuilegijs sibi delegisset:

gisset: Conuentum, & Capitulum seorsum facerent; præsertimq; quòd huiusmodi Prelatus, cui obedierint eius Monasterij Bononiẽsis Prior esse non posset; quo ad perpetuus ille Ghisilerius inter viuos ageret; vt in processu executoriali paulò infra constabit; nec ad ipsos alicuius alterius Prælati spectaret electio, nisi Prioris perpetuo tũ de medio sublato. Omnia igitur eo priuilegio pro tempore diligentissimè curata sunt: Capitulum generale cogitur; vnus communi omnium voto Prelatus generalis Prior deligitur, qui cæteris Congregationis tam Canonicis, quàm vbiq; degentibus presit. Monasteria omnia cũ suis bonis, & iuribus Capitulo illi subijciuntur. Vt quamuis diuersi Religiosi diuersis locis degant, diuersaq; sint Monasteria, & bona: vnica tamẽ Congregatione, vti membra diuersa in eodem corpore vnita communiter veluti vno spiritu vegetẽtur, reganturq; . Ceterum illud in primis circa Congregationis titulum hoc priuilegio obseruandum est, quòd prior titulus conseruatur, eo nomine suppresso, Constantes; Quod Gregorius 12. vltro (vt præmisimus) vltimis priuilegijs priori adiecerat: Patribus id minimè cogitantibus, nec quæ foris essent quærentibus. Quamuis etiam redditus illius Monasterij Bonon. ad summam sexcentorum Florenorum auri ascendere dicatur in priuilegio præfato; attamen fuit postea redactus ad summam quadringentorum Florenorum, nec tenebatur ad quindẽnium; quia ante legem, & quia tunc Abbatię tantum obligabantur.

Præterea Patres illi, qui nos suis priuilegijs impertitos autumant, prodant, obsecro, quæ sua in hunc diem erant: quorum quippe Congregatio paulò post sub hoc eodem Pontifice sumpsit exordium: quibus è contra nostra sanè prius communicata fuerunt, ex ea generali communione, qua & ipsi omnium Canonicorum in ipso suo exordio consecuti sunt. Demumstrabunt quidem priuilegia Friso

naria,

naria, & huiusmodi; at erunt eius Monasterij, quod tunc non erat Congregationi vllæ vnitum, & similia.

Sequitur Chronichismum.

EX præfato priuilegio cum omnia iam Canonicorum vniendorum in tuto essent; Episcopus Bonon. formauit Processum executorialem super præmissis litteris Martini V. pro ea vnione Bononiensi iuxta superius conuēta inter Priorem Franciscum Ghisilerium, & Ambrosianos Patres. Quibus vt supra dispositis, statim introducti sunt quidam ex Ambrosianis Canonici in præfatum Monasterium S. Saluatoris, illisq; omnem curam ad Dei cultum spectantem Ghisilerius ipse commisit. Quorum virtutibus idem Monasterium inter eius Ciuitatis Monasteria singulare incrementum sumpsit. Mutuo autem ex consensu amborum Priorum, scilicet Patris Francisci, & Patris Stephani, fuit eius Monasterij Bononiensis primus Vicarius constitutus frat. Regulinus, qui Ilicitanorum iunior quidē, melioris vtiq; vitæ, quam consilij, tum habitus est. Sed eius auctoritas in sola obseruantia, & sollicitudine regularis disciplinæ extendebatur; ad quod scilicet erat opportunissimus: Nam in spiritualibus, & temporalibus omnis auctoritas Monasterij penes Priorem præfatum Ghisilerium semper fuit quo ad vixit, vt dictum est. Sequenti verò anno videlicet 1419. & Congregationis 12. cum designata iam Congregatio, & facultas Capituli generalis agendi, Prioris quoq; generalis creandi, collata Congregationi, & Patribus nostris Martini priuilegio fuit; die 3. Maij primum generale Capitulum in Conuentu Ambrosiano propè Eugubium congregatum fuit; in quo primus Prior generalis Congregationis ritè declaratus est

ipse Pater Stephanus Senensis, Ghisilerio tum corporis imbecillitate, tum animi bonitate id facillimè non concedente modo, sed etiam procurante, atq; probante. Quippè qui ætate iam grauescente, itineris labores, & incommoda ferre non posset. Ac ne in pluribus dominandi cupiditate vnionem procurasse iam ipsi Patri Stephano totum reformationis munus concessisse, planè partim ex antiquis litterarum nostrarum monumentis cognoscimus; partim ipsa ratione colligamus licet. Animaduerte, quòd R. Pater in hoc primo Capitulo generali ab omnibus Canonicis concorditer electus Prior generalis, ita res in hac dignitate gessit, vt ab omnibus etiam cum præclaræ bonitatis, tum maximæ pietatis exemplar habitus, per annos 15. annuatim, nemine prorsus discrepante, fuerit confirmatus, ita vt quoad vixit, semper fuerit Prior generalis nostræ Congregationis. Pro cælebratione huius nostri Capituli generalis de mense Maij die 3. vt diximus; hoc subuenit maximè notabile ad gloriam Saluatoris Ordinis Canonici, & præcipuè nostræ Congregationis; Anastasius enim Cardinalis S.R.E. Bibliotecarius in Cathalogo, quem edidit ad Carolum 2. Gallorum Imperatorem de sanctis huius Ordinis, testatur, quòd in Anglia in Metropoli Cantuariensi, irruentibus Barbaris illuc, decem millia eiusdem professionis Canonicæ viri, qui ad generale Capitulum conuenerant in Ecclesia Archiepiscopali S.Saluatoris pro fide Christi martyrio ab eisdem Paganis coronati sunt: eorumq; festiuitas agitur in Kalendis Maij. Nunc prosequentes narrationem inceptam, Notarius, qui acta huius primi Capituli generalis conscripsit, dictum Patrem, iam primum Priorem generalem assumptum in eo Monasterio S. Ambrosij sub diem 4. Maij proximè præcedentem, iuxta eius temporis ritum, Priorem S.Ambrosij, & S.Saluatoris, & non Priorem generalem appellauit. Nam cum nullus pro eo anno priua-

tus

tus Prior Ambrosianus illi substitutus foret, & iste primus Prior generalis creatus esset; qui propterea præsideret etiam Canonicis residentibus in S. Saluatore Bononiensi sub ea forma, quam supra attigimus, cum idcircò Notarius, quamuis satis ineptè, publicauit sub vtroq; titulo prioratus S. Ambrosij de Eugubio, & S. Saluatoris de Bononia, suppresso eo additamento Generalis, suas enim Prior S. Ambrosij dato substituto; sed neq; S. Saluatoris viuente Ghisilerio simpliciter nuncupari non poterat. Erat igitur Prior specialis seu particularis S. Ambrosij, & generalis S. Saluatoris absolutè; hoc est Congregationis S. Saluatoris, seu Prior S. Saluatoris de Bononia, hoc est Canonicorum ibi etiam residentium, vti generalis; quem morem quoq; sæpius legis, vt idem sit Prior generalis, & specialis sæpe numerò creatus. Verum quòd hoc anno amplissimum hunc suum Magistratum Congregationis primum admiserit, eius priuilegij gratia sub fine anni superioris elargita satis innotescit; cum ex angustia temporis ante præsentis anni principio litteræ eius vix expediri potuerint. Quod verò sub diem quartum Maij Capitulum ipsum generale primum coaptum fuerit, præter Cõstitutionem antiquam, priuilegium ipsum maximè propositum iuuat, quo annus tantum eius dignitati præscribitur. Inde enim Constitutio, quæ prior super hoc manauit, diem ipsum circumscribere non potuisset, nisi illo annus eius pręcedentis Magistratus foret reuolutus. Quod autẽ Magistratus ante Constitutionem fuerit, sequentia quoq; magis manifestant. Adde quod ausim affirmare sub hunc quoq; diem, fauente mihi præsertim hac lege, primum Ilicetanæ Canonicę Priorem editum: Primum enim priuilegium, quo Gregorius suæ Congregationis iecit fundamentum, die 3. Aprilis describitur: eius verò executionis processus 24. eiusdem Mensis notatur. Nec arctius quidem interuentum inter vtrumq; quam diei vnius, & viginti.

ginti. Quod intercessit vix cogitare poteris pro expeditione litterarum priuilegij; ac pro parandis iterum vestimentis pro nouo habitu quem ea die duo Patres Lucę induuntur. Nec pro processus extensione, ac illorũ redditu angustius æxtimatis diebus octo ab ea executione ad diẽ 3. Maij, si eum diem mecum auguratus fueris à Patribus statutum, vt fęstum Inuentionis Dominicæ Crucis sacrosanctum suo Saluatori facerent, etiam pro noua huius habitus, & sacris sui Dogmatis Apostolica inuentione: quo reliqui omnes Ilicetani ab Apostolico Stephano Canonico habitu, vt præmisimus, initiati fuerunt: Quatenus ex præsenti noua Religione, absoluto iam Eremitano Prioratu, postero quoq; die sub auroram, re diuina de more peracta, ad nouam Canonici Prioris creationem, iuxta priuilegij tenorem procederent. Quam diem idcirco inter Constitutiones annuam deinc receptam putauerim sub ea præscripta norma, qua necessariò ex anni reuolutione, priuilegio dictante ea dignitas vacabat. Sed nec Ordinem hunc variauit Monasterij Ambrosiani sequuta possessio, cum paulò post eam, & ante hunc quartum diẽ Maij sequentis, Gregorij X. Priuilegium Priorem non S. Ambrosij, sed de Sylua Lacus adhuc nominiter. Cum enim Canonici ante eo ingressum Priorem haberent, quẽ statuto tempore delegissent per annum duraturum; & Monasterium ipsum S. Ambrosij absq; alio Commissario, liberum essent assequuti: litteris Apostolicis in forma gratiosa, quam dicunt, expeditis, non fuerunt coacti pro acceleranda noui Prioris creatione eum suum ordinem interpellare. Adde quòd iubente Gregorio sibi præiudicare fortassis etiam non potuerunt, pro iure Ilicetani Monasterij, in ea creandi noui Prioris præuentione; ne ante expletum annum Prior suo Monasterio Syluæ Lacus absolutus videretur; qui alterius Monasterij electus constaret, præsertim cum eundem Priorem Ambrosianũ

creare

creare intenderent. Neq; enim poterat idem tum duobus Monasterijs præfici. Creatum autem Patrem in primum Priorem tum Ilicetanum, tum Ambrosianum singulis annis in hunc ferè diem, etiam sub eo exilio confirmari à nobis obseruatum est: præter quem alius nemo in ea dignitate interim succurrit. Quod nempè iudicium Gregorij fuisse satis elicitur ex eius, vt ostendimus, priuilegijs: qui sperabat eos aliquando restituendos in pristinũ Monasterium. Quæ omnia longiore digressione repetita eo tendunt, vt nisi aliud contrarium viderim pro certo contenderim in Constitutionis fauorem, primum Priorẽ Congregationis sub diem crastinum Inuentionis Crucis Saluatoris electum: & eodem die primum Priorem generalem in primis generali Capitulo sub hunc præsentẽ annum procreatum fuisse. Ita vt dies 3. Mensis Maij Congregationi semper fausta, & semper augusta censeatur. Nec quod ea Prioris generalis electio fuerit apud S. Ambrosium, ambigendum reor, cum Patres Monasterium solum sub proprio Priore haberent, qui Capitulum ipsum congregare posset; nec in altero Bononiensi Conuentum nouum Canonicorum ante præsentis Capituli generalis deliberationem erectum, ritè constaret, cui quis præesse potuisset; nisi fortè temerè impetratum priuilegium ante eius Monasterij vnionem putemus. Si priuatus Prior Ambrosianus duobus Conuentibus præsidere posse crederetur. Id ipsum innuere videtur satis apertè superius instrumentum, cum in fine mensis ab eius Generalis Capituli exordio in eum fortasse diem protracto, Patrem ipsum Stephanum cum omnibus senioribus, vno dumtaxat fratre Regulino prætermisso principio Iunij Eugubij fuisse perhibeat. Solus enim frat. Regulinus ex professis Bononiæ substitit, alijs omnibus ad Capitulum generale proficiscentibus, ne noui Monasterij possessio nouis peritus possessoribus destitueretur. Nec te mouere debet, si in eo

Capitulo pleres dies, quàm pro tempore, ac pro numero Patrum, consumpti fuerint: cum tot nouæ condendæ essent leges, quæ interim nouam Congregationem veluti de nouo componerent: priores enim leges Patribus datę vnicum tantum Monasterium confouebant. Illis tamen seruata auctoritate eas ampliandi ex futuro progressu, vt superius ostensum est. Iis decernendum fuerat quæ Capitulum generale facerent; qui in eo conuenirent; quę auctoritas ibidem electo Priore generali præstanda foret; & id genus multa, quæ antiquatis prioribus legibus nouæ, longiore compendio noua edidere. Quibus demum compilatis Capitulum deinceps generali tribus, vel quatuor ad summum diebus circumscriptum est. In hoc primo Capitulo generali septem tantum Canonici professi vniuersam tum Congregationem recensuere: ac tot quidem ex senioribus, qui nusquam à Congregatione desciuissent, iuxta priorum Constitutionum intellectum, sub quibus adhuc viuebant, necesse fuit ipsi Capitulo generali interesse, quo ex eis nouæ Constitutionis vires adipisceretur. Non prætereundam censeo huius primi Capituli generalis eorum Patrum, ac Stephani præsertim lætitiam: præter enim quàm quòd futuram quietem sibi promittere firmiter poterat; augurari etiam omnem in posterum fęlicitatem, atq; iocunditatem debebat. Maximè inquam, ac saltem ex mensis ipsius Maij consideratione; sicut enim est mensis iste mensis amænitatis, amoris, & iocunditatis; tunc enim omnia ridere, omnia virere solent, aues modulari, & quodammodò psallere; Reges ad bella se accingere, & procedere: tandem omnia ferè animantia ad gaudium se mouere: Ita profectò iam in præfato Capitulo aquis deuotionis, & gratiæ madefacti illorum Patrum animi ad maiora, & à Deo, & ab hominibus percipienda beneficia se præparabant (Maius videlicet à amadefactione pluuiarum sic est dictus, quæ propter ortum Pleiadum tunc

tunc temporis plus abundant) amænum fuit, eo quòd virtutum floribus picturatum se se ostendit in tot, ac tantis benè, pleclareq; digestis ordinationibus, legibus, atq; dispositionibus. Gaudiosum fuit, quia per gratiarum actionem, & Dei laudem lætatum est, atq; iubilauit. Maium depinxere antiqui Iuuenem equitantem, & volucrem manu pro venatione, atq; augurio gestantem: Iuuenes vtiq; equitantes depingendi erant Patres illi, quia cum fortitudine iuuenali equo suo idest corpori, seu carni dominabantur. Et volucrem gestantes; quia scilicet per contemplationem ad cælestia semper volitabant. Duo signa ei assignare consueuerunt; Taurum scilicet in principio,& post Geminos; quia sanè post Taurorum agriculturam solet terra flores,& folia tunc temporis germinare: ita enimuerò sub Tauro fuisse Patres illos possumus dicere, quòd in bonis laboribus, ac plurimis occuparentur in exordio Congregationis, vt sub geminis esse possent in futurum successores illorum meliùs quotidiè proficiendo,in virtutibusq: geminando.

De socijs Prioris generalis; seu Visitatoribus.

HVIC primo Priori generali necesse non fuit dare socium, vel Collegam in officio, cum vix vnum,& alterum Monasterium tum haberet Congregatio: Referant tamen hoc loco quidam principiò de Collegis, & Visitatoribus fuerit obseruatum: à principio igitur notaui. datum fuisse vnum socium tantum Priori generali, quo vteretur in visitationibus Monasteriorum. Dehinc autem duos,quorum modò vno,modò altero similiter vtebatur. Quandoq; fuit decretum, vt ipsi duo vnam visitationem agerent, alteram verò cum Priore generali. Quibus etiá

aliquando constituta diuisim Monasteria fuerunt, quorũ nonnulla quilibet eorum visitaret cum Generali solo. Qui socij quandoq; erant Priores,quandoq; subditi, nullum tenentes locum,nisi pro dignitate Prioratus,seu iure professionis. Hos verò socios aliquandò constituit Capitulum ipsum generale simul: aliquando soli diffinitores: ijq; fuere ab initio,vt diximus, duo: dehinc quatuor: postea sex; qui statim post electionem Prioris generalis, eligebantur. Anno 1443. Congregationis vero 36. fuere per Priorem generalem, & diffinitores creati duo visitatores, qui per Priorem ipsum generalem transmissi, sub eius auctoritate possent quoscumq; Canonicos ex nostris visitare,atq; corrigere: hi verò fuerunt frat. Michael Ioannis Bononiensis: & frat. Hieronymus Petri Florentinus. Inhibendo illis, ne quid valerent immutare contentum inter Constitutiones,nisi forent concordes cum Priore,quem tunc in proprio Monasterio visitarent: quo casu,si vnus ex tribus ab alijs dissideret,Prioris generalis cõsilium quęrendum esset. Circa omnia alia duorum sententia pręualeret. Quòd si visitaretur Monasterium, cui alter visitatorum præsideret,eius Vicarij, loco tertij, adhiberetur sententia; nec possent in vno Monasterio aliquid pertractare, quod Monasterij alterius interesset:nec in vno Monasterio pro visitatione immorari vltra dies octo: locum item eorum præscripserunt iuxta Priores: vbi verò Prior generalis in eorum absentia esset: illius auctoritatem in temporalibus communicari voluerunt cum Priore, atq; Vicario, apud quos moram traheret. Sed Visitatores huiusmodi, mox suppressi, demum reuixere. Anno verò 1470. decretum fuit, vt deligerentur singulo anno tres Visitatores, qui cum Visitatoribus anni Præteriti essent diffinitores eo ordine, quo nunc etiam vtuntur: Et tunc quidem, eo scilicet anno 1470. electi fuerunt frat. Stephanus Tuti Bononiensis: frat. Thomas

mas Ioannis Igubinus: & frat. Iacobus Mattæi Parmēsis. Additus est deniq; visitator quartus anno 1574. & is fuit admodum R. Pater D. Onophrius Zarrabinus à Cotineola, vir profectò doctrina, & morum grauitate mirabilis, vt eius plura, maximèq; à probatissimis viris commendata scripta contestantur. Et hæc de visitatoribus dicta satis.

Ante finem huius primi Generalatus, vnita fuit Congregationi Ecclesia S. Donati in Scopeto apud Florentiā extra Portam Romanam; vel, vt etiam dicebatur, S. Petri Gattolini; valoris Florenorum 20. Quæ erat Parrochialis tantum, subiectaq; Abbatiæ S. Saluatoris de Septimo, Ordinis quondam Cisterciensis, ibi extincti. & erecta fuit in Prioratum. Sed antequàm vlterius progrediamur; videte obsecro, lectores carissimi, quam præclaris argumentis mundi Saluator hanc nostram Congregationem in sui præcipuum beneplacitum, atq; obsequium electā institutam, atq; decoratam declarare voluerit. Nonne hoc primum, atq; summum omnium vnusquisq; iudicare poterit; quando initium habere voluerit sua in domo S. Saluatoris apud Ilicetum, vt milies iam audistis: Reformationem accipere tum in D. Saluatoris apud Bononiā; Tertium addi Monasterium Abbatiæ S. Saluatoris de Septimo voluit? vt non semel, sed bis, atq; tertiò animum cuiusuis ne dum sapientis, at omnino ignari, atq; rudis ad præfatum sacramentum excitaret? Vnioni, de qua tractamus, consensit liberè, ac voluntariè R. D. Foelix Abbas eius Titularius perpetuus, precibus quidem amātissimi Protectoris nostri Guidi Antonij Comitis Vrbinatis; qui tunc erat cum Imperio exercitus Florentini, Martino V. ibidem moram trahente; & vna eodē Comite Pontificis ex coniuge necessario. Sub anno Saluatoris 1420. Pontificis verò sui anno 3. sub Datis ibidē 13. Kal. Aprilis. Processus executorialis ex commissione, ac man

dato Reuerēdissimi Domini frat. Antonij Ordinis Prædicatorum, & eiusdē Ciuitatis Archiepiscopi (postea verò inter Sanctos relati) extat fulminatus manu Ser Philippi Bernardi Mazzæi de Castro Franco, sub eodem anno Saluatoris indictione 13. die 19. Aprilis. Liberata fuit præfata Ecclesia, nobiscum sic vnita, ab omni subiectione ipsi Abbatiæ, ac Ordini Monacali: nec huiusmodi Prioratus fuit ad quindennium obligatus; quia ante legem, atq; dependens esset. Hæ porrò Bullæ certis rationibus reformatæ, correctęq; fuerunt postmodum per alias litteras Pontificis eiusdem sub Datum Florentię V. Kal. Iulij, qui fuit dies 27. Iunij eiusdem anni: Pontificatus verò sui anno 3. vt in libro Vnionum apud nos habetur sub forma, & verbis subsequentibus.

Reformatio Bullæ S. Donati de Florentia in Scopeto. Cap. IV.

MARTINVS Episc. ser. seruorum Dei dilectis vniuersis Canonicis regularibus fratribus S. Saluatoris nuncupatis S. Augustini vbilibet constitutis salutem, & Apostolicam ben. Sacræ religionis, sub qua de voluntate sedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honestas, vt vos Apostolicis fauoribus, & gratijs prosequamur. Dudum siquidem ad vestræ supplicationis instantiam, certis per vos tum expressis, animum nostrum ad hoc mouentibus, causis; per alias vestras litteras Parrochialem Ecclesiam S. Donati de Scopeto propè Florentiam, quę Monasterio S. Saluatoris de Septimo Cisterciēsis Ordinis Florentinæ Diœcesis, immediatè subiecta tūc existebat; & per Monacos eiusdem Monasterij, ad solum nutum illius Abbatis existentis, pro tempore amouendos,

dos, antea regi, & gubernari consueuerat: & quæ sicut acceperamus, diù vacauerat, & tunc vacabat; si causę huiusmodi verificarentur, & ad id dicti Abbatis accederet assensus, ac aliàs sub certis modo, & forma à subiectione Monasterij, & Ordinis, nec non ab omni iurisdictione, Dominio, & Potestate Abbatis prædictorum eximi, & totaliter separari; ipsamq; Ecclesiam cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, & pertinentijs suis, vobis ac Ordini vestro concedi, & assignari: nec non in Ecclesia ipsa dictum Cistercienſem Ordinem, ac illius habitum, & obseruantiam, si qui in ea essent, extingui, & supprimi, ac eamdem Ecclesiam in Prioratum Conuentualem dicti Ordinis vestri per Priorem, per Canonicos, siue fratres ex eis, qui inibi essent pro tempore, erigendum, & Archiepiscopo Florentino pro tempore existente, seu eius in spiritualibus generali Vicario pręsentandum, quoties Prioratum ipsum vacare contingeret, iuxta certos modos, formas, conditiones, limitationes, tunc expressos, in spiritualibus, & temporalibus perpetuò regendum, & gubernandum, erigi, nec non singulis, qui Prioratu huiusmodi postquàm erectus foret, pro tempore degerent, quod ipsi, ac prioratus idem cum omnibus suis iurisdictionibus, pertinentijs, iuribus, & bonis mobilibus, & immobilibus, quæ ad ipsũ iustis titulis pertinerent, nonnullis tunc expressis, ac alijs, quæ pro etiam expressis eisdem litteris haberi volumus; priuilegijs, indulgentijs, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, concessionibus, & gratijs vti, & gaudere perpetuò valeant, concedi: ac insuper, vt ipse Prioratus, postquam erectus foret, vt præfertur, cum suis rebus, bonis, membris, iuribus, iurisdictionibus, & ptinentijs prędictis, quę videlicet eius vsibus, iustis modis, dante Domino interim tradita, seu oblata forent: aut offerri, tradi: & applicari possent quomodolibet in futurum disponi, aut personæ, quę in eo pro tempore degerent, vt præfer-
tur,

tur, cuiuscumq; dignitatis, status, aut conditionis existerent, ordinationi, correctioni, reformationi, & obedientiæ Congregationis vestrę, & eiusdem Ordinis vestri, ac generali Capitulo vestro per vos secundum Constitutionum, & statutorum vestrorum, desuper disponentium exigentiam celebrando pro tempore, in omnibus subiecta perseuerarent, decerni gratiosè mandauimus, certo nobis super ijs executore deputato, prout in dictis litteris plenius continetur: Nosq; in vim executionis litterarum earumdem per executorem prædictum, iuxta ipsarum formam factæ Ecclesiam præfatã assecuti, illam ex tunc tenuistis, & possedistis, prout de præsenti teneris, & possidetis pacificè, & quietè. Cum autem sicut exhibita nobis pro parte vestra petitio continebat, nos litteras prædictas, ex eo quia illis cautum dumtaxat, quòd dicti Abbatis, in quibus fortè cauendum fuisset, quod etiam dilectorum filiorum Patris Abbatis Cisterciensis Ordinis, & Conuentus Monasterij prædictorum ad premissa accederet assensus: in eis quoq; quòd fructus, redditus, & prouentus dictæ Ecclesiæ secundum communem extimationem viginti non excedebat, licet aliquando vigintiquinq; Florenorũ auri valorem annuum ascenderent, pro vt ascendunt: & quod ipsa Ecclesia nullos, vel paucos habebat, licet viginti, vel circiter Parochianos haberet, prout habet; expræssum fuit, surreptitias reputari, vosq; propterea super eadem Ecclesia in posterum molestari posse timeatis. Nos volentes pro meritis huiusmodi honestatis intuitu, fauoribus prosequi; gratiosè vestris in hac parte supplicationibus inclinati, volumus, & ex certa scientia Apostolica vobis auctoritate concedimus: quòd litteræ præfatæ, ac processus habiti per easdem, ab illarum Data, & quæcumq; indè sequuta perindè valeant, plenamq; obtineant roboris firmitatem, ac si in eisdem litteris cautum, quod ad pręmissa etiam Patris Abbatis, & Conuentus prædictorum acce

deret assensus antedictus: quodq; ijdem fructus, redditus, & prouentus 25. Florenorum valorem huiusmodi, secundum dictam ęxtimationem, vt pręmittitur, ascendunt, seu aliàs non excedunt: & quòd eadem Ecclesia 20. vel circa, vt præfertur, Parrochianos habet, expræssum fuisset: nec non assensus P. Abbatis, & Conuentus huiusmodi ad exequutionem præfatam, si accedere debuerat, solemniter accessisset. Decernentes nihilominus absq; P. Abbatis, & Conuentus prædictorum assensu, ad præmissa assensum huiusmodi plenariè suffecisse, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, nec non statutis, & consuetudinibus Monasterij, & Cisterciensis Ordinis prædictorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs, indultis, & indulgentijs, litterisq; Apostolicis generalibus, vel specialibus sub quacumq; forma, vel expresione verborum P. Abbati, Conuentui, Monasterio; & Cisterciensi Ordini præfatis forsitam ab Apostolica Sede concessis; de quibus quorumcumq; totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in vestris litteris mentio specialis: nec non quæ in dictis alijs vestris litteris volumus non obstare, cæteris contrarijs quibuscumq;. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurũ. Datum Florentiæ anno Incar. Dom. 1420. 5. Kal. Iulij. Pontif. nostri anno 3.

B. de Puteo.

Anno.

Annotatio in errorem, & pro declaratione.

IN prioribus litteris Apostolicis narrabatur, quòd Canonici in Monasterio S. Ambrosij multiplicati, in illo commodè, sine crebra morborum vexatione, omnes residere non valerent: & vt scias, quã vero similitudinem faciant hęc verba: reperio ego nonnullos ex Canonicis iunioribus, qui vix semel leguntur: & alios quoq; ex senioribus ibidem breuißimo tempore occubuisse. Eam nempè malam loci illius qualitatem tunc peiorem parere poterãt noua ędificia, de quibus supra loquuti fuimus, apud eum humorem, qui ex dorso saxosi montis, quod sibi iuncto Monasterio prominet, etiam æstiuo tempore perpetuò scusare conspicitur. Titulus autem præfati Monasterij Florentini erat S. Donati in Scopeto, & sic vulgabatur apud eam patriam, cum locus ille in edito situs intra scoparum Syluam antiquitus foret. Idem locus excultus ex omni parte, tum ex ipso genio colliculi, qui supra męnia Florentina intra iactum balistæ totam penè Vrbem ex prospectu collustraret, apud ciues illos frequẽtissimus erat; cum pro re diuina, tum verò laxandi animi gratia, maximè autem postquàm eomet loci Patres nostri sumptuosißimum, atq; ornatißimum ædificauere Monasterium: Attamen ipsa ciuitate Florentiæ obsessa, cum aduersus eam Clemens 7. bellum gereret anno 1529. & 1530. à fundamentis adeò euersum est, atq; destructum, vt nullum ferè appareat eius ædificationis vestigium. Præfatus etiam Commissarius executionis, vt supra, idest Reuerendißimus frat. Antonius tum Florentiæ Archiepiscopus, ob vitæ sanctitatem, & miraculorum corruscationem, die 17. Maij 1523. ab Hadriano Papa 6. anno sui

Pontificatus primo in ſanctorum catalogum fuit relatus. Hic vir ſanctiſſimus Canonicorum noſtrorum, & maximè fratris Stephani amicitiam, quamdiù vixit, ſanctiſſimè coluit apud Scopetum. Hoc à ſenioribus noſtris, eorũq; ſcriptis didicimus: qui cum huius amicitiæ fidem multa argumenta aſtruant; hoc maximum aſſerunt, ab eodem poſtea Archiepiſcopo vltrò vnitum fuiſſe loco illi de Scopeto Monaſterium, quod vulgò appellatur S. Michaelis de Campora, æxtimationis Florenorum 40. pulſis indè Monialibus ob cauſam, quam ipſe in vnione aſſerit; confirmante præfatam vnionem Eugenio Papa 4. ſub Datũ Romę 1446. 16. Kal. Octob. anno ſui Pont. 16. vt conſtat per proceſſum inde confectum die 14. Nouembris indictione 10. Nec extitit ad quindennium obligatum: eo quod ante legem ipſam; & quia Monaſterium erat Monialium, nec vacabat in Curia.

Ex Bulla præmiſſa, quæ data fuit anno Congregationis 13. error illorum manifeſtatur, qui noſtræ Congregationis exordium in hoc Monaſterio Florentino volunt: Pontifex enim Martinus V. apertè in præfatis litteris primum ſalutat, & benedicit vniuerſos Canonicos regulares fratres S. Saluatoris nuncupatos S. Auguſtini, vbilibet cõſtitutos: ergo iam antè ipſa Congregatio erat: ergo alibi iam Conuentus habebant inhabitandos, in quibus, & ſedulum exhibebant Domino famulatum, ſacra ſub Religione, quam Pontifex ipſe maximè obſeruare ſignificat. Per alias deindè ſuas declarat, ſe iam Parochialem S. Donati præfatam cum omnibus iuribus ſuis, & pertinentijs, & bonis vniſſe, ac ſubieciſſe ordinationi, correctioni, reformationi, & obedientiæ Congregationis noſtræ, & eiuſdem Ordinis noſtri, ac generali Capitulo noſtro, quod iã in Monaſterio Ambroſiano apud Eugubium fuerat congregatum, per nos ſecundum Conſtitutionum, & ſtatutorum noſtrorum de ſuper diſponentium exigen-

tiam

tiam cælebrando pro tempore in omnibus, &c.

Ommitterem quàm libenter ventosi cuiusdam scriptoris in nos delubria circa titulum vniuersalem Congregationis, appellantis eam Ordinem, seu Religionem Scopetinorum à dicto loco S. Donati de Scopeto: nisi hunc titulum falsò illi ascriptum referret iste à pręfato B. Antonio Florentiæ Archiepiscopo: qui sanè Archiep. de oritijs Canonicorum nostrorum S. Saluatoris scribens, dicit in 2. parte Cron. suę tit. 15. Initium autem habuerunt circa annum 1420. sub quodam viro Venerabilis Stephano: quorum primus locus fuit propè Eugubium; & S. Donati de Scopeto apud muros Florentiæ. Ecce primum locum nominat Eugubinum: secundum verò S. Donati de Scopeto: & licet variet circa tempus (nam biennio præcedit) & circa ipsa loca, & Monasteria, quia verè primum Monasterium fuit S. Saluatoris de Sylua Lacus. Secundũ S. Ambrosij de Eugubio: tertium S. Saluatoris de Bononia, & S. Mariæ de Rheno simul vnitorum: Quartum S. Donati de Scopeto. Nihil tamen refert; cum propriè historiam nostram texere non intenderet; nec fuerit ei curæ seriem locorum nostrorum per ordinem recensere: verum quia librum Chronicorum suæ Ciuitatis condebat: vniuersaliter quodammodò, & secundum quamdam opinionem suam de nostro exordio locutus est: quare ad cautelam benè vsus est illo verbo; circa annum, &c. quasi dicat; absolutè non affirmo, quia non vidi huius Congregationis priuilegia; sed sic existimo. Subiungens postea: ex in multiplicati sunt in fratribus, & Conuentibus in plerisq; Ciuitatibus: quæ Congregatio dicitur Scopetinorum à dicto loco S. Donati de Scopeto. Titulum dedit Congregationi vulgatum apud ipsos Florentinos: ac locutus est de more singularum Ciuitatum, apud quos Religiosi intitulantur ex titulo loci, seu Ecclesię, quam ibidẽ incolunt: & proptereà mox verum, & proprium titulum

subiun-

subiunxit dicens: Sed magis propriè S. Saluatoris. Non S. Saluatoris de Scopeto; nam quid ridiculosius hac denominatione apud ventosum hominem illum, cum nusquam habuerimus nos huiusmodi locum? Piscatorem profectò iurgiorum, non scriptorem veritatis rectius cõpellabimus eum. Absolutè dixit sanctissimus Archiepiscopus, & verissimè, S. Saluatoris, nempè Saluatoris nomen, non loci, non Ecclesiæ, non alicuius Monasterij; sed simpliciter eius, à quo ipsa loca, ipsæ Ecclesiæ, ac Monasteria denominari solent: qui sanguine suo saluos omnes fieri voluit, indeq; nomen propterea sumpsit. Cuius ergo verum, simplicem, proprium, & absolutum hunc titulum principiò accepimus; sub eo quoq; perpetuò gratulabandi perseueramus. Voluit igitur Archiep. cum nostram Congregationem publicaret, eam ex ipso Monasterio etiam innotescere, quo saltem cogniti fuissemus apud suos. Ne si tantum S. Saluatoris titulum, vti in nostris, vulgasset; sub obscurior, æquiuocusuè in alijs religiosis fortè videretur, qui hoc nomine suæ Ecclesię apellati essent. Falsum igitur est, Archiepiscopum Florentinum hunc titulum ascribere alicui Monasterio, quem absolutè S. Saluatoris protulit; vt ostendimus; & sicut absolutè principiò inditum à Gregorio 12. de hinc à Martino V. vt præmisimus. At qua excusatione se tuebitur iste scriptor, qui potissimum de origine, & progressu Christianarum Religionum, ex professo tractans, hæc omnia de nostris exordijs adeo confundit, vt nihil omninò legitimum scriptis eius constet? Aliquando enim apellat Ordinem, seu Religionem S. Donati de Scopeto: aliquando vocat S. Saluatoris de Venetijs: alibi S. Saluatoris de Scopeto: alibi etiam se retractans, asserit illam in Senensi Agro S. Saluatoris exijsse: vbiq; semper varius: vt compertum habeas, istum non quę legerit apud certos auctores, aut apud nosmetipsos (de quibus tamen agitur) sed quę propriè som-

somniauerit scripsisse. Sub quo prætextu, quæso, hanc culpam suam, & iniuriam nostram dissimulabimus? Quas porrò nenias? Quæ delina istius? cum tandem nos & in Agro Senensi, & propè muros Florentiæ S. Donati de Scopeto,& sub titulo S.Saluatoris Venetiarum à quodam fratre Stephano Ordinis Eremitarum institutos fuisse, blaterando asserat? Vbi nam terrarum,obsecro,describitur hic locus in Agro Senensi propè muros Florentiæ S.Donati de Scopeto? Satius profectò dixisset; In Valle Bergamasca propè muros Florentinos. Et vnde hunc titulum venatus est S. Saluatoris Venetiarum in suis omnibus scriptis? Num ab ipso Archiepiscopo, aut ab alio quopiam Chronographo? Et quasi non fuerit satis simpliciter mentiri, falsòq; semel, & iterum allegare in his auctoritatem Sanctissimi Archiepiscopi: eadem exagerat sub atrocibus conuicijs in Stephanum ipsum nostrum, quem tam reuerenter,& amicè Archiepiscopus compellauit venerabilem. Qui, inquit, vt à primarij sui iugo eximeretur, habitū lineum Canonici Ordinis, assumpsit. Vbi est hoc ipsum fidelissimum, & autenticum testimonium, quod citat Archiepiscopi? Suggerit ille diuersum, cum dicit; Vt strictius viuerent,sumpserunt statum,& habitum Canonicorum Regularium. Num fortasse quadrat, executore iugum, vt strictius viuatur? An boues à quibus manauit hæc parabola, excutiunt iugum, quo strictius degant? At hinc compertum est, hunc esse prorsus animi eius morbum conclamatum,quo inuectū pariter in omnes, nulli neq; Ordinis parcit, neq; Congregationi. Sed parcat Deus illi.

Sequi-

Sequitur Chronichismum.

ALTERO autem ferè interiecto mense Reuerendissimus Dominus Antonius Episcopus Portuensis S. R. E. Cardinalis Bononiensis apellatus, vnus ex tribus Apostolicis auctoribus Constitutionum: cum aliorum duorum alter ex viuis esset sublatus, idest Ioannes Episcopus Ragusinus, & S. Sixti Cardinalis: Alter idest Gabriel Senensis Episcopus Thesaurarius, & Cardinalis extra Italiam Apostolica Legatione fungeretur: accepto à Martino V. eodem Pontifice coram, siue (quod aiunt) viuæ vocis oraculo, mandato, iuxta sibi antea reseruatam auctoritatem, cum Gregorij 12. litteras in Constitutionibus Ilicetanis Canonicis tradendis Episcopus Bononiensis exequeretur, vna cum reliquis duobus Collegis, cum solus tum posset eam partem Constitutionum commutare: illud decreuit, ac statuit, vt loco septem Seniorũ Congregationis, pro quibus tantum tres Commissarij simul cauissent: duæ partes ex tribus capituli cuiuscumq; generalis eiusdem Congregationis, postmodum ritè cælebrandi: Constitutiones sibi conformare, & de nouo constituere: constitutas corrigere; & eisdem addere, & diminuere quicquid ad Dei honorem, Canonicorum profectum, & Religionis incrementum facere arbitrarentur: idq; per suas patentes litteras manu Ioannis Vernatij Chremonensis Notarij, & ipsi Domino Antonio Commissario à secretis, subscriptas, & appensione magni sygilli ipsius D. Cardinalis de more communitas. Data, & acta fuerunt hæc Florentiæ in Domo eius habitationis sita in domibus S. Antonij Ciuitatis prædictæ anno à Nat. Dom. 1420. ind. 13. die Sabati. 17. Augusti Pontif. Martini V. anno 3.

Et anno ſecundi Generalatus ipſius Patris Stephani, quẽ confirmatum ſingulis annis legimus in eo, vſq; dum vixit. Et nota, quod Reuerend. Pater anno ſolum, & Generalatus ſecundo elapſo, renunciauit officio, quod antea non fecerat: id verò fuit anno Sal. 1437. Congregationis autem anno 30. in quo etiam primò confectum fuit Inſtrumentum circa auctoritatem Prioris Generalis ob forum contentioſum. Præfatarum verò litterarum exequutio in nouis condendis legibus certa ratione quinquennio poſt à Patribus illis dilata fuit in generali Capitulo, itidẽ in Ambroſiano Monaſterio de more cælebrato: & idem Prior Generalis quintò deſignatus eſt Pater ipſe Stephanus: in quo Capitulo pro auctoritate ab Antonio Cardinali (ſicuti antea commemorauimus) tradita, primæ conditæ ſunt Congregationis leges, & Conſtitutiones, duobus fortaſſe, vt conijcere fas eſt, ſuperioribus annis iuxta formam poſtea ternorum comiciorum generalium conſtitutam, ſemel, iterumq; promulgatæ; inſtitutumq; in ſingulos annos, vt iam cæperat, Capitulum generale, quod ad vſq; tempora Pij eius nominis V. Pont. Max. adaucta feliciter Congregatione, cælebratum eſt frequenti admodum Patrum Conuentu, atq; conſeſſu. Hæc autem ex Conſtitutionum illarum libello perſpicies, atq; adeo initio ex ipſo proemio. Anteriori autem proximo præcedẽti anno 1421. Congregationis 14. ſub tertio Magiſtratu Reuerendi Patris Stephani, vix reperio quid factum ſit memoria dignum. Anno Sal. 1422. Congregationis verò 15. apud Florentinos generale Capitulum tum primũ fuerat collectum, & Pater Stephanus ibidem quartò Generalis confirmatus: agebat etiam Prioratum apud ipſos. Quod videre eſt manu Bartolomæi Dominici. Notarij Florentini. Nec illud mireris, Priorem Generalem creatum, etiam fuiſſe Priorem ſpecialem vnius Monaſterij, vt ſupra attigimus: cum eumdem vſum poſteriores Patres

longè

longè post admisisse non numquam legendo inuenies. Constat item instrumentum sindicatus procuratorij apud Ambrosianos, quo pater nominatur Prior generalis, & frat. Dominicus Cionus Prior Monasterij: numeranturq; ibi duo noui antea non lecti Canonici, videlicet frat. Augustinus Armani Alemanus, & frat. Martinus Petri Parmensis Conuersus: quorum secundus inter Conuersos lõgam caniciem vixit. Hinc illud posterioribus temporibus seruile bellum (quod nostri seniores appellant) exortum non dubitamus: quo Conuersi apud posteriores ius suffragij, repugnantibus Canonicis, sibi vendicabant: huiusmodi possessionem suam antiquam asserentes: quæ in ipsis primordijs cum ipsa Congregatione quasi adoleuisset. Instrumentum constat scriptum manu Adæ Eugubini 15. Februarij anno Sal. 1423. Potuissent fortasse dicti Conuersi ius suum ferendi suffragij satis tueri ex alijs duobus documentis in sexto Generalatu apud Eugubinos, cũ ibi etiam legatur interfuisse Reuerendus Pater, numerenturq; agentes numero quàm vnquam antea iustiore, decem enim recensentur absq; ipso Conuerso: ne fortè contra ipsos excusaretur Canonicorum numerus exiguus, quasi in prioribus instrumentis Conuersus vocatus fuerit pro eo augendo agentium debito. Sed an vis electionibus possent præscribere Conuersi. Vide cap. ex eo. de elect. in fine. iuncta glo. Nota super id, quod anno Sal. 1435. Congregationis vero 28. in Capitulo generali apud Florentiam, decretum fuit pro conseruatione mutuæ charitatis erga fratres Conuersos in proximo fæstò S. Saluatoris eiusdem mensis vestirentur, & ipsi in omnibus vt Canonici: succincti tamẽ super Rochettum cum Corrigia. Sed vide ex quo bono principio Conuersorum pernicies orta sit: in tantam enim paulò post prorupere insaniam, vt Clericis per omnia similes haberi voluerint: contenderintq; quibuscumq; Conuentualibus

Actionibus interesse pleno iure ferendi suffragij: quod etiam viuente Reuerendo Patre Stephano proditum est obtinuisse: & propterea cautum postremò, ne noui vlterius admitterentur. Anno autem Sal. 1436. Congregationis vero 29. primùm in Conuentu Scopetino Commissi fuerunt nominati. Commissorum verò antea obmittebatur ratio: quòd inter prima priuilegia, & priores Cōstitutiones receptati non fuerint: Oblati enim, & familiares domus tantum in ijs apud Conuersos nominati: & demũ ijdem quandoq; Commissi arbitrio cuiuscumq; sunt appellati: omnes autem sub solo nomine, in certo habitu cōfusaneo vtiq; Ordine, ac titulo diù veluti mancipia seruierunt. Tandem certo religionis habitu, & dehinc etiam ipsi fratrum prænomine donati, modernisq; oblatis professi præferuntur. Sub hoc etiam quarto Generalatus Patris cælebratur quoddam miraculum in eo Florétino Cōuentu: Vnus enim ex iunioribus ad tantam obedientiæ promptitudinem, & sinceritatem deuenerat, vt in stuporem sui omnes conuerteret. Dum itaq; in Horto esset cũ suis coæuis, & Magistro in estare post cænam in spiritualibus colloquijs de ambulando, vt nunc fit etiam; & casu in quodam vitis sarmento impegisset, illud pedibus procul abiecit. Quod videns à longe Prior ipse Generalis, data occasione eumdem aduocatum coram omnibus paterna correctione repræhendit impatientiæ; iussitq; illud collectum coram se deferri: acceptum verò in manibus non modò aridum, sed propè putre, præcepit illi, vt signo crucis deuotè signatum flexis genibus cum trina persolutione angelicæ salutationis, in terra figeret, & adducta bis quotidiè aqua illud irrigaret. Quod sanè præceptum solita veneratione, omni postposita impossibilitatis cōsideratione, suscipiens deuotus iuuenis; veluti olim Ioannes ille, de quo Cassianus refert; ita expleuit, vt post non multos menses aridum illud sarmentum, & foci vsibus aptũ,
Dei

Dei virtute,patris sanctitate,& pura illius iuuenis obediẽtia,viride restitutum: & quod est magis mirabile,sequenti anno curas ad maturitatem protulit copiosè: quæ ad euidentiorem miraculi demonstrationem,per singula grana signum crucis insculptum habebant; & sic perseuerauit illa benedicta vitis ad eius vsq; Monasterij diruptionem anno 1529. Mense Nouembris factam. Anno Sal. 1423. Congregationis verò 16. Capitulum generale cælebratum fuit etiam apud Florentinos,& quintò Reuerẽdus Pater Stephanus electus est Generalis, vel confirmatus. Anno salutis 1424.Congregationis vero 17. Capitulum generale habitum est apud Ambrosianos,& Reuerẽdus Pater confirmatus est Generalis sextò. Septimum Patris Generalatum anno Sal.1425.Congreg. verò 18. cælebrem fecit Capitulum generale tum quintũ apud Ambrosianos coaptum: quo sub diem 5.Maij , vt attigimus suprà,publicatum fuit nouum opus Constitutionum, antea diuersis Capitulis generalibus elucubratum;quas quidem Congregatio primis temporibus religiosissimè obseruauit; vt potè nihil sentientes , nisi quæ in humilitatis spiritu Religiosos diuinis moribus decorarent , Christiq; Saluatoris charitate vnirent , solidarentq; in sancto proposito. Eas tamen posteriores, quibus Pater ipse agnitus non fuerat,antiquarunt,nouissimis, quæ vix modò leguntur,super inductis : illis autem perpetuo decreto cauit Pater,vt nullum deinceps statutum locum in Constitutionibus haberet , nisi quod in duobus Capitulis generalibus , alteri mox succedentibus,duabus partibus , Rogatorum Patrum placuisset; tertiumq; sequens eodẽ numero sciuisset. Duoq; à Congregatione , quoad potuit , diuturniore exilio eliminauit: Curam,& consuetudinem Monialium, ac mulierum non parochianarum : & carnes inter fercula (ægrotantium cura seruata) earum ergo proemium; quo tria hæc inuiolabili custodia inhibebantur : sub nomine

Patris, filij pientissimi, suam magis, quam illius rationem habentes: vt potè, quia ipse quoad vixit, semper id recusauerit, exordiri hoc titulo voluerunt videlicet.

Proemium nouarum Constitutionum.

FRATER Stephanus Ioannis de Senis Prior Generalis Canonicorum Regularium, siue fratrum S. Saluatoris Ordinis S. Augustini, & cæteri alij repræsentantes totum Capitulum generale Ordinis nostri, cælebratum in nostro Conuentu S. Ambrosij propè Eugubium sub anno Dom. 1425. die 5. Maij salutem, & gloriam per obedientiam salutarem fæliciter adipisci. Cum auctoritate Apostolica nobis benè congruè sit concessum per Reuerendissimum in Christo Patrem, & Dominum, Dominum Antonium diuina miseratione Episcopum Portuensem, posse nostras Constitutiones de nouo instituere, augere, corrigere, vel minuere, vt in suo priuilegio pleniùs continetur. Nos posteris nostris de vita in moribus religiosis ducenda prouidentes, infrascriptas Constitutiones vnanimiter, & concorditer statuimus, ordinamus, & confirmamus per capitula distinguentes, vt infra. Quæ Constitutiones cum alijs superioribus, & posterioribus in proprio libro seriosè describuntur.

Conduntur hoc tempore Constitutiones, quas nunc antiquas appellamus in Capitulo generali tunc cælebrato apud S. Ambrosium: quæ factę sunt vigore Decreti superioris, Pontificis eiusdem anno 8. Hæ Constitutiones infra mutantur, alterantur, & conuertuntur in nouas, quas appellatum postea anno 1482. Nouerint etiam penitus vniuersi, quod R. Pater Stephanus post multos sudores, ac intolerabiles humanitatis labores, summo afflatus spiritu,

ritu,quam plurimorum etiam Christi seruorum vsus con, silio: præuia(vti patet) Apostolica auctoritate, quibusdã ex suis fratribus commisit,vt peruisis, lucculentissiméq; discussis optimorum religiosorum diuersis Constitutionibus,has componerent, à Capitulo generali dehinc approbandas, atq; confirmandas: vt inquam pluribus liquet actibus eorumdem Capitulorum per actum fuisse. Demum ipsis iam debitam in formã redactis, inspectoq; nomen suum præponi,omni prorsus reluctamine, velut humillimus,illis interminatus est,ne vlla ratione suum ibi nomen præfixum relinqueretur: at ipsi ampliori fide succensi,inter se hoc decreuerunt: Deo scilicet in hoc magis quam sibi penitus esse parendum:cęci apud hierico illuminati hoc dumtaxat exemplũ pure imitantes, qui à turbis repressus,ne eius panderent mira prodigia; magis,ac magis gloriam eius extollebat. Cognoscentesq; longissima experientia tantum virum, tamquam omnis scenodoxię diuinum nuncium; pro suis tot laboribus in terra viuentium nomen suum sculptum dumtaxat cupere haberi: nõ sunt passi in hac militanti Ecclesia idem etiam extingui: quin potius ad successorum maximè suorum perpetuam memoriam,non sub modio,sed super Candelabrum irrefragrabiliter meritò fulgere. Anno sal. 1426. Congreg. verò 19. in octauo Patris Generalatu, apud Ambrosianos confirmato,quo quidem tempore, & merito, & numero satis aucti Canonici nostri,cum in maxima obseruatione,& arctissima paupertate Saluatori suo alacriter, & indefessè deseruirent; accidit hoc relatu dignissimum: nã die quodam,dum vespertinis horis manuum operibus lassi,solemne ac præceptum ieiunium essent soluturi, singulos dimidiatos panes, qui tantummodò in Conuentu reliqui fuerant cum quibusdam crudis herbis, & agruminibus, singulis ad mensam discumbentibus simpliciter apponi: qua de re,cum tristari aliquatenus cæpissent, pater

eos alloquens benignè ad penuriæ tollerantiam hortatus est, prophetico oraculo asserens illum, qui ex nihilo cuncta creauit, quiq; aues cæli pascit, potentem esse eos etiã de ipsius prouidentia non diffidentes in Deserto illo solitudinis, vt olim Israeliticam gentem, & populum sustentare, subueniendo necessaria pro cibis, & alimento. His vix dictis, repente ecce importunè ad Monasterij Ostium pulsatur, quo accurrens Ostiarius, clausis ianuis apparuit pulcherimus iuuenis Canistrum plenum recentibus, & calidis panibus, atq; præter patriæ vsum; & formam, candidissimis, albo, & nitido gausape coopertos, & in capite bauilans: quod cum deposuisset, ianitori nihil dicens tradidit: At Ianitor gaudio, & stupore nimio perfusus, in triclinium currens coram Patre ad mensam deposuit: & statim iussu Patris ad Ostium reuersus, vt iuuenem introduceret, nullibi repertus est. Pater verò cum suis fratribus Deo immensas gratias agere cæpit; quod escam de cælo per Angelum suum misisset se tementibus. De quibus certè pluribus diebus ad saturitatem comederunt, quousq; deuotissimus Comes Vrbinas Guido Antonius abundantius eis cibaria transmisit. Gausape autem, & Canistrum pluribus annis in eo conuentu seruata fuere ad tempora vsq; vener. Patris Francisci Carrauigini, qui se illa vidisse, & pluries deuotissimè deosculatum fuisse testatus est. Eodẽ tempore Reuerendissimus D. Ludouicus Alemanus tit. S. Cęciliæ Pręsb. Cardinalis nuncupatus Arelatensis Apostolicę Sedis in Ciuitate Bononiæ Legatus vniuit Congregationis, & Monasterio S. Saluatoris Bonon. duo sacella simul iuncta; videlicet SS. Iacobi Philippi de casa Dei; & Elisabet olim Monasterium Monialium S. Benedicti de Santuccijs nuncupatorum à Martino V. antea deformatum; percessionem Domini Galeotti de Cannetulo, sub annuo censu vnius librę piperis Cathedrali Ecclesiæ soluendo: extinctis in Ecclesia præfata Abbatissali digni-

tate,

tate,& Ordine S.Benedicti. Quæ vnio postea ab Eugenio 4. anno sal. 1431. sui pontificatus primo, 5. Non. Martij sequentis confirmata fuit. Erāt autem intra muros Bononienses propè Portam S.Mammę; & licet sub duobus titulis perplnres annos titulotenus tantū cōfereretur, vna tamen tantum Ecclesia seu vnum beneficium erat: quod postea à Patribus nostris collatū fuit sub annuo perpetuo censu vnius libræ cerę, & piperis alterius; quam piperis libram nihilominus Monasterium soluit Ecclesiæ Cathedrali dilectis religiosis Iesuatis nuncupatis extra eamdem portam in Monasterio commorantibus propè Ecclesiam S. Eustachij, de qua plenius habetur apud Monasterium nostrum Bononiense in libro particulari vnionum: & dicitur fuisse redditus Florenorum quatuor Bononiensium: sub Datum Bononie in Palatio eius residentiæ die 20. Augusti eodem anno.

Anno 1427. Congrationis verò 20. Capitulum generale cælebratum fuit Eugubij,& Reuerendus Pater nonū accepit Generalatum. Idem D. Ludouicus Alemanus tituli S. Cæciliæ Prębiter Cardinalis,& Legatus Bononiæ exemptionem elargitus est Canonicis nostris residentibus in Monasterio S.Saluatoris numero vt plurimum 12. aliquando etiam 16.& non habentibus necessaria nisi pro numero 8.& ex sæpè coactis mendicare victum, sibi citra dictum numerum 8.deficientē : & pręstauit vt vsq; ad dictum numerum 16.personarum essent immunes à Datijs Ciuitatis; nec non à Datio Vini,quod eis dari,seu erogari contigisset tàm in hoc pro parte eis tangente, quā pro parte contrahentium cum illis: quam exemptionem statuit duraturam ad beneplacitum sui. Hanc deindè Dominus Fantinus Prothonotarius Apostolicus Venetus, & Gubernator in Ciuitate Bononiæ confirmauit in perpetuum,prout iacet in Pręrorio,& hoc voluit ad quemcūq; numerum personarum dicti Monasterij referri, sub Datū

Bono-

Bononię in Palatio eius residentiæ 28. Decemb. 1431. Et est subscripta hæc secunda exemptioni priori, de qua nũc agimus, & munita sigillo eiusdem paruo. Illa verò est sub Datum in præfato Palatio die 4. Ianuarij 1428. cum appensione sigilli, anno verò Congregationis 21. Quo Capitulum generale cælebratum est apud Florentinos, & fuit decimus Generalatus eiusdem Patris. Hîc suboritur coniectura de morte venerandi Patris fratris Dominici Cioni de Senis; cum deinceps nusquam legatur; & pro eo in prioratu Ambrosiano ad hoc Capitulum venisse reperiatur frat. Petrus Pauli Senensis, qui superiori anno lectus fuerat Conuentualis subditus in eodem Monasterio Ambrosiano, in quo ipse Pater Dominicus fuerat Prior assignatus. Hic itaq; ad æternæ vitæ præmia pro laborum suorũ merito Ilicetano socios post B. Franciscum, quem sub eo exilio notauimus decessisse, omnes præuenit: laborauit enim apud Patrem in aduersis, prosperisq; fidelissimus Comes. Huius fidem testantur pleræq; Apostolicę litteræ, quas super præmisimus, præter alia multa instrumenta, quibus in obeundis Congregationis negocijs, semper vna apud partem delectus Procurator fuit: cui ob singularem prudentiam solertissimum, religiosissimumq; ingenium, pater ipse iam senex, vti solido baculo, incumbebat. Huic ergo ęquam religionis partem grati referamus. Loco eiusdem mortui crediderim successisse in Congregatione nouum eius anni fratrem Dominicum Bartolomæi ex plebe Bononiensi, quo tanti patris memoria non cassaretur. Successit autem, vt diximus, in eius prioratu Eugubino frat. Petrus Pauli, qui ex Ordine Mendicantium Prędicatorum ad nostros insignis moribus, & doctrina transcendit: cuius opera pater in priuilegio Martini, & secunda retaxatione Bonon. Conuentus; atq; in editione, & dictamine superiorum constitutionum, præcipuè vsus est. Id quod tria præ cæteris magis manifestãt:

suppri-

supprioris scilicet nomen: & quod adoperto capite scapularis hasta (quam dicunt) ad latrinas pro maiori honestate taciturni sedemus, ne etiam locus ipse suo quasi officio vacet: atq; quod omni die post vespertinam aquæ lustralis aspersionem, similiter & fratrum cellę à deputato aspergantur: supperiorem enim dogma ipsum adhuc retinet, exemplo eius Diui fundatoris, qui inter nostros cō canonicos supprior exomensis appellatus est. Alteram tamē eius supprioris nominis causam, quasi necessariam arbitror apud patres nostros fuisse; nam apud Monasterium Bononiense quo ad vixit Prior perpetuus, is Magistratus fuit apud nostros honestissimus; cuius etiam creabatur Vicarius, vt in eo Monasterio haberent interim nostri suppriorem, & eius Vicarium. Quod tamē nomen post etiam mortem eius Prioris, per aliquot annos in cæteris quoq; Monasterijs Vicarij locum obtinuit. Vicariū nec nō ante Bononiensem vnionem fuisse apud Ambrosianos obseruauimus. In hoc igitur Monasterio Bononiēsi supprior dictus est, vel sub priore perpetuo, dum ille inter viuos egit: vel sub priore generali, qui omnibus, vt ostensum est, & Prȩlatis nostris præsidebat. In latrinis verò sedere operto capite, & fratrum cellas singulis diebus in sero aspergere, eumdem fratres Prȩdicatores ipsi prætendunt auctorem suum Diuum Dominicum fuisse. Sub hoc eodem patris Generalatu decimo vnitæ fuerunt duæ Abbatiæ, idest S. Donati de Polpiano, & S. Bartholomæi de Petrorio inter fines Eugubinos, cum Monasterio Ambrosianos, diligentia, & charitate præfati Comitis Vrbinatis Guidi Antonij, quo Monasteriū ipsum magis illustre, atq; opulentum redderetur, vti Martini V. Pontificis litteræ sonant in sequenti.

Bulla

Bulla Martini V. pro vnione Abbatiarum S. Donati, & S. Bartholomæi Monasterio Ambrosiano Eugubino. Cap. V.

MARTINVS Episc. ser. seruorum Dei, dilecto filio Priori Ecclesiæ Eugubinæ sal. & Apost. ben. Apostolicæ seruitutis officium nobis ex alto commissum circa Monasteriorum, & aliorum locorum regularium, in illisque pro tempore degentium personarum quarumlibet statum salubriter dirigendum sedulis curis exequi solliciti, illa eis solertis prouisionis impēdimus auxilia, per quę Monasteria, & loca ipsa fęlicibus iugiter gratulentur euentibus: dictæq; personę religionis obseruantiæ intendentes gratum Altissimo reddere valeant famulatum. Dudū siquidem bonæ memoriæ Baltassar Episcopus Tusculanus, in eius obedientia Ioannes 23. nuncupatus, prouisione Monasteriorum omnium per priuationes, seu amotiones de Prælatis eorum vbilibet constitutis per ipsum, seu auctoritate litterarum suarum faciendas tunc vacantium: & in posterum vacaturorum ordinationi, & dispositioni suæ reseruans, decreuit, ex tunc irritum, & inane si secus super his per quoscumq; quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari. Et deindè S. Bartuli de Petrorio, & S. Donati de Polpiano Ordinis S. Benedicti Eugubinæ Diœcesis, Monasterijs inuicem Canonicè vnitis ex eo vacantibus, quòd idem Episcopus, tunc Ioannes 23. Mattęum Monacum olim eorumdem Monasteriorū Abbatem, licet absentem, suis culpis, & demeritis exigentibus omni regimine, & administratione bonorum dictorum Monasteriorum, quibus tunc præerat, auctoritate Aposto-

Apoſtolica priuauerat,ipſumq; amouerat realiter ab eiſdem. Ac volens tam dictis Monaſterijs, quæ, vt aſſeritur, in locis campeſtribus conſiſtunt,de gubernatore idoneo, per quem ſalubriter regi valerent: quàm etiam quodam Petro Arigi de Monte bello Monaco Monaſterij S. Angeli de Gaifa,dicti Ordinis Vrbinatenſis Diœceſis; vt ſtatum ſuum decentius . . . . valeret: de alicuius ſubuentionis auxilio prouidere, vnita Monaſteria prędicta eidem Petro per eum,quoad viueret,tenenda,regenda,& etiam gubernanda commendauit: Curam,regimen,& administrationem eorumdem Monaſteriorum ſibi in ſpiritualibus,& temporalibus plenariè committendo. Cum itaq; poſt modum dictus Petrus in poſſeſſione regiminis, & adminiſtrationis huiuſmodi in vim Commendæ huiuſmodi exiſtens,extra Romanam Curiam deceſſerit;ac huiuſmodi Commenda propterea expirauerit: Monaſteria quoq; præfata adhuc,vt præfertur,vacare noſcantur: nullusq; de illorum prouiſione,præter nos hac vice ſe intromittere potuerit,ſiue poſſit,reſeruatione,& decreto obſiſtentibus ſupradictis: Et ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij nobilis viri Guidantonij Comitis Montis Feretri petitio continebat: Prioratus S. Ambroſij extra muros Eugubinos Ordinis S. Auguſtini adeò redditibus,prouentibus,& facultatibus pro Prioris,& Canonicorum inibi Altiſsimo famulantium ſuſtentatione neceſſarijs penitus caret: & niſi Comes præfatus ob ſingularem, quam ad eoſdē Priorem, & Canonicos gerit deuotionē, eis de victu,& veſtitu,alijsq; vitę neceſſarijs, de bonis ſuis prouideret:Prior,& Canonici prędicti pro petendis Chriſti fidelium elemoſinis, oſtiatim mendicare cogerentur, & regulari obſeruantiæ intendere non poſſent: cultus quoq; diuinus non modicum in præfato Prioratu diminueretur. Quare pro parte dicti Comitis fuit nobis humiliter ſupplicatum: vt Abbatiali dignitate, & dicto Ordine

dine S.Benedicti in præfatis vnitis Monaſterijs, in quibus à longis citra temporibus nullus reſedit Monacus: quorumq; fructus, redditus, & prouentus ſexaginta Florenorum auri, ſecundum communem extimationem, valorem annuum, vt aſſeritur, non excedunt: penitus ſuppreſſis, & extinctis; fructus, redditus, & prouentus huiuſmodi dicto Prioratui S.Ambroſij pro ſuſtentatione Prioris, & Canonicorum prædictorum applicare, conſtituere, & deputare, & alias ſuper ijs paternaliter prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaq; de præmiſſis certã notitiam non habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati; diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus: quatenus de præmiſſis omnibus, & ſingulis, ac eorum circunſtantijs vniuerſis auctoritate noſtra te diligenter infor mes: & ſi per informationem huiuſmodi ea vera eſſe repe reris; ſuper quo tuam conſcientiam oneramus: Abbatialem dignitatem, & Ordinem S.Benedicti prædictos in eiſdem vnitis Monaſterijs eadem auctoritate penitus ſupprimas, & extinguas: nec non fructus, redditus, & prouen tus huiuſmodi dictorum Monaſteriorum, in eorum tamẽ loco primitus duobus Prioratibus manualibus, qui à dicto Prioratu S.Ambroſij dependeant: & per illius Canonicos ad nutum dicti Prioris ponendos, & amouendos gubernentur, erectis: eidem prioratui S. Ambroſij applicare, deputare, & aſsignare auctoritate pręfata procures. ita quòd liceat eidem priori, & Canonicis ex tunc ſic ſuppreſ ſorum Monaſteriorum prædictorum, ſiue, vt præfertur, aut aliàs quouis modo, vel ex alterius cuiuſcumq; perſona vacent: aut ex quauis cauſa alias eorũ prouiſio diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel generaliter ad Sedem Apoſtolicam pertineat: corporalem poſſeſsionem auctoritate Apoſtolica liberè appræhendere, & perpetuò retinere: ac huiusmodi illorum fructus, redditus, & prouentus in ſuos, & dicti prioratus S.Ambroſij vſus, & vtilitatẽ

con-

conuertere: Diœcesani loci, & cuiuscumq; alterius licentia super hoc minimè requisita. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus Monasteriorum prioratus, & ordinum prędictorum: iuramento, confirmatione Apostolica, vel quacumq; firmitate alia roboratis; cæterisq; contrarijs quibuscumq;. Datum Romæ apud SS. Apostolos Kal. Iunij Pont. nostri anno 11.

Processus autem executorialis fulminatus in executione litterarum supradictarum, fuit à vener. Doctorum Doctore Domino Frãcisco de Zamponibus Priore Canonicæ Eugubinæ Apostolico executore, manu Ser Adami Ioannis de sanctis de Eugubio Indictione 7. anni Christiani 1429. die 13. Mensis Aprilis Pont. præfati Papæ Martini V. anno 12. Quarum valor erat sexaginta Florenorum; nec fuerunt ad quindennium obligatæ, quia nõdum lex emanauerat. Hæc executio mandata fuit Priori Ecclesiæ maioris, & non Episcopo, quia nos tunc eramus in lite cum eo. Quo processu Prior Ambrosianus præmissus, videlicet frat. Petrus Pauli Senensis creauit statim duos priores manuales, iuxta vnionis litterarum tenorem videlicet fratrem Regulinum priorem S. Donati in Polpiano: & fratrem Ioannem Antonij priorem S. Bartoli in Petrorio, ambo Senenses. Ex scripturis, & antiquissimis priuilegijs huiusmodi duorum locorum, pro certo affirmare possemus, eumdem errorem surrepsisse pro duabus his Abbatijs, quem docuimus pro duobus Monasterijs S. Mariæ de Rheno, & S. Saluatoris Bononiensis. Nam prętérquam quod omnia antiqua documenta solam Abbatiam S. Donati sonant: priuilegia quoq; eiusdem temporis inter bona eiusmodi Abbatiæ recensent Ecclesiam S. Bartolomęi absq; alio dignitatis titulo, vt id genus alias multas. Potuerunt enim Monachi illi S. Benedicti, vt dictum est, aliquando vtrobiq; residere, siue aliqua fortuna temporum

coacti,

coacti, siue alio commodo opportuniore persuasi: ex quo etiam dicti fuerint sancti Bartholomæi. Quæ causa fuit, vt duæ Abbatię, sicuti duo illa Monasteria, crederentur. Quæ sanè ratio, vt magis constet, vnum ex multis hic priuilegium pro parte subijciam, quod est Cęlestini Papę 3. sub Datum Laterani 1191. Qui cum omnia bona, & iura Abbatiæ S.Donati de Polpiano (qui locus primum fortaßè appellatus est Polpianum, quasi situs post planum; dehinc Petrorium) confirmet sub protectione sua, & Sedis Apostolicæ ea suscipiens; hæc nominatim recenset: Ecclesiam S.Bartolomæi cum suis pertinentijs: Ecclesiam S.Fęliciani cum suis pertinentijs: Ius, quod habet in Ecclesia S.Mariæ de Noce: Ius, quod habet in Ecclesia S.Saluatoris de Eugubio: & quod in Plebe S.Victoris: Ecclesiam S. Andrææ de Eugubio: Ecclesiam S.Iustini de Pleuiculo: Ecclesiam S. Simeonis, & Ioannis de Monte Vrbino: Ecclesiam S. Mariæ de Valle: Ecclesiam S. Andrææ de Pręsalia: Ius, quod habet in Ecclesia S. Angeli de Colle mulinario: Castrum, & Ecclesiam S. Aegidij de Colle palumbo: Ecclesiam S. Martini de Vaccaria: Ecclesiam S. Martini de Monte: Ecclesiam S. Christophori de Monte Feltrio: Ecclesiam S.Ioannis de Orsiniano: Ius, quod habet in Ecclesia S.Mariæ de Foßis: Castrum, & Ecclesiam S.Angeli & S.Marcelli de Glomisso: Ecclesiam S. Crucis de Rosciola: Ecclesiam S.Mariæ de Pastine: Ecclesiam S. Angeli de Perlo: Ecclesiam S.Leopardi: Ecclesiam S. Orbicæ: Ecclesiam S.Mariæ de Valle Saxi: Ius, quod habet in Plebe de Corpręseto: Castrum Gaggiani, cum Ecclesijs, Villis, Curtibus, & omnibus pertinentijs suis: octauã partem Castri cum omnibus pertinentijs suis tam Ecclesiæ, quam aliorum hominum de Gella: Familiam filiorum Binzi de Bonizo: Ecclesiam S.Petri de Passulo: Castrum Piscinalis cum cæteris Villis, & omnibus pertinentijs suis: Totum tenimentum, quod fuit Ioannis de Bonato in Ciuitate,

nitate, & Comitatu Fanensi: Castrum Maioli: Castrum Maioleti: totum tenimentum, quod fuit Sfortiæ Tebalducij, cum pertinentijs suis. Quę omnia libentius ideo sigillatim numeraui, vt sciant omnes beneficia, & deuotionẽ nostri Comitis Guidi Antonij Vrbinatis erga nostram Congregationem.

De Prioribus Manualibus. Cap. VI.

NE de prioribus Manualibus aliquem suspensum reddamus: Pontifex ipse hos priores Manuales appellauit, quasi futuros in manu Prioris Ambrosiani, cuius arbitrio instituerentur, destituerenturq; Hinc arbitror inoleuisse vsum illum, vt crearentur post hac huiusmodi priores apud Monasterium Bononiense illarum Ecclesiarum, quę illi ab antiquo subijcerentur: Idemq; factitatum deindè, apud nonnulla alia Monasteria, quæ dehinc vnita fuerunt; adeò vt breui in actis Congregationis antiquis pauca Monasteria multos Priores habuerint. Ab anno scilicet 1429. vsq; ad 1464. deputabantur priores manuales, vel titularij, ac nomine tantum in aliquibus membris dignioribus Congregationis, vt in S. Erasmo, & in S. Bartolo de Eugubio S. Andrææ de Musciano: S. Michaelis ad Campora extra Florentiam S. Albani de Quinciano: S. Laurentij de Ciuitella apud Senas: S. Lucæ de Ferraria: SS. Elisabeth, & Iacobi Philippi de Bononia, &c. Qui tamen Manuales Priores ab alijs Monasterij fratribus Conuentualibus sub Prælato nihil differebant: nec ad Capitulum generale conueniebant; nisi fortè Prælato socij aliorum fratrum voto deligerentur. Eum verò vsum, magis in alijs exoleuisse laudo, quàm vbi Sedis Apostolicæ peculiari

instituto, vt ijs, decretum fuerit. Visus iste numero, & dignitate ampliatus est, postea sub anno 1531. Vacante itaq; Monasterio S. Bartoli, vt supra, per mortem Petri Arrigi potius Commendatarij, quam Abbatis; quia inuentum fuerat modò S. Donati: modò S. Bartoli: ideo Martino Papæ V. insinuatum est fuisse duas Ecclesias, quas vacantes, vt dicimus, idem Pontifex, suppressis in eis Ordine, ac officio Monacali, vniuit cum omnibus alijs iuribus, & pertinentijs suis Monasterio S. Ambrosij: mandans in ipsis Ecclesijs per eundem Priorem S. Ambrosij, poni duos Priores, vt supra manuales. Sub hoc decimo Generalatus Patris ipse Pater publicauit suũ Vicarium, ab eo creatum, fratrem Ioahnem Antonij Senensis; quem etiam ob id ipsum negocium Procuratorem suum legerunt Ambrosiani. Et inter Agentes antiquioribus adijcitur frater Donatus Michaelis Florentinus.

De

De Prioribus Rhenanis, & de obitu Frat. Francisci Ghisilerij vltimi Prioris. Cap. VII.

DE nominibus Priorum S. Mariæ de Rheno ante confirmationem Ordinis Canonici factam ibi per Innocentium 2. & ab ipso tempore suę institutionis per multos annos vsq; ad præfatam Reformationem: nulla penitus particularis, & continuata memoria reperitur, sed nonnullorum eius Canonicorum nomina tantum habentur: vel ob incuriam eorum temporum: vel forte ob aliquā eius Canonicæ iacturam, & calamitatem scripturæ perierunt. Primus autem Prior sub anno 1136. quo in ea Canonica ex noua lege, & propria deliberatione ab Innocentio 2. Ordo Canonicus per multos annos antè de Dioecesani licentia, & permissione, secundum eorum temporum morē post ipsius Canonicæ fundationem in ea institutus, tunc verò reformatus fuit, nominatus est D. Guido, qui semper etiam venerabilis Pater ob religionem, & morum suorum grauitatem dictus est. Sedit vsq; ad annum 1179. & obijt penultima Maij. Sub id temporis Priores calculis suorum Canonicorum Conuentualium eligebantur. Erant autem Canonici numero tunc septem.

Secundus Prior fuit D. Gerardus, qui ad præfatū prioratum assumptus fuit, à prioratu S. Feliculæ de Parma; ad quem, dum esset Canonicus, & Sacrista S. Mariæ de Rheno, fuerat translatus. Electus autem fuit Prior Rhenanus à Canonicis 12. Hic 1183. electus fuit Archiepiscopus Atquensis; & obijt anno 1190. die 18. Decembris.

Tertius prior fuit D. Vgo Burghesius filius Dominę

Burgesæ benefactricis Monasterij; & fuit electus à Canonicis numero 25. Hunc Clemens 3. subdiaconum suum semper appellauit. Durauit Prior vsq; ad annum 1208. obijt 18. Decembris. Sub hoc priore facta est Conuersa Monasterij Angelica Caidæ filia ex Matre Bononia; quæ liberè, ac simpliciter donauit, & renunciauit inter viuos præfato Vgoni Priori, & Monasterio Rhenano omnia bona sua: & de hac re inuestitionem super Altare maius posuit; & obedientiam promisit. Postea vsu quodam iam sibi reseruato fructuum, & bonorum nonnullorum, ędificauit Ecclesiam, & habitationem S. Mariæ in Monte Guardiæ, studio, auxilio, & consilio ipsorum Prioris, & Canonicorum de Rheno; maximè autem D. Lamphranchi, & Presbyteri Albertini de Refeno senioribus, quos illa petijt à D. Priore suos Consultores, & Patrinos. Sed de hoc latius in libris Procuratoriæ nostri Monasterij S. Saluatoris de Bononia in libro actionum Priorum, & Canonicorum antiquorum de Rheno. Eidem Vgoni Priori oblatū fuit Hospitale Spiritus Sancti propè Lauinū anno 1216. Nonis Maij à Domino Dominico vulgariter nuncupato *Il Vescouo*.

Quartus Prior fuit D. Rainerius de Benno, qui electus fuit à Canonicis 27. sub hoc priore homines de Sala iurarunt omnes fidelitatem Monasterio, accusantes pezzias terrę ipsis Monasterij, quas illorum quisq; in Sala possidebat. Ipse verò prior renouauit illos, & confirmauit Monasterio vassallos: habuitq; per Mandatum executiuum tenutam Castri Salæ pro sexta parte. Anno autem 1227. Mense Octobris ob quamdam litem, quam habebat cum Henrico Episcopo Bononiense ob quasdam immunitates, quas prædecessor suus Gerardus de Scannabechis Episcopus Bononiensis, olim & ipse Canonicus de Rheno, præfatæ Canonicæ, & Canonicis contulerat: cessit spontè prioratui, & abdicauit se ab huiusmodi negocijs.

Quin-

Quintus Prior fuit D. Michael electus à Canonicis 20. & sedit vsq; ad annos 1230. obijt die 31. Octobris.

Sextus Prior fuit D. Thomas, seu Thomasius, vt in multis instrumentis appellatur, qui tunc erat præpositus Monasterij cum fuit electus prior. Sub hoc priore sublata est lis, & controuersia cum Henrico Episcopo Bonon: supradicto; & ambæ partes se accommodauerunt per compromissum, vt in præfato libro. Sedit Thomas ad annuū vsq; 1249. quo electus fuit Episcopus Imolensis 14. Nouembris. Obijt autem anno 1259. pie 30. Octob. Electionem huius Thomæ ad prioratum factam reperio in subscripta forma per compromissum. Cōuenerunt in Ecclesia S. Mariæ de Rheno in Choro omnes Canonici, & Conuersi; Canonici num. 14. Conuersi verò num. 37. in electionem noui prioris. Qui omnes vnanimiter elegerunt D. Thomam præpositum; & D. Rainerium de Benno olim priorem; vt duorum ipsorum esset electio de duobus Canonicis, & vno Conuerso, qui tres possent eligere priorem vnum de Conuentu quem vellent ipsorum Canonicorum: & electi fuerunt D. Saldus Canonicus, & prior S. Apollinaris: & D. Petrus Canonicus; & Petrus Salauinus Conuersus: qui electi, prius iurati factis manu corporaliter sacrosanctis Euangelijs, vt eligerent de ipsa Domo, & Conuentu quem magis idoneum, & meliorem iudicarent circa regimē, & administrationem Monasterij in priorem. Recesserunt igitur in partem Ecclesiæ remotiorem, & vnanimes nominauerunt in priorem præfatum D. Thomam præpositum: qui non statim annuit; sed protestatus est, quicquid faceret, seu disponeret circa administrationem Domus, id se facturum tamquam præpositum, & non dictæ electionis occasione. Rogatus Carbo Notarius in præfata Ecclesia: & exemptat. per Franc. Cambij attolim. quæ electio facta est 4. Nouembris 1230. Credo formam huiusmodi electionis in Priorem fuisse nouam, & contra stylum, &

modum aliorum electionum superiorum priorum. Et sanè in libro prima huiusmodi electionis forma conscribitur. Quare forsam dubitans ipse Thomas de ista nouitate, primum abnuit, vt supra, & protestatus est. Sed hunc modum postea prosecuti sunt in priorum electione. Huic Thomæ, & Tancredo Bononiensi Archidiacono, & Palmerio S. Mariæ de Campagnola Parocho, viris maturis, probis, & moribus ornatis Gregorius 9. anno 1240. volēs inter Diuos referre B. Dominicum Ordinis Prędicatorū institutorem, auctoritate Apostolica mandauit, diligenter vitam, acta, gesta, ac miracula eiusdem viri Dei Dominici, tam ante eius fęlicem exitum, quam post facta, & perpetrata, peruestigata in vnū corpus colligere, & collecta per publicum Tabellionem reponenda in Codicem; & ea omnia Canonicè sic descripta, eorumq; sygillis ad se mitti obsignata. Quod factum fuit, omnia describente Aldobrandino filio Tebaldi Tabellione publico.

Septimus prior fuit Guetius, seu D. Guęzus, Ecclesiæ tunc vacante per promotionem supradicti prioris D. Thomæ ad Episcopatum Imolensem. Electio autem Guezi facta similiter fuit per compromissum, vt superioris. Canonici vero leguntur num: solum 13. Conuersi aut num. 21. Et erat Guezus Canonicus quidem; at solum Diaconus, & post annos 20. quibus prioratū rexit, vix acquieuit, vt assumeretur ad sacerdotium. Interim sub anno 1269. 13. Septemb. constituit D. Candaleonem D. Iacobini de Castello suum procuratorem ad repręsentandum se corā D. Episcopo Bon. & ad proponendum excusationes suas, & impedimenta, ob quæ ad Sacerdotij Ordinem promoueri non posset: & ad petendum ab eodem prorogationem termini in sua Constitutione statuti circa talem promotionem: & ad appellandum, & cætera huiusmodi opportuna faciendū. Qua de re fuit rogatus Albertus quondam Pacis de Vliueto sub Porticu domus forasteriorum

Eccle-

Ecclesiæ S. Mariæ de Rheno: & de superiori electione rogatus fuit Bernardus Camerinẽsis: sed transumptum fuit per Bartholomæum Cessabenis in Ecclesia S. Mariæ pręfatę prima Iunij 1269. Dictus Prior mox electus, excommunicationem contra proprietarios promulgauit. Et 16. die postquam electus est, elegit ipse de consensu suorum Canonicorum D. Bologninum vnum ex suis Canonicis in Rectorem perpetuum Prælatum, & Pastorem in spiritualibus, & temporalibus Ecclesiæ, seu Hospitalis Spiritus Sancti; rogatus Bonauentura Homoboni in Capitulo Ecclesiæ Rheni die 6. Iulij 1249. sub hoc priore factus est nouus Aquæductus in nouo Alueo à Communi Ciuitatis Bononię (nã absq; dubbio iam pridem Nauigiũ Rhęni habebatur, vt patet ꝑ multas ante scripturas; sed fortasse in Ciuitatem non deriuabat) Et quia huius causa Monasterio damnum inferebatur; ideo manarunt sequentes litteræ Apostolicæ Innocentij Papæ 4. quibus mandauit pręposito Pistoriensis Ecclesię, vt vocatis coram partibus, cognosceręt de damno, quod passuri essent Canonici Rheni pro Aquæductu, quem Commune Ciuitatis Bononiæ in ipsam Ciuitatem parabat deriuare per eorum possessiones, & causam decidat appellatione remota; & quod deciderit, faciat obseruari. Inhibebat tamen; ne interdicto, aut excommunicatione Ciuitatem propter hoc grauaret, nisi accepisset de hoc mandatum à Sede Apostolica speciale: sub Datũ Perusij 3. Kal. Februarij anno 1252. & sui Pont. 9. Innocentius idem per alias litteras suas cõmisit supradicto pręposito Pistoriensis Ecclesiæ, vt si potestas, Consilium, & Commune Bononiæ à præfato Aquęductu non destitissent voluntariè, prout eisdem in mandatis dederat coerceret per censuram Ecclesiasticam parere: non obstante Canonicorum iuramento. Quòd vinculum sortiri non deberet ad robur iniquitatis: nec obstantibus prioribus litteris super corũ negocio; quibus inter-

 dicti,

dicti, & excommunicationis inhibebatur censura. Secuta est postea compositio inter Monasterium, & Commune Bononiæ super hoc nouo canalis Rheni faciendo Alueo: & facta est ęxtimatio de terreno laborato in hoc opere consumendo. De quo apparet instrumentum per manum Arienti, vel Arientis alias de Sabadinis olim Procuratoris Communis Bononiæ. Quod assumptum est ex libro ęxtimorum Camerę Communis Bononiæ manu Alberti quondam Pacis de Olіueto. Signatur autem æxtimū sub hoc anno, quo dictus Alueus noui canalis factus est 1253. De nouo facta fuit noua ęxtimatio in causa terreni occupati pro dicto Alueo nauigij noui; quia prior non visa est æqua. Commune Bononiæ à Canonicis Rhenanis emit illas terras: quas etiam postea ab eodem Commune Bononię ipsimet redimere fuerunt coacti anno 1268. prima Martij. Rogatus Bolognetus quondam Zagniboni. Quæ omnia patent, & in libro præfato, & in scripturis autenticis apud ipsum Monasterium.

Innocentius idem ad eundem litteras dedit, vt Priorissam, & Sorores Monasterij S. Mariæ, Montis Guardię sub obedientia Prioris Guezi, & Canonicorum S. Marię Renanæ, & S. Saluatoris Bonon. cuius sunt, retineat, ac de iure videat. Dat. Perusiæ. pridie nonas Februarias anno eodem.

Innocentius idem Priori S. Ioannis in Monte committit, vt in ea causa, Priorem, & Canonicos S. Marię tueatur, & sarcos tectos ab omni molestia, & damno malorum conseruet. Suis litteris Dat. similiter Perusię 15. Cal. Martij anno eodem, &c.

Gregorius Pontifex max. eius nominis 10. Priori S. Barbatiani Bonon. committit, vt Canonicos Renanos à molestijs Priorissæ S. Matthię super Sacello S. Mariæ de Montis Guardiæ vendicet per suas litteras. Dat. Laterani prid. id. Maij anno Domini 1271. Pont. sui anno primo.

Vixit

Vixit Guezius in prioratu vsq; ad annum 1272.& die 16. Maij obijt. Vacante sub hoc tempore Ecclesia Rheni, schisma maximum ipsi Monasterio subortum est, valdèq; perniciosum. Nam Albertus Archipræsbiter Ecclesię S. Laurentij in Culina de familia Galluccioru̅m,& cum ipsa sua familia, quæ tunc in Vrbe potentior cęteris erat, cum Armatorum manu Monasterium S. Saluatoris ingressus, vbi prędictus prior erat mortuus, ipsumq; occupans, à Canonicis extorquebat sibi amicum eligi priorem Canonici tunc numero erant 14. ad quos hæc electio spectabat: è quibus D. Ioannes Guglielmini cum septem alijs, vna sentientibus, Monasterio digressi: cęteris prius citatis ad Ecclesiam maiorem,& non venientibus, ad electionem futuri prioris processerunt: Ioannemq; prędictum salutauere priorem; confirmatumq; à Vicario Episcopi, tamquam suum,& sui Rhenani Monasterij verum Pastorem susceperunt. Reliqui ad Monasterium ipsum Rheni se receperunt: quo,& eosdem à se digressos ad nouam electionē prioris vocarunt sub die, & hora ad hoc constituta: quibusq; non venientibus, pręfati sex, qui remanserant, vna cum 14. Conuersis, ordine seruato antiquo, per viam Cōpromissi alterum Ioannem Vbertini, qui erat præpositus, & cum quo sentiebant, priorem elegerunt. Confirmatusq; fuit ab Ecclesia Rauennatense. Hinc bellum inter ipsos Canonicos,& duos priores suscitatum: pręfata Gallutiorum familia hos, qui Domi remanserant, adiuuante; illosq;, qui discesserant, extorres agente, quos tamen Episcopus Bononiensis, ac quorumdam ciuium manus in firmior adiuuabat. Cęterum Galutij superiores erant qui vtrumq; Monasterium Rheni,& S. Saluatoris milite armato custodiebant; ne extorres Canonici, seu alij pro eis Canonicis, qui in Monasterio residebant, vllam facerēt vim, prohibentes. Pręfati etiam milites,& armis, & insignijs Gallutijs Turrim S. Saluatoris, ac vtrumq; Monasterium com-

compleuerant, ne Nuncij Episcopi, nec alij, qui ipsos Canonicos in ius vocarent, ingrederentur. Sicq; post habito iure, & sacræ religionis obseruantia, pro voluntate Galluciorum diu omnia agi videbantur, quousq; apud Sedem Apostolicam de legitimo priore cognosci necesse fuisset. Interim verò, & apud Vrbem Rauennatensem, ac Imolensem multa actitabantur; testesq; multi in Ciuitate Bononiæ deponebantur: Quorum dispendijs quā plurimis, & eorum, quæ Romæ in causa agebantur: &, vt credibile est, præfatorum militum ingluuie, seu fortasse latrocinijs, quæ fieri sub ijs temporibus turbulentissimis consuescūt, incredibilem iacturam Monasterium infælix intra decennium accepit. Tandem decimo anno, quo iam quasi omnes Canonici à Ioanne Guglielmini ad alterum Ioannem descìuerant, Ioāni Vbertini victoria cessit. Qui denuò electus, & confirmatus, durauit in ipso prioratu vsque ad annos Domini 1302. & obijt die 18. Octobris. Huic priori, & Monasterio Albertus Archipresbyter S. Laurentij in Culina, filius Domini Gerardi Gallutij Legauit Iura patronatus Ecclesiarum S. Barbatiani, S. Laurentij de Burgo Panicali; & S. Mariæ de Oxelitis. Rogatus Thomas Petri Tancredi de Bononia in Domo fratrum Prædicatorum, in Camera, quæ dicitur Episcopi 18. Septemb. 1301. Eidem priori confirmata est per Capitulum Bononiensis Ecclesiæ possessio Ecclesiarum S. Martini in Casalecchio: Hospitalis Sancti Spiritus inter Lauinum, & Burgum Panicalem S. Michaelis, S. Ioannis, & S. Blasij de Vlmetula. Rogatus Guidus quondam Vgolini de Quercijs in Capitulo dictæ Ecclesiæ Bonon. 12. Februarij. Inter hęc discrimina D. Rolandus de Teuzo præpositus S. Mariæ de Rheno apud Ioannem Vbertini ædificauit Hospitale de Rheno.

Nonus prior fuit D. Gratiolus de Alebarijs, seu de Triachis, aliàs de Franchis; sed & hic ortum est prius schisma;

stria; quia in eius contradictione fuit electus D. Mattæus de Vbertinis, frater Prioris prædefuncti, qui erat præpositus, & accessit Romam pro confirmatione sui Prioratus, at nihil fecit. Sed primus tandem solus obtinuit prioratum pacificè, restituto prefato Matteo in preposittura, in qua etiam obijt. Canonici, qui cum præposito sentiebant, fuerunt numero sex: qui verò cum D. Gratiolo, numero quatuor, sed & omnes Conuersi cum ipso. Huic Gratiolo à familia Gombrutorum donatum fuit Iuspatronatus Ecclesię S. Ioannis, & Blasij de Vlmetula. Rogatus Ioannes quondam Domini Bondinei in Ecclesia S. Saluatoris prima Maij 1326. Hic Gratiolus fecit primus Inuentarium Mobilium Monasterij; promulgauitq; pręcepta pro reformatione; quia reuera Monasterium inuenerat in malo statu: & ob penuriam Canonici recesserant ab eo, diuersis in locis habitantes, adeo vt sex tantum cum eo essent in Monasterio. Credibile autem est, Monasterium, & hoc secundo Canonicorum schismate alteram non mediocrem iacturam bonorum in litibus, & contentionibus fecisse. Quocircà, vt legitur, Ioannes Papa 22. sub anno 1320. commisit per litteras Apostolicas Abbati S. Proculi ad instantiã Prioris, & Conuentus Rheni, vt sub sententia excommunicationis, quam certis terminis promulgaret contra inobedientes: ex coerceret omnes occultos surreptores quorumcumq; bonorum dicti Monasterij, ad eorum restitutionem, & plenam satisfactionem. Sub Datum Auinioni 15. Kal. Maij sui Pont. anno 4. Et attende, quòd in Galijs Sedes Apostolica fuit sub Clemente V. huius antecessore per annos cõtinuos, vt dicuntur 60. fuit autem Gratiolus quatuor ob sui malum regimen à D. Beltrando Cardinali Ostiensi, & Legato Bononiæ depositus anno 1328. Vixit autem priuatus vsq; ad annum 1332. & obijt 20. Octob.

Decimus prior fuit D. Vbertus de Notis Plebanus S. Viti

Viti Aquileiensis Dioecesis, iuris vtriusq; Doctor, & Sedis Apost. Capellanus, & affinis Prioris depositi; qui D. Matteo præposito, vita functo, hunc in Canonicum, & præpositum subrogauit: & sub hoc anno in Diaconum fuit promotus. Hic à Canonicis fuit depositus, & priuatus: sed à Legato præfato, male consentientibus Canonicis, fuit in prioratu prorogatus. Et post tres annos fuit electus Episcopus Concordiensis. Obijt 22. Octobris.

Vndecimus prior fuit D. Albertus substitutus opera eiusdem Vberti proximè prioris, & à Canonicis ęgrè susceptus; qui anno octauo sui prioratus assumptus fuit ad Episcopatum Reginum, in quo per duos annos sedit: quibus prioratus ex reseruatione Sedis Apostolicæ vacauit: obijt V. Aprilis 1342.

Duodecimus prior fuit Reuerendissimus D. Ioannes de Columna Cardinalis Diaconus S. Angeli, cui à Clemente Papa 6. collatus fuit prioratus per reseruationem sibi factam, eumq; tenens circa sex annis, Canonici, qui erant Domini facti sunt Mercenarij. Obijt tandem Auinioni apud Sedem Apostolicam tempore eiusdem Clementis anno Domini 1348. 25. Octob.

Tertius decimus prior fuit D. Rainerius quondam Guglielmini de Ghisilerijs, qui erat præpositus, & affinis præfati D. Gratioli: Hunc elegerunt quinq; Canonici, qui erant residentes in Monasterio, & totum Capitulum: qui de communi concordia litteras facientes ad Summū Pontificem per specialem Tabellarium dederunt, contestantes, & suam, & Monasterij extremam miseriam: obsecrantes, vt quem sibi elegerant præfatum præpositum Raineriium in pastorem, dignaretur confirmare, per quem sperarent miserabili conditioni Monasterij subueniendum fore. Clemens igitur clementer agens, priorem constituit Monasterij Rheni ipsum D. Rainerium. Et verè dicitur in Kalendario acquisiuisse innumerabilia bona Monasterio.

Quia

Quia etiam reseruauerat sibi Pontifex ipse beneficia vacantia; commisit Abbatibus quibusdam, vt in possessioné dicti prioratus, dictum præpositum inducerent: statuens; vt possessione adepta, præpositus præpositura ipsa illicò esset abdicatus. Datæ fuerunt bullę Auinioni, vbi tunc etiam Romana Sedes residebat sub 7. Kal. Aprilis: vbi etiam paulò post dictus Rainerius creatus fuit Capellanus,& socius,ac de familia Aimerici Cardinalis Præsbyteri tit. S. Martini in montibus: & demum Bononiæ per Odonem Abbatem S. Bartholomæi Bononiæ, possessum dicti prioratus accepit apud Ecclesiam, & Monasterium Rheni,& S. Saluatoris: de mense Maij 1349. Duæ sunt bullæ sub vna die datę; vna dirigitur ipsi Rainerio priori; altera dictis Abbatibus. Sedit Rainerius ad annum vsq; 1374. Obijt 19. Martij.

Quartusdecimus prior Rheni,vacante Monasterio,Canonici,qui tres remanserant ex octo,qui esse consueuerát superioribus temporibus; cum tamen antiquitus duodecim fuissent, & is verus numerus, & certus Canonicorum in Monasterio residentium: quorum vnus aliquandò solus fuit apud S. Saluatorem: & procedente tempore ibi residere cæpit præpositus cum nonnullis Canonicis arbitrio prioris. Prior enim præpositum creabat; qui Magistratus erat secundus Monasterij,iuxta D.Patris Augustini regulam, apud quam Præsbiterum pro priore accipiebant. Est autem hoc nomen generale ad quoscumq; Prælatos maiores,vel etiam huius Ordinis Antistites. Nam & principio Episcopi vocabantur Præsbyteri,sicut innuit B.Hieronymus super Epistolam ad Titum: Olim idem erat, inquit,Præsbyter,qui & Episcopus. Et ad Rusticum; Quoniam ipsi Præsbyteri, vt legimus, Episcopi nominantur. Dist.95.cap.olim.& seq. & cap. legimus dist.93. Chrisostomus sermone primo ad Philipp.dicit in primitiua Ecclesia Episcopum, & Præsbyterum nominibus subinde

com-

communicasse. Sed animaduersione graui dignissima est huiusmodi locutio, ne videamur cum Aerio sentire, Episcopos non esse Præsbyteris diuino iure superiores. Malè quoq; interpretantes doctrinam Hieronymi in ipsa epist. ad tit. scribentis in cap. primo; Episcopi, inquit, nouerint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate, Præsbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moisen; qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret. Nu. 11. Quibus verbis nõ nulli abutentes, docuerunt Hieronymum cum Aerio tenere, Episcopos non esse Præsbyteris iure diuino superiores: nolentes aduertere, quòd ibi Episcopos Moisi comparat, & sacerdotes senioribus septuaginta: Quodq; Euagrio, Nepotiano, & Marcello scribens, planè testetur, Episcopi Ordinem superioris gradus esse, quàm sit Præsbyterorum. Illos ordinare posse: hos non posse. Verum de hoc multi Doctores contra ipsum Aerium Aeriansq; tractarunt. Vide Furrianum in elementi: libro 8. cap. 46. Charissimis verbis Hieronymus dicit; Episcopum debere in communi regere cum suis Præsbyteris Canonicis, & Senatu suo: de quo Ignatius ad Trallianos ita scribit Epist. 2. Quid est Præsbyterium, nisi institutio sancta consiliarij, & Confessoris Episcopi? Ad quod item commune regimen respexit Chrisostomus Hom. 11. in prima Tim. 3. de Episcopo dicens: Inter Episcopum, & Præsbyterum interesse fermè nihil: causam enim addit. Quippe, & Præsbyteris Ecclesię cura permissa est. Quamquam autem ab initio Ecclesię ex vsu Christianę scolę Episcupus, & Pręsbyter non tantùm officio, & dignitate, sed & nominibus discernebantur, vt ex Ignatio, & aliunde licet animaduertere: non mirum est tamen Petrum Apostolum etiam Pręsbyteros vocasse Episcopos idest Pet. 5. dum dicit; prouidentes non coactè, vbi græce est, Episcopantes: siue id

fecerit

fecerit deflexione quadam: quia nimirum in primitiua Ecclesia simul cum Episcopo populi regimen apud eos erat. Hessellius in 1. Tim. 3. siue accipiendo vocem in primitiua significatione, vt super intendentiam, sicut profanos auctores significet. Isidorus cap. cleros, ait; Vnde apud veteres ijdē Episcopi, & Præsbyteri fuerunt. Præpositus autem postea fuit vnus inter eos, vt qui prius conueniebant in nomine, & re, in vtroq; dehinc discreti forent ex noua consuetudine Ecclesiæ. vt dicto cap. olim, & cap. legimus: & Glo. Vbi quamuis præseruatum videatur vtrisq; nomen commune, quo communiter vocantur Sacerdotes; eiusdem tamen nominis non eadem vis est, in qua alteri ab alteris distant quamlongissimè. eod. cap. cleros.

Per præpositum in Ecclesijs Clericorum primò significabatur Episcopus; vnde apud Cyprianum Epist. 4. legitur; Quantum perniciosa res est ad sequentium lapsum ruuina præpositi, in tantum contra vtile est, & salutare, cū se Episcopus per firmamentū fidei fratribus præbet imitandum. Quæ vox apud Cyprianum in multis epistolis frequentissima est pro Episcopo: & similiter vsitata est à Tertulliano in libro ad Martyres. Et sic interprætatur illud Pauli Hæb. 13. Obedite præpositis vestris. Post Episcopum in multis Ecclesijs prima dignitas est præpositi: & similiter fuit apud Rhenanos Priores: quia enim propter molem occupationum Episcopi, & Priores frequenter ab Ecclesia Cathedrali, siue à Monasterio, & à Canonicis suis abesse cogebantur: ideo ab Episcopo in Clero suo: & à Priore in Collegio suo vnus constituebatur, qui eo absente, præpositi nomen, & officium gerebat. De præpositi auctoritate, præter id quod nomen ipsum indicat, multa leguntur in corpore Iuris Canonici: in regula B. Benedicti cap. 65. In Concilio Aquisgranensi cap. 138. Et cap. 139. In Moguciacensi synodo: & alibi aliquando Magister: aliquando Minister dicitur. Inoleuit igitur con-

consuetudo per multa tempora, vt prior Rheni præpositum suum in Ciuitate teneret cum eis Canonicis, quos arbitrio suo decreuisset: qui aliquandò fuerunt sex numero; aliquandò quinq; : & prior ipse apud Rhenum agebat cũ alijs quinq; : Aliquandò etiam legimus (licet quasi sub ijs temporibus, videlicet per annos ante triginta) vnum solum Canonicum cum aliquibus Conuersis extitisse apud Rhenum. Obseruaui etiam in aliquibus electionibus factis de priore, plures quam duodecim Canonicos interfuisse. Quare nonnullos credo tunc extra Monasterium apud beneficia præcipua resedisse, qui tamen in talē electionem conuocabantur. Aliquandò præpositi duo creati fuerunt: alter apud Rhenum: alter in D. Saluatoris. Demum totius Monasterij Rhenani sedes in Diui Saluatoris translata est; seu id spontè, seu bellorum turbine factitatũ sit. Hoc pro comperto habemus quidem, posterioribus temporibus ante vnionem, de qua in progressu dicemus, ibidem apud Monasterium Rhenanum, cum Hostiũ tum etiam Bononiensium Castra sub diuerso Marte communita fuisse; & propterea loco illi nomen indictum Bastię vulgari appellatione, nostris etiam temporibus perseuerat. Canonicam etiam pleriq; multi antiqua sui appellatione locum ipsum appellant. Hęc dixerim, vt innotescat vtriusq; harum Ecclesiarum dignitas; & quo etiam pateat: hæc duo loca S. Mariæ de Rheno, & S. Saluatoris, non duo, sed vnum semper fuisse Monasterium: licet ambo quandoq; vnita Canonicę referri videantur. Satius autē, ac verius est, vnicum sub eisdem duobus nominibus appellare. Tres igitur tantum superstites Canonici ex tot, qui esse consueuerant, & in D. Saluatoris, & apud Rhenũ: ad hunc autem paruum numerũ redacti ob pestilentiam, & bella, quæ regionem Bononiæ maximè deuastauerant: ex ijs inquam tribus sub a 9. Martij, vt in principio huius 14. prioratus dicebamus, duo elegerunt tertium, videlicet

 fratrem

fratrem Franciſcum Ghiſilerium in priorem, filium Antonij, ſeu Tonioli de Ghislerijs, præpoſitum clauſtralem, & prædefuncti Rainerij Nepotem: quem ipſe Rainerius ex Clerico ſæculari elegerat Rectorem Hoſpitalis S. Spiritus de Lauino: & indè cum eſſet annorum 14. factus Canonicus Rheni, & Monaſterij præpoſitus: & cum eſſet annorum 28. Prior à Canonicis ſuis fuit electus: quatenus talem electionem Sedes Apoſtolica confirmare dignaretur (reſeruauerat enim ſibi Gregorius Papa 9. collationẽ prioratus dicti Monaſterij, quandocumq; contigiſſet, ſub anno pręcedenti, dum adhuc pręfatus Rainerius Prior inter viuos ageret. Gullielmus verò tit. S. Angeli Diac. Cardinalis, in nonnullis Terris Sedis Apoſtolicæ Vicarius generalis, dicto priori mortuo ſubrogauit Michaelem Sarlandum Canonicum Neumauſenſem Ordinis eiuſdem S. Auguſtini, & Bononiæ litteris incumbentem. Quos ambos ſic electos præfatus Pontifex, non obſtante reſeruatione, commiſit præfato Cardinali, vt duorum vnum, vel fratrem Franciſcum, vel Michaelem prædictum, quem magis idoneum iudicaret, dicto Monaſterio præficeret de nouo in Priorem. Commiſſio facta fuit 1374. 15. Kal Iulij, ſub Dat. Sallon. Arelaten. anno eius Pontificatus 4. Hinc formatus fuit proceſſus pro parte frat. Franciſci, vbi de eius multis virtutibus, & de ſufficientia eius plura teſtimonia relata fuerunt: & quòd eſſet ætatis annorum 28. & in Monaſterio fuiſſet per annos 14. facta eſt ibi etiam mentio de redditibus Monaſterij, qui tunc eſſent valoris quingentorum Florenorum, ſeu Ducatorum auri, cum ante bella, & peſtem eſſent longè maioris ęxtimationis. Pro ceſſere autem virtutes, & teſtimonia ipſius frat. Franciſci præpoſiti; & cum præfatus Michael duraſſet in ipſo prioratu per biennum; Gregorius præfatus Papa 11. prouidens Michaeli Priori præfato Monaſterij Rheni de altero prioratu, qui dicebatur prioratus de Ozorio, Ordinis eiuſdẽ S.

Augustini Diœcesis Magalonensis: illi substituit in priorem præfati Monasterij Rheni, quod erat vacaturum per præfatam assumptionem Michaelis; frat. Franciscum prædictum: qui in huiusmodi litteris Canonicus tantum nominatur, & non prępositus: ex quo opinor, quòd iam se præpositura abdicasset.

Commissum etiam fuit per eumdem Pontificem sub eodem die Abbatibus S. Stephani, & S. Fælicis de Bononia, & Archipræsbytero S. Auxiani de Pinu, vt quam primum dictum Monasterium Rheni vacare contigisset, inducerent omnes, vel alter eorum frat. Franciscum in possessionē dicti prioratus. Datæ sunt Auinioni litteræ Apostolicæ 6. Idus Martij Pont. suis anno 6. 1375.

Ipsi verò executores litterarum superiorum Apostolicarum videlicet Dominicus Abbas S. Stephani; & Bartolomæus Abbas S. Fælicis: & Ioannes Archipræsbyter Plebis S. Auxiani de Pinu, dederunt frat. Francisco præfato possessum prioratus in Ecclesia S. Saluatoris: omnia similiter prosequentes in huiusmodi fieri solita de iure, & de consuetudine. Sub 21. Augusti 1376. Et cum non possent accedere ad Monasterium Rheni propter bella, quæ tunc erant inter Ecclesiam, & Bononienses: & propter Exercitus Hostium qui occupabant Castra, Crespelani, & Olíueti; sub anno sequenti scilicet 1377. die 21. Iunij Ioannes Archipręsbyter vnus ex prædictis Commissarijs (iam dictis Castris Bononiēsibus restitutis) dedit possessionem præfati etiam prioratus prædicto frat. Francisco in ipsa Ecclesia Rheni, omnia similiter vt supra exequendo. Remansit ergo frat. Franciscus cum vno Canonico idest Petro etiam de Ghislerijs, & cum præposito, qui erat de Benaccis: postea solus propter pestem 1410. 29. Septembris: de quo Francisco Priore cætera exposuimus in vnione præfata cum Canonicis Ambrosianis: &c. Anno igitur Sal. 1429. Congregationis vero 22. Capitulum

tulum generale, coactum mense Maij de more apud Florentinos, confirmauit 11. Generalatum Patri Stephano. In hoc Capitulo primùm nominatus fuit Vicarius, qui fuit frat. Antonius Bartolomæi Bonon. Vicarius Conuentus S. Saluatoris, qui erat vocalis in ipso Capitulo. Eodẽ mense frat. Franciscus Ghislerius Bononiensium Monasteriorum perpetuus prior, senio iam confectus, videlicet anno ætatis suæ 83. tollitur è medio, translatus ad cælũ, vt religiosissima eius vita testatur, ne iterum videret mala gentis, & patrię suę, ob nouos bellorum turbines eius temporis: quibus miserè vexatis, omnium religiosorum, maximè verò nostrorum Monasterijs; dilapidatisq; omnibus eorum bonis; & omni etiam preciosa Ecclesiarum supellectili, apud Hæbræos sub fænore pignorata pro militum stipendijs, quos contra Ecclesiam tunc Senatus ille conduxerat intra Ciuitatem: de quibus legere est apud Bononienses Annales, & nostra Bononiensis Monasterij acta. Pleriq; nostrorum Canonicorum ad Florentinum Monasterium transmigrarunt: ita vt Canonici, qui in eo Monasterio antea numerabantur 14. posteà inuenti sunt numero vnus, & viginti. Sub hoc etiam tempore dum omnia turbulentissima, vt modò dictum est, apud hoc Monasterium S. Saluatoris Bononiæ agerentur, desperatis quasi rebus; Canonici supersederunt per aliquot menses electioni noui prioris: quæ tandem facta fuit de frat. Adeodato Iacobi Martini de Seta Bononiensis, quem Diœcesani Vicario præsentauerunt, vt latè patet ex binis instrumentis idest electionis, ac præsentationis eiusdem. Conuentualis electio per Stephanum priorem generalem Florentiæ confirmata fuit apud S. Donati de Scopeto (Canonici enim eligebant suum priorem Conuentualem ex vsu Constitutionis illius temporis) qui nouus prior confirmatus imediatè Vicarium suum sub ipsa die creauit frat. Ioannem Gregorij de Bononia; qui in dicto Monasterio

ad omnia plenariè vices suas gereret, quoad ipse absens esset (erat enim frat. Adeodatus nouus prior item socius Reuerendissimi Generalis) qui dictus Vicarius de Mense Octobris proximi confirmatus fuit sindicus, & Procurator Conuentus per Capitulum Canonicorum in præfato Monasterio Bononiēsi residentiū. In quo capitulo quinq; tantum scribuntur Canonici, vt scias coactos fuisse aliò se pro maiori parte transferre, cum soliti essent in eo duodecim, & sexdecim residere. Fuit autem hic prior primus inter priores annuales, qui dudum ab hoc vsq; durauerunt. Nec te moueat duplex de ipso confirmatio; cum in antiquis Constitutionibus ita cautum foret, vt priores à suis Conuentibus singulis annis creati, per priorem generalem confirmarentur. Hæc autem dixisse velim, vt de primo priore aliquid curiosis constaret, qui ex Congregatione S. Saluatoris præfato frat. Francisco Ghisilerio vltimo Priori perpetuo subrogatus fuit. Rogatus Dominicus olim Arrigi Ser Petri Murini in Ecclesia S. Donati in Scopeto extra muros Florentiæ 20. Augusti 1429. prior etiam eligebat sibi Vicarium statim, & publicabat; idē Vicarius erat etiam procurator Monasterij, vt patet in multis scripturis de venditionibus, & locationibus, & acceptionibns ab ipso factis. Hoc anno Bononię duo professi inuēti sunt, idest frat. Petrus Petri Faccioli Bon. & frat. Marianns Iacobi de Casalia Florentinus, qui frat. Marianus plenus dierum; vt alter Isaac, & Iacob confectus decrepito senio, captus est oculis pluribus annis ante mortē à quo multa percepta sunt circa hæc Congregationis primordia; sub ipso enim Patre Stephano plures annos transegit, & ab eo primis Sacramentis Canonicis imbutus fuit: qui sanctissimi Patris candorem vitæ purissimum sectatus, post illius ex viuis discessum, amplissimum quoq; Magistratum nostrum sępius promeruit. Is multa de illo narrare solitus erat, & de illis maiorum nostrorū primis rudi-

rudimentis, quæ ipſe ab illis didicerat, dum iuuenes animaret eorum exemplis, & doctrinis, ad capeſcendam omnem vitæ ſpiritualis diſciplinam: quam in ijſdem axactiſſimam fuiſſe illachrimãs ſenior deuotiſſimè prædicabat. Multa ergo edocti ab eo circa principia noſtra: qui ad extremam vſq; canitiem perductus, ſub annum ſalutarem M. P. apud ipſam Eugubinam Canonicam ætatis ſuæ anno 86. ad cælum euocatus eſt.

Nunc ſi voluerit quis etiam infælicis Monaſterij Bononienſis præfatam iacturam minutatim cognoſcere: cum pecunijs, & ſacris vaſis argenteis, inter quæ fuit illa crux pulcherrima, & ditiſſima, quæ tandem de manu Hębræorum redempta, in ſacriſtia ſeruatur: & præter hęc frumẽto, & neceſſarijs omnibus diſpoliatum Monaſterium fuit: reperitur in quodam libro in Theſauraria Communis Bononię ſignato 17. cooperto cartis ædinis, incępto de anno 1428. de menſe Octobris dicti anni, in quo ſcripti ſunt Conteſtabiles peditum, & debentes computare cum Cõmuni Bononiæ pro pecunijs receptis, & recipiendis: & in quo ſcripti ſunt nonnulli creditores dicti Cõmunis tàm cauſa mutui, quàm alijs de cauſis, ſcripto manu Ser Bartholomæi quondam Petri de Ariuerijs Notarij Theſaurarię præfatæ: & inter alia in hunc modum legitur in folio 139. Eccleſia S. Saluatoris Bononiæ debet habere à Communi Bononiæ die 21. Iunij 1429. librarum duomillia nonaginta, & octo ſolid. 7. bon. pluribus diebus præteritis habitas per Iacobum de Corrigijs nomine dicti Communis pro Galeazo quondam Gaſparis de Bombace depoſitum Theſaurariorũ dicti Communis: de pecunijs repertis in dicta Eccleſia, ſeu eius domibus poſt mortem Domini Franciſci de Ghiſlerijs, olim prioris dictæ Eccleſiæ: Item debet habere librarum duomillia bon. &c. quæ tantem omnia faciunt ſummam librarum ſeptem millium ducentorum quinq; & ſolid. 17. deſcripta ſunt diligenter

apud nos hæc omnia in libro magno actionum illius temporis. Et per Ser Paul: Not.de Calcu: Iurium Cam.Bon. mand. Ser Iacobi de Monte Caluo Thom: Vgol. calcul. cam.& credita prefata sunt ratione pecunię mutuatę, vel mutui nomine acceptæ,& venditionis frumenti,vini, ordei,speltæ,& huiusmodi. Quod autem idem infortunium de omni supellectili eiusdem Monasterij fuerit. Placuit etiam hic describere mandatum Antianorum, Consulũ, & Vexiliferi Iustitię, & aliorum Magistratum Bononiensium eius temporis: quo eam Monasterij calamitosam cõditionem posteri non ignorent.

Antiani,Consules,& Vexillifer Iustitię Collegia Consaloneriorum,& Massariorum Artium populi,& Communis Bononiæ. Mandamus vobis Commissarijs, & Gubernatoribus bonorum, ac rerum existentium, & repertarũ in Ecclesia,& Monasterio S.Saluatoris de Bononia: quatenus bona ipsa,& res ibidem existentes cum clauibus, & alijs quibuscumq; ad ipsam Ecclesiam, & Monasterium pertinentibus, liberè tradatis, & consignetis fratribus in eodem Monasterio consistentibus: & ipsa consignatione facta,exindè postea discedere debeatis. Datum Bononiæ die 7. Iunij 1429.

Anno 1430.sub 5.Idus Febr. Martinus V. idem Pontifex anno sui Pont.13.per alias litteras suas ad instantiã præfati Domini Guidi Antonij Montis Feretri Comitis prestantissimi,confirmauit vnionem Monasterij Ambrosiani,factam iam antea cum Monasterijs Bononiẽsibus S. Mariæ de Rheno,& S. Saluatoris; maximè quod tunc plenarium sortita fuerit effectum suum post mortem eius perpetui prioris: & priorem processum fulminatum super hoc ab Episcopo tunc Bononiẽse,postea vero Cardinali S. Crucis Nicolao Albergato, cum suppletione omnium defectuum, sim iliter confirmandum mandauit in omnibus,& per omnia Domino Baptistę Priori S.Bartho

lomæi

lomęi de Bononia. Fuerunt autem datæ litterę Apostolicæ Romæ apud Sanctos Apostolos, vt diximus, nam ibi primariæ eius Illustrissimæ Colonnensium familiæ habitationes, tunc vt etiam in pręsentiarum habebantur sub Dat. vt supra.

Supplicatum fuit pro huiusmodi confirmatione cùm ob multas rationes, tùm ob hanc præcipuè, quod fructus, redditus, & prouentus illorum Monasteriorum, propter guerrarum turbines, & calamitates alias, quibus partes Bononiæ plurimum concussæ fuerunt, adeò tum diminuti essent, vt quadringentorum Florenorum auri summam, secundum communem æxtimationem: valorem annuum non excederent, vt dictum est. Processus verò executorialis nouarum huiusmodi litterarum Apostolicarum fulminatus fuit ab eodem Domino Baptista Priore, vt supra, Executore, per Nicolaum quondam Ser Tini olim Nicolai de Lamerijs; præsentibus Ser Rolando q. Alberti de Castellanis Notario: Iacobo q. Alberti de Grifonibus: Ser Paulo q. Ludouici de Amelia Notario: Bartholomęo Lippi Periparti Clerico in dicto Monasterio S. Bartholomæi de Bononia: Anno Domini 1430. Ind. 5. die 16. Mensis Maij. Anno Congregationis 23. sub 12. Generalatu ipsius Patris Stephani apud Florentinos ei confirmato.

Anno salutis 1431. Congregationis 24. in Capitulo generali, apud Eugubinos coacto, habita fuit confirmatio tertij decimi Generalatus Reuerendi Patris. Eodem anno circa 23. Nouemb. frat. Regulinus Ambrosiani Monasterij Vicarius, & Procurator, mortuo Priore, subrogatus fuit in priorem ipse. Fuerat autem pręmortuus prior frat. Ioãnes Antonij Senẽsis, qui religionis, & constantię apud Patrem Stephanum primum locum semper obtinuit: qui socios sub illis procellis quadriennalis exilij stabiles continuit in fide Patris: dum ille profugum Pontificem suũ in remotas partes sequeretur: cui Reuerendus Pater sæ-

pius, vti præmisimus, omnem suam Generalatus auctoritatem impertitus est suo Vicario designato. Huic ergo agenti inter cælestia numina; sub omni veneratione grati, votisq; solemnibus perpetuæ laudis officium persoluimus: cum & ipse nostri per quam magna pars fuerit. Eodem anno die 16. Febr. frat. Antonius Bartholomæis de Chiaris Prior Bononię obijt, cui suffectus est frat. Adeodatus Bononiensis. Anno sal. 1432. Congregationis autem 25. apud Ambrosianos confirmatus fuit Reuerendo Patri 14. Generalatus: & frat. Lucas Bardi Florentinus publicatus Prior Eugubinus: & Prior Bononiensis frat. Adeodatus Bononiensis.

De Obitu Reuerendi P. Frat. Stephani Prioris Generalis. Cap. VIII.

ANNO salutis 1433. Congregationis 26. Capitulum generale Bononiæ tum primũ cælebratum fuit: & Reuerendo Patri 15. & vltimus Generalatus confirmatus. Frat. Michael Ioãnis Prior Bononię constitutus; Prior Ambrosianus frat. Regulinus: qui die 7. proximi Septemb. publicatus fuit Procurator ipsius Patris Generalis; aliquando etiam appellabatur eius Vicarius: qui Vicarius alter erat à Vicario Monasterij. Hunc constituebat Prior generalis arbitrio suo pro eius temporis constitutione. Et ne item in hoc æquiuoco decipiaris: scias alterum fuisse Vicarium prioris generalis: & alterum, qui à Capitulo generali Vicarius generalis nominatur. Is in ipsis Constitutionibus Vicarius generalis Ordinis, hoc est Congregationis: ille prioris generalis exoleto nunc cognomine, dictus est. Pręfatus itaq; frat. Regulinus Patris Generalis Procurator, & Vicarius erat, qui repræsentabat

eius

eius Magistratus dignitatem pleno iure inter partes Eugubinas Callienses, ac Vrbinates. Paulò post die 20. Octobris ipse Reuerendus Pater Stephanus prior generalis febre infirmatus fuit Bononiæ, vbi tunc morabatur, & die 27. eius mensis ingrauescẽte febre, atq; infirmitate, morti appropinquare cognoscẽs, cępit deuotionis Orationibus feruentissimè insistere. Et tandem die 30. eiusdem mensis, quæ fuit feria 6. peracta hora sexta, postquam septem psalmos, quos de pęnitentia dicunt, & passionem Domini secundum Ioãnem coram se recitari fecisset; sumptis sanctissimis Sacramentis, psalmum 30. idest In te Domine speraui decantare cępisset; cum versiculum sextum perfecisset, idest. In manus tuas Domine comendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis; substitit parumper; posteà signo crucis se muniens, iũctis manibus, & eleuatis sursum oculis; hora nona ad Dominum fęliciter migrauit: sepultusq; fuit in eius Ecclasia S. Saluatoris apud Ghisilerium in vno Monumẽto, quod indè solis tãrum patribus ibidem decedẽtibus asseruatum erat ante sacellum, quod ab antiquis Canonicis Rhenanis dudum fuerat substitutum pro superiori Aede B. Marię Virginis Rhenanę: ibi quidem, vbi nunc est Præsepe Domini; summa cum omnium Canonicorum fratrum męstitia, & deuotione. Deindè post commemorationem omnium defunctorum, patres mærore cõfecti, iterum Bononiæ conueniẽtes, Reuerẽdum Patrem frat. Regulinum vnanimiter priorem generalem suffecerunt Qui mox substituit frat. Andream Antonij Senẽsis loco suo priorem Ambrosianum, Hic itaq; mensis Octobris dierum simul, & laborum finẽ fecit sanctissimo Patri nostro Stephano, qui quadriennio profugus extra solum, propriumq; Monasterium; quod multis iniurijs fatigatus, diuino tandem, & Apostolico cõsilio monitus, deseruit: fortunis, socijsq; plerisq; Christi exemplo destitutus: Et eadem sorte naufragum suum Põ-

tificem constantissimè sectatus. Ea tamen inter eas erumnas prophanati temporis pauperculus iecit perpetuæ Congregationis fundamenta; vt eam facilè opinionem etiam posteris reliquerit: omnia sibi cęlesti Oraculo prænunciata, ad præsentem statum perduxisse. Neq; enim hæc, nisi à Deo fuissent, sub tot difficultatibus vsq; adeo profecissent. Neq; ille, nisi à Deo confortatus, vt quondam Paulus inualuisset aduersus eam omnium rerum perturbationem. De quo, & eius socijs Gregorius 12. sæpè testatus est: in custodiendo vias duras, sub fide inconcussa, cōstantes permansisse: & constantes propterea (vti supra deduximus) insigni eos priuilegio pręconizauit. Dicere nāq; solitus, ferunt, dum socios, qui secum in fide nouæ religionis assumptæ perseuerauerant, pro & paterno affectu sub illis fluctuosissimis procellis ad patientiam consolaretur. Filios Abrahæ ex libera Sarra per medium tempestuosi maris, Pharaone confuso, & Amalech expugnato, in Terram Promissionis perduci. Hinc publicatum Regnum Cęlorum vim patientibus; & violentos rapere illud. Durarent igitur non ignari ante malorū, quibus serui Dei perficiuntur; seruarentq; se rebus secundis, quas illis sub Saluatoris sui verbo ipse breui pollicebatur. Hunc etenim Saluator alterum nobis Abraham Patriarcham, & Ducē prælegit; vt quem illius exemplo, extra domum, & cognationem suam peregrinari voluisset, in gentem magnam, prius igne & aqua comprobatum, sub suo titulo, felicissimisq; demum auspicijs perpetuò propagaret. Ei namq; & eius posteris locum sui nominis, quod pro titulo Congregationis vbiq; gerebant, honorificum satis, & cælebrem, ac honestis æquè fortunis dotatum paulò post eos turbines sedatos, destinauit, Bononiæ scilicet, vbi primū peregrinati fuissent. Quo in loco anno 15. eius Monasterij indeptę primum possessionis, qui idem fuit sui continuati Generalatus, Pater ipse inter manus collachrimantium

tium filiorum, quos sub honesto satis numero pro tempore, pluribus anteà cęlo pręmissis, dereliquit, animam ipsi suo Saluatori reddidit sanctissimam. Hic plantulam tuā (Gregori duodecime) vti bonus Agricola excoluit: vt viuens ipse eius etiam legeret fructus: illisq;, ac suam numerosam sobolem pro tempore, quam Saluatori educabat, religiosissimè, sanctissimèq; sustentaret. Nec non, vt tu, qui de ore prophetico auguratus fueras, ea plantula radices suas quoquo versus eo cultore extenderit; vt nostris modò temporibus, omnibus iam Italiæ partibus eius palmites pateant: indèq; propagati seruant apud omnes Christo se credentes, fructum vbiq; centesimum facturi. Cuius patris certè beatissimi, si vitam, mores ve quæris, non aliundè quæras, quàm ex Gregorij, & Martini Summorum Pontificum priuilegijs; quibus exilium; quibus constantia, & fides; quibus omnis diuini hominis religio innotescit. Innotescunt etiam errores simul, & labores, de quibus Gregorius ipse meminit: cum legis tot priuilegia in partibus remotissimis emanata. Primùm Lucę, alterum in Austria; tertium, & alia plura Caietæ: nonnulla Arimini: quæ omnia pauperculus pręsens exorabat, tam Pontificis sui, quàm officialium eius obsequio gratuito. Id quod ordinem Curię non ignorantibus ex subsignationibus facilè constat. Nec aliundè quidem suppetere poterant pecuniæ pro illorum expeditione; cum ipse extorris, fortunis omnibus priuatus esset: illa multa, & pręclara, & quæ maximam impensam exigerent (duodecim enim Gregorij supra exarrauimus) vt vel hoc ipsum maxima arguat, Congregationem Saluatoris proprio consilio processisse ipsius Gregorij 12. hoc viro cęlesti assumpto, quòd talia, tantaq; gratis condonabat. Ad Martinum extra Italiam se contulit in Friburgum pro vnione Bononiēsi: & Mantuam deindè pro priuilegio, quod Mare magnum appellarunt. Non defuit Florētię pro Monasterio

sterio S. Donati; & demum in Vrbe exorauit Abbatiam Eugubinam; corroborauitq; priorem vnionem Bononiensem. Hæc, & id genus pleraq; alia multa, quæ supra collegimus, antequam decederent, executus est longeuus pater de sua Congregatione, deq; filijs suis, & nepotibus, ac posteris nostris perpetuo benemeritus: neq; ętati, neq; vllo vnquam labori parcens; sed neq; (nimirum) sibi interim quicquam remittens eius disciplinæ, quam legibus tulisset. Verum in his multò magis enituit viri Apostolici vita, & cælestis propè sapientia, quæ terrena non sapit: quā perfectam Christi Saluatoris sui religionem filiorum animis instillabat, vt quicquid interioris perfectionis ad nostros transierit, illi totum acceptum referamus. Erat enim contemplatione cælestium die noctuq; indefessè intentus: pro qua illud sapientiæ apud eos filios suos quam sępissimè sibi vsurpabat: venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Non ab re igitur Gregorius 12. eum deuotissimo affectu complexus est: vt de eo pro præmissa sui voti executione tam singularem opinionem conceperit: in eamq; Comitem Vrbinatem facilè persuaserit: vt is nihil deindè intentasse dicatur, quod alicuius esset momenti, nisi ad patrem prius retulisset. Eum enim vt diximus, cōmuni cognomine cum reliquis Canonicis patrem nuncupabat. Quem nos etiam propterea protoparentem describimus: hoc est, nostrorum patrum verè primum parentem, exemplo haud longè absimili protomartyris illius, cuius primigenium nimirum nomen gessit. Et ne de ipsius vita historiam, pręter institutum operis, texere videamur; vnum tantum, quod supra etiam obseruatum fuit, pro eius in Saluatore suo Christo fundatæ humilitatis præclarissimo argumēto, iterum repetemus. Quod titulū Congregationis, quem Gregorius ipse suis vltimis priuilegijs in testimonium perpetuum eius constantiæ, & sociorum, per nouum Elogium, vt diximus, ampliauerat. Mox

eo Pontifice de medio ad cælos sublato, in hoc etiam ipse constantior, per Martinum V. restituendum curauerit, suppresso Elogio. Titulum quoq; sui nominis perpetuò abolendum arctius indixerit, quem procemio Constitutionum sub nomine generalis Capituli apud S. Ambrosium ab eo Priore generali editarum: reliqui omnes eius temporis gratissimi Patres, se inscio, prænotauerant: edicto tamen (proh dolor) valituro magis apud Nepotes: cum repositum à maioribus mox post eius in superos recessum, iterum illi cum ipsis legibus penitus sustulerint. Quod verò de mense Octobris mori contigerit, quid mirum? si fuerit tantus pater semen à Gregorio 12. selectum, atq; acceptum pro suscitandis Canonicis regularibus, de mense Octobris in terram proijcitur, atq; absconditur? Est enim mensis iste, in quo ob sui frigiditatem, & siccitatem ipsa terra disponitur ad semina suscipienda: & propterea iste mensis depingitur sicut homo, qui seminat semen suum in terra. Decimus est iste mensis apud nos in Ordine mensium, qui numerus est perfectionis; etenim vltra decem numerare non datur, sed ab vno iterum atq; iterum semper incipitur. Ita sanè de nouo resumebantur viri, qui omnis perfectionis ordinem, scilicet Canonicum, per quem præcepta Decalogi completè obseruantur, reintegrarēt, atq; in lucem restituerent. Significauit etiam per bellè tēpus pęnitentiæ, in quo est calor dilectionis Christianæ; frigus timoris, & turbationis per recognitionem peccatorū: habetq; duo signa libram videlicet in principio, .i. examinationē, discussionēq; propriæ cōsciētię; in fine verò scorpium idest doloris, & contritionis compūctionem. Habet siccitatem squalloris, & macerationis. Istud vtiq; temp us designabatur, in quo terra, idest anima disponeretur ad semina gratiarum suscipienda. In terra cordis Canonici semina boni propositi seminabantur, ex quibus virtutum manipuli reportarentur iuxta illud psalmi qui semināt in lachry-

lachrymis in exultatione metent. Illud certè significabatur quòd tot Doctores,& Prædicatores verbi sui Euangelici seminabat Christus,in quibus,& libra Iustitiæ,& æquitatis ad aliorum merita libranda;& Scorpium repræhensionis,& seueritatis pungentissimum esse debet seminatio diuinæ doctrinę,ac totius Euangelicæ veritatis, quod maximè spectat ad Canonicum regularem. Imò semen est ipsum doctrinæ per exemplaritatem vitę vbiq; terrarum atq; gentium dispergendum: & ad fructum bonorum operum producendum, terram, idest terrenos homines disponendum,& aptandum; vt de hoc Ordine tanquam de vno singulari, atq; excellenti seminatore dictum sit illud Lucæ 8.Exijt qui seminat seminare semen suum. Significabantur idcircò veri Prælati omnium gentium regulares Canonici,qui semen doctrinæ, & eleemosinarum debent in alios dispergere; & libra Iustitiæ omnia regere;& malos veluti scorpiones aculeo mortificationis, atq; castigationis pungere. Suis quoq; in ædibus proprijs voluit ipse mundi Saluator Stephanum suum mori,atq; sepelliri; vt hoc etiam vltimo argumento,acceptum sibi hominē, acceptamq; Congregationē in eo inceptam confirmaret.Nō nisi etiā Bononię, atq; apud Ghislerium suum humari debuit: vt & viuentes,& mortui vnirentur simul in perpetuum in eo Monasterio, quod caput Congregationis ambo vnaniter esse constituerunt.

✠

De Canonicis Frisonarijs.

EST & altera Congregatio in eodem Ordine, eadem tempestate, pro eademq; reformatione erecta, & sub eisdem penè moribus, & legibus. Hanc Frisonariam, quam dicunt, fundauit Martinus V. anno sui Pontificatus 4: quando videlicet vnitis huius Ordinis diuersis Monasterijs, decreuit; vt omnium licet diuersorum professi, vnum corpus essent, vnaq; Congregatio: cui dedit & Capitulũ generale, & Rectorem æquè generalem. Capitulo autem, & Rectori submisit pariter quoscumq; eorum Monasteriorum Magistratus cum omnibus bonis, & Conuentualibus Canonicis. Et quod annuum Congregationi Saluatoris sub eisdem conditionibus statuerat: huic editis nouis Constitutionibus, annuale, & biennale circumscripsit eorum arbitrio, ac triennale: Gregorius tamen 12. Lucæ anno suo 2. Canonicis fratribus Frisonarijs, & Monasterij simul S. Leonardi de Monte Domnico Diœcesis Veronensis prius concesserat transitum liberum de vno eorumdẽ Monasterio ad alterum de priorum suorum licentia: & quod in alterutro residere possent, perindè, vt vtriusq; professi. Priores verò annui singuli eligerentur per residentes, duarumq; partium ex tribus proprio approbante Capitulo. Id quod haud mediocre indicium facit, etiam tum factam seorsum reformationem eorum duorum Monasteriorum, citra rem tamen, & nomen vnionis, & Congregationis, quæ fuissent antea siue exteris commendata, vt præmisimus, siue sub suis perpetuis prioribus. Monasteriorum Frisonarium vocabulo, vt etiam dictum est, corrupto nuncupatum, dicitur à Vico eius nominis Frisonouo, in Diœcesi Lucensi fundatum, dotatumq; à Marcoaldo eius

eius Patriæ Milite. Ad cuius præces Alexander 4. immune reddidit à Collectarum pro ratione anno sui Pont. primo. Qui & altero de hinc priuilegio innuens ibidem institutum Ordinem Canonicum secundum Deum, & B. Augustini regulam, admisit sub protectione Sedis Apostolicę. Admisit, & mox Gregorius X. qui Alexandri tenorem imitatus, omnia repetit sub eisdem verbis. Quidam tamē scribunt Frigdianum Episcopum Lucensem Oratorium ibi erexisse, & locum ab eo Frigdionarium appellatum: quod vtiq; satis frigidum est. Alij dicunt Monasterium ab Illustri Mattildę Comitissa conditum. Sed neutri credibiles, cum nihil afferant, quod pro legitimo quæat accepٍtari. Standum magis videtur Alexandro præmisso: neq; enim hoc antiquius legitur; quo fundatio eius nominis Frisonarij Monasterij asseritur apertè præfato Militi, sicut, & dotatio de illius bonis. Hoc itaq; Monasteriū sub eā pariter communi ruina commendatum fuerat Bartholomęo Columnio Romano Clerico sæculari: desolatumq; suis cultoribus Canonicis Iacobus Brixianus ex Dogmate Prædicatorum, Eremiticam tum ambiens disciplinam, sub eo schismate pro Eremo solus incolebat. Contigit autem, vt plures per ea tempora earum Ecclesiæ calamitatum simul per tesos, cum factionibus illis Pontificum, diuina, profanaq; omnia corruerent, Patri huic inhæsisse, neutralitatem secutos; quæ deinceps damnata est. Quorū vita apud omnes quoquo versum breui redolente: Commendatarius Monasterij, quem eius iamdudum, immutatæ sortis miseratio cęperat, ab eis exorauit, vt eligerent antiquam potius reformare Canonicam. Verum cum habitum eius essentialem, quem dicunt, neq; ipse dare posset; neq; illi auctoritate propria sumere; placuit, ne propterea Sedem Apostolicam adirent, quæ satis tum incerta hinc inde ferebatur, eum ab illis eius Ordinis tutò impetrare, à quibus tutò acceptare non dubitarent. Dede-

runt

runt autem Nicosienses Canonici extra Pisas, quorum supra mentionem fecimus; qui eum morem, & ipsi tum prius obseruabant cum illis S. Angeli in Monte Brancoli Diœcesis Lucensis, quem diximus horum posteriorem fuisse cum illis. Veronensibus S. Leonardi ex Gregorij 12. priuilegio: vt hunc ritum ab illis vna cum habitu coniectes hausisse. Dedit autem præcipuè habitum huiusmodi præfato Iacobo, & quatuor socijs eius venerabilis frat. Petrus tunc Nicosiæ prior gratiosissimè: quo accepto, cũ ipsius prioris benedictione ad eumdem locum Frisonariæ in Lucensi Agro se contulerunt: atq; ibi in Ecclesia gloriosissimę Virgini Mariæ dedicata, Canonicorum Regularium nouum Ordinem erexerunt. Habitum tamen Canonici Ordinis dumtaxat, intellige, seruatis sibi cæteris vestibus prioribus Dominicanis. Quarum pullum scapulare in vnione quorumdam Monasteriorum procedente tempore missum est. Missum est & prænomẽ fratrum, quod Gregorij priuilegium præmissum diuersis locis intonat: & ante hoc illa omnia antiquiora Alexandri 4. & Gregorij X. ac pro fratribus Domni compellati sunt, Ordine nempè satis pręposteró, cum hoc recens Clericorum sæcularium alicubi sit: illud autem ab antiquis semper, & vbiq; regularium, cum in eo præsertim Frisonario Monasterio, tum in omnibus sub vetustiore Ecclesia. Leges tamen in primitiua Ecclesia Pontifices Maximos [illegible] velu-ti singulari Elogio Domnos singulariter honorari: quod & de hinc in minores pręsules scerpsit: & ad suos postmodum Monasticos Abbates Benedictus transtulit: vt in nostro secundo libro de titulo Domnorum diffusius declaratum est. Facta est de his postea Congregatio à Martino V. vt supra. Eugenius 4. qui Martino successit, reformato Monasterio suo Saluatoris in Patria, vt dictum est; Lateranensem item Ecclesiam de Vrbe reformare aggressus est: sed non ęquè fęliciter: Nam eo introductis his

Frisonarijs,& amotis sęcularibus Canonicis,ad quos olim detulerat eam Bonifacius 8. Titulum quoq; Congregationis Frisonariæ pro titulo S.Saluatoris de Vrbe pariter immutauit. Verum mortuo eo,quod breui admodum cōtigit; sæculares Canonici pulsis regularibus ad pristinam sedem non longè post redierunt. Quos iterum post multos annos Paulus 2. Eugenij Nepos inde submouit,reuocatis Frisonarijs. Verum etiam multò infælicius : cum mox,& eo de medio sublato, armata Romanorum manu Regulares denuo per vim eiecti fuerint, & sæculares restituti. Qua restitutione Sixto 4. rata, cautum perpetuò fuit pro sæcularibus aduersus Regulares; & sublatum omne ius, quod his contigisset per Eugenium,& Paulum. Titulum tamen eis nouum confirmauit,datum ab Eugenio, & quòd illius Ecclesiæ priuilegijs vbiq; gauderent. Quo nihilominus parum contenti,hunc quoq; commutandum secundum curauerunt: quatenus pro Frisonarijs priore,& hoc S. Saluatoris de Vrbe, Lateranenses absolutè pro tertio inuulgarentur. Sixtus item altero priuilegio (quod minus oportuit) ad prædicationes in Dei Ecclesia eos coaptauit, perindè vt Mendicantes, Prædicatores,& Minores: in quibus hactenus plures excelluerunt, excellũtq; quotidiè doctrinis, & moribus ornatissimi. Habet hæc etiam Congregatio plura Monasteria sub omnibus simul titulis infra Episcopatum. De qua Archiepiscopus Florentinus disserit in Chronicis,quòd ex Frisonario Monasterio Lucensi Frisonaria appellata hunc progressum acceperit, Frisonarium autem hoc nomen tenent, non Frigdionarium, priuilegia omnia antiqua, & moderna, quę leguntur ad Sixtum 4. vsq; . Plura si cupias de huiusmodi Congregatione, legas quartum librum nostrum de Vnionibus Monasteriorum ad nostram Congregationē, vbi de Monasterio Nicosiano agitur.

De Canonicis S. Spiritus Venetiarum. Cap. IX.

VENETIIS, nec non extant Canonici regulares S. Spiritus; qui & alterum Monasterium Paduę possident sub annuis prioribus eo ritu, quo paulò ante degebant Nicosienses illi Pisani longè antiquiores, cum illis Dioecesis Lucensis S. Angeli; vt diximus; qui modò pariter connexi sunt sub Congregatione priori Saluatoris. Horum autem principium, perspectis priuilegijs, & seniorum suorũ relatione, ita colligimus. Fuerunt sub Martino V. nonnulli Clerici sæculares Veneti: & vt legitur in Chronicis Patriarcarum Venetorum, hi Clerici fuerunt Dominus Andræas Bondimerio Marini, & Francisci filius: Dominus Michael Mauroceno: Dominus Philippus Paruta: & Dominus Franciscus Contarenus, nobiles Patricij Veneti; qui, Zelo religionis ducti, coluerunt vna communicatis bonis sub idem propositum vitæ communis viuere. Dumq; locum S. Mariæ de Nazareth, qui nunc inuerso nomine Lazaretum vetus ab eo Xenodochio ibi erecto pro epidimia laborantibus, vulgò appellatur, sibi pro hac vitæ districtione, intra lacunas Venetas longè remotissimũ delegerunt; quatenus in eo à turbis seclusi in ieiunijs, & orationibus diuinis, sibiq; vacare quietius possent. Lazaretum vetus sic dicitur ad differentiam alterius similis Xenodochij, pro recreandis pestilitate infectis, post redemptam sanitatem, sub Francisco Foscaro Duce 65. non longè constructi, quod Lazaretum nouum dicitur. In Chronicis Andrææ Danduli quarti, & quinquagesimi Ducis Venetiarum; Bernardi Iustiniani; & Marci Antonij Sabellici legitur, quòd fratres Eremitani in primo eorum apud

Venetos aduentu, apud Ecclesiam S. Mariæ de Nazareth constructo paruo Cœnobio, recepti fuerunt. Quo in loco vsq; ad annum Domini 1423. perstiterunt. Eo itaq; anno constructo in eodem loco Morbosorum Xenodochio, ipsi Fratres ad Ecclesiam S. Annæ de Castello translati fuerunt. Quam non multo post cum ea S. Stephani de Venetijs commutarunt cum Monialibus Ordinis S. Benedicti, quæ apud eam degebant. Quæ cum esset parua nimium, absidibusq; strata, atq; exiguo coniuncta Monasterio, postea à Domino Michaele Leggio Patricio Veneto in eam magnificam, qua nunc cernitur, formam ampliauit cum Monasterio: vt patet in maiore ipsius Ecclesię Cappella Marmoreo Elogio. Patrem spiritualem, quem dicunt, interim præfati noui Clerici habitatores præfatæ Ecclesiæ S. Mariæ de Nazareth, pro eius loci duce priorem habuerunt ex sodalicio ipso Eremitano, à quo regularem quotidiè disciplinam percipiebant: hic dicebatur Magister Gabriel Spoletanus, eius temporis Concionator celeberrimus, & erat prior tunc prefati Monasterij S. Marię de Nazareth: & suis concionibus præfatum Dominum Andræam cum suis socijs ad religionem conuerterat: A quo tandem die 6. Maij 1421. habitus sui Ordinis cucullati sub diem 15. Augusti sequentis anni professionem in eius manibus emiserunt. Huius ergo Gabriellis auspicijs eo primum perducti sunt, vt Martino V. rem, Episcopo Paduano demandante, anno sui Pontificatus 6. Eremitarum dogma cucullati primum, & professi, obtinuerunt Abbatiam S. Daniellis in monte apud Apponum Paduanum, Abbate illis Monasterium sub certis conditionibus cedente; quibus in primis suppressa Abbatiali dignitate, ac ordine Monastico, pensio illi annua reseruabatur super fructibus, & residentia quoad viueret in parte Monasterij. In Archiuis eius Abbatiæ S. Daniellis legitur, hoc factum anno Domini 1413. fuisseq; Abbatem illum

perpe-

perpetuum Dominum Ioannem Baptiſtam de Sauiolis de Padua; noluerunt q; præfati viri intra Vrbem, à qua ſemoti fuerant, vt parentum, & conſanguineorum frequentes inſultus declinarent, cum dictis Eremi tanis vt dictum eſt, remigrare. Verum pauló poſt facta noua eiuſdem Pontificis prouiſione: totum hoc negocium reuocatur: qua reuocatione locus mox reſtitutus eſt in priſtinum ſtatum. Vnde, & hoc altero propterea deſerto; tertium hunc tandem pro perpetuo indipiſcuntur S. Spiritus apud Patriam; vbi eo ſancto numine acti, ſubiterata profeſsionem Canonicum Ordinem, & habitum fęlicius induerunt; locum eis conſentiente Abbate Brundulenſi, qui ad eius Abbatiam pertinebat, quam & eiuſdem etiam viuentis opera, poſt illius obitum pariter conſecuti ſunt. Duo autem ex his primis optimis Patribus ſub celeri ſanctitatis opieione, in Antiſtites promoti dicuntur inter illas partes. Quos decedentes, pijſſimi, atq; gratiſſimi fratres Concanonici apud ipſam Eccleſiam ſuam S. Spiritus binis Marmoreis ſepulchris, ſub honorificis Elogijs, tam eius fundatæ Congregationis, quam recti Epiſcopatus, perpetuò honeſtarunt. Hunc tertium locum acceperunt noua commiſsione à Papa Martino V. ſub anno 1424. die 15. Auguſti, & in manibus Domini Petri Marcelli *93*. Epiſcopi Paduani nouam profeſsionem emiſerunt: ſumpto etiam ab eo Canonicorum Reg. habitu, qui per omnia ſimilis eſt habitui noſtro Congregationis Saluatoris, præter ſcapulare, quod nullum deferunt. Hoc verò Monaſterium S. Spiritus cum Eccleſia fuerat ab antiquo tempore, videlicet circa annos 1140. conſtructum, addito Xenodochio, vt mos erat eius temporis: & Canonicis Regularibus conceſſum: qui in eo perſeuerauerunt vſq; ad tempora Benedicti XII. & citra: Qui coronatus fuit anno *1335*. Habentur in Archiuijs Cano-

nicorum Regularium Lateranensium de Frisonaria Monasterij S. Mariæ de Charitate Venetijs Apostolicæ litteræ ipsius Benedicti Papæ sub Bulla plumbea; attestantes qualiter cum esset valoris LXV. Florenorum aureorum de Camera, vni ipsius Monasterij Canonico, qui D. Nicolaus de Benuenutis de Bononia dicebatur; per decessum D. Nicolai Arimundi Veneti, collatum fuit Monasterium S. Clementis, cum Xenodochio ibi propè in Ripa Canalis Orfani eiusdem Castellanensis Diœcesis, tempore Innocentij Papæ 2. à Petro Gattiloso Veneto. Eodem anno 1141. constructum; & Canonicis Regularibus præfati Ordinis, diuersi tamen non essentialis habitus, collatum; valoris tunc Florenorum LX. à Ioanne Papa XXII. cuius collationis litteræ per ipsius Pontificis obitum, ab eodem Benedicto XII. postea expeditæ fuerunt apud Auinionem.

De

De Canonicis Regularibus Montis Corbuli. Cap. X.

ALIA Congregatio ex illa Saluatoris prodijt in Tuscia, Auctore fratre Antonio Mantuano illius antea professore. Hic habitum eius Congregationis Saluatoris iuuenis sumpsit Mantuæ anno 1467. Et in eo Monasterio, & Congregatione vsq; ad 1472. satis laudabiliter perseuerauit: quo anno ad Cartusianos S. Laurentij de Florentia transuolauit: à quibus perbenignè susceptus, Petrus pro Antonio nominatus est. In Annalibus eius Congregationis legitur Natione Regiensis: sed in mutatione habitus, & nominis, eam etiam suæ nationis patriam in Mediolanensem conuertit. Et quia facibilis, & industrius erat; in loco eius Territorij Florentini dicto, *Il Castellaro*, supra, & propè Moscianum, Villicũ eum constituerunt. Vbi post plures annos, comparata familiaritate Domini Francisci de Soderinis de Primatibus Florentinis Episcopi Volaterrani: & Alexandri Papæ 6. Referendarij: ipsiusq; fauore, & patrocinio fretus, nouam Canonicorum reg. Congregationem sub regula simpliciter B. Augustini instituit. Quam ex suo met nomine Congregationem S. Petri Apostoli denominauit apud Montem Corbulum. Locus iste à Ciuitate Florentiȩ per 18. à Senarum autem per 12. miliaria distat. Quo in loco Ecclesia in memoriam Archangeli Michaelis ab antiquo tempore dedicata consistit. Attamen institutionis eius Congregationis primarius locus extitit. S. Mariæ de Bibona in Maritimis Pisanis Volaterranȩ Diœcesis constitutus. In eius Congregationis initio, vterq; habitus essentialis, & non essentialis, de quo supra diffusius disserui-

mus, fuit tunica naturalis coloris videlicet leonini, amplis manicis, lineo colobio cooperta, cum birro, seu caputeo, ac birreto desuper eiusdem coloris. At post obitum ipsius D. Petri institutoris, qui in eius decrepita ætate cõtigit anno Domini 1521. superaddita est clamis ad instar Canonicorum reg. eius temporis S. Frigdiani de Luca; & Leoninus color, restrictis manicis, in nigrum commutatus èxtitit, sedente Iulio 2. Raphael Volaterranus asserit, eam Congregationem à Iulio ipso eo anno, quo suam Historiam scribebat, approbatam: sed reuera ipsa approbatio tunc tentata, & cæpta fuit: & postmodum ad instantiam præfati Domini Francisci de Soderinis S.R.E. Cardinalis tituli S. Susannę, à Leone Papa X. viuente adhuc Institutore, perfecta fuit. Et hoc acceptum refertur à D. Benedicto de Sancto Geminiano, eiusdem Congregationis Canonico: & loci S. Bartholi ab eo oppido per millia re distantis, Priore. De hac Congregatione illud sanè dicere possumus, quod eius cultores à principio adeo magnam in vita, & habitu pręseferebant abstinentiam, & humilitatis rigorem; vt illis primis Clericis abstinentibus æquari posse viderentur: qui sub Marco Euangelista, vt pręmisimus, apud Alexandriam, extra hominum turbas, collobijs lineis adoperti, eam vitam exorsi fuerunt. Pauperculi quidem, vel in cõmuni, quicquid à diuinis temporis superesset, maiorẽ partẽ, illos & in hoc potissimũ ęmulati, operibus impenderent; ex quibus communiter victitabant. Nihil sibi quisquam quod proprium futurum esset, sed quod magis pauperum hospitio, quodcumq; contingeret inter eas solitudines, qui verè pietatis cultus est; & cui in primis vacabant, reseruantes. De his quidem loquens Raphael ipse Volaterranus in suis Cronicis, ita scribit. Alia item & tertia Congregatio nuper incohata est, quæ S. Petri de Monte Corbulo Florentinę Dioceseos appellatur; & à Iulio 2. confirmata est. Hi hospitalitatẽ colunt,

colunt, quamquam pauperes adhuc pullum, humilemq; cucullum linteis, crassisq; tuniculis superinduunt. Idem refert de ipsis Iacobus Bergomensis in suis Cronicis lib. 14. anno 1407.

De Canonicis Castrinantonijs.

NOVISSIME quidem in Gallia circa annum 1500. alia Congregatio erecta est, quæ nuncupatur Castrinantónijs, vulgò Chasteoulandon; quæ suæ puritati Canonicum Ordinem restituisse fertur: referente Roberto Episcopo Arboricensi de tuendo cælibatu, tom. 2. tit. de monasticorum Ordinum primordijs.

Epilogus totius tractatus, & operis. Cap. XI.

HACTENVS de nostris initijs; de quibus omnia profectò descripsimus, quę nobis constare potuerunt, summa cum diligentia quęrentibus, cum ex Pontificum Diplomatibus, & priuilegijs: tùm ex Notariorum documentis, & schedis: tùm ex annotationibus, & relationibus maiorum nostrorum; quibus insimul collatis, rerum veritatem, quantum fieri potuit, secuti, Saluatore ipso Christo Domino nostro præstante, ad hunc vsq; terminũ peruenimus. Quod si pro indaganda veritate, qua hos nostros labores præferti niti volumus; longius fortasse, quàm per operi fuerit, sumus iudicio præsentium euagati; nostra hæc diligentia excusabitur posteriorum sententia, ad quos ea fama vetustior pertinget. Cum ea maximè Notariorum documenta

menta tineis, temporeq; consumpta iamiam euenescant? Quippè qui me contra fortè, & breuiorem, & timidiorem redarguerint; si nihil aliud nostræ antiquitatis seriosius, quàm nostris scriptis constiterit: opere præcium tum me etiam facturum arbitratus sum: si eorum, qui hinc Historiam Congregationis essent auspicaturi, laborem aliqua ex parte iuuarem. Hactenus etiam de Ordine, ac Statu Canonico, iuxta intentionem meam, dixisse crediderim. Pro quo tandem Epilogi loco; & quo facilius nostra intelligantur, probenturq; argumenta; litteras bullatas Eugenij huius nominis 4. Pontificis Maximi, quibus Lateranensem Basilicam in Vrbe Canonicis Regularibus Frisonarijs contulit anno Domini 1447. Pontificatus verò sui 16. 8. Kal. Ianuarij; proferre in medium volui. Sic autē ad verbum se habent illæ.

Bulla Eugenij Papæ 4.

EVGENIVS Epis. ser. ser. Dei ad perp. rei mem. Cum ad sanctissimam, & venerandā Lateranensem Basilicam dirigimus oculos mentis nostræ, & inter innumeras curas ꝑ commissi nobis Christiani populi salute, desuper iminentes nos ad contemplandam diuinæ, & admirabilis Ecclesiæ sanctitatem, cælebritatem, & eminentiam, religiosa meditatione conuertimus; tanta profectò sacri loci veneratione, & deuotione mouemur, ac ducimur, &c.

Et

Et post multa.

HAc igitur pia, & sancta inspiratione ducti, & Domus Dei Zelo solliciti sacratissimi Pontifices prædecessores nostri illius secuti vestigia, cuius perfecta, & ordinata sunt opera: post quam venerabilem locum pro populi Dei salute, & summi Regis gloria dictauerunt ex thesauro Christi sacratissimo inenarrabilibus, & incõprehensibilibus indulgentijs, & diuinæ gratiæ largitate, & remissionis exuberantia ornauerunt: honorum priuilegijs sublimarunt, & decorauerunt titulis dignitatum diuinam in terris familiam Clericorum, qui vitam religiosam ducerent, & ad exemplum nascentis Ecclesiæ sanctam institutionem seruarent, quos Canonicos regulares appellamus: & sacrum inter Clericos, & Ministros Christi viuendi modum in sacra Basilica instituerunt, firmauerunt, & erexerunt, ac perpetuò deputarunt. Et hi primæ in terris Ecclesiæ, & matris sanctorum Apostolica prouidentia curam gererent, qui primorum Christianæ religionis Clericorum normam, traditiones, & instituta sectantur. Huius profectò sacri Ordinis, & sancti propositi post sanctos Apostolos primum in Alexandrina Ecclesia Marcus Petri Discipulus fuit institutor, & conditor: ac gloriosus Doctor Augustinus Episcopus diuinis regulis decorauit: & sanctæ memoriæ Vrbanus insignis martyr, & sanctissimus Pontifex generalis decreti ordine reformauit: & beatissimus Gregorius Augustino Anglorum Episcopo velut plantationem sacram in commisso sibi populo præcepit institui, & in Occidentis finibus ampliauit. Hi sunt profectò, qui sanctorum Patrum vitam probabilem imitantur; & Apostolorum instituta instin-

instinctu Spiritus Sancti renouant: qui ad exemplum illorum credentium conuenerunt in vnum; quibus erat cor vnum, & anima vna; qui Pastoribus suis iuxta Ecclesiasticas, & Apostolicas traditiones obediunt: sicq; hæc sancta, & Deo placens institutio antiquitus, & ab ipsis ferè primordijs obseruantia extitit, & sacram Basilicam per dicti Ordinis Clericos per longa tempora sanctè, & salubriter gubernatam fuisse, certissima scientia, & veritate comperimus: & hęc euidentissimè testantur innumerabilia documenta. Cum autem hoc pium, & salutare institutum, mundo in maligno posito ex antiqui hostis inuidia fuerat perturbatum: & fęl. recordationis Bonifacium Papam VIII. Prędecessorem nostrum quadam illius temporis malitiæ consideratione immutatũ: & p ipsum Patrem termini contra diuina præcepta translati noscantur, & amotis Canonicis Regularibus, Clericorum sæcularium, & Canonicorum fuerit dicta Ecclesia curæ, & gubernationi commissa, &c.

✠

Anno

Annotatio Epilogalis.

HIs igitur litteris suis Pontifex Eugenius confirmat, & secundum propositum nostrum epilogat cuncta, quæ nos de Ordine, ac Statu Canonico scripsimus. Et primum quidem de illius institutione asserens, qui sua tempestate regulares appellabantur, eos esse Clericos, quos iam inde ab initio Apostoli instituere; tũ Marcus Euangelista, atq; alij Pontifices mirum in modum coluerunt, & propagarunt: & Augustinus Doctor, & Episcopus regulis illustrauit: Ita vt omnes suæ memoriæ Canonicos regulares, non nouam, ac recentem nescio quam (vt imprudentes quidam, & imperiti comminisci solent) esse religiosorum hominum speciem: sed potius certum quoddam, & antiquum iam inde ab Apostolicis ipsis Clericorum, in communi rerum omnium viuentium, institutum: & posteà ab Augustino primum regula redintegratum, decoratumq; Ordinem asseueret, atq; declaret. Quod paulò post principium facit cum dicit; Hæc igitur pia, & sancta: vsq; ad periodi finem hunc. Qui pastoribus suis iuxta Ecclesias, & Apostolicas Ordinationes obediunt, & c.

✠

Et poſt multa alia.

QVIA verò diuina miſericordia ſub regulariũ Canonicorum propoſito deuotas Deo plures familias, cætus, conſortia, Congregationes, & Ordines habet Chriſtiana Religio: & ſanctam conuerſationem Clementia Saluatoris noſtris temporibus multiplicare dignatus eſt. Nos in huiuſmodi ſancti operis inſtitutione, etiam ad tantę rei magnitudinem ad Saluatorem noſtrum direximus noſtræ meditationis intuitum: & piè conſiderantes, & diuinis ſedulis ſtudijs reuoluentes ad nouellam in vinea Domini plantationem, religioſam familiam Dei Congregationem de Frigionaria nuncupatam, qui ſub eadem B. Auguſtini regula Altiſſimo militantes, & ſacram Religionem, prout certè comperimus, deuota puritate ſeruantes, in ipſius regulæ vigore, & Ordinis diſciplina Saluatori pijſſimè famulantur, & Religioni dediti, in carne non ſecundum carnem viuentes, gratiarum benedictionibus quotidiè multiplices, vberes fructus in agro dominico, Spiritu Sancto miniſtrante, afferre noſcuntur, reſpeximus, & mẽtem noſtram diuina inſpiratione conuertimus. Auctoritate igitur Apoſtolica, ſcientia, & poteſtate prædictis Ordinẽ, & Cõgregationẽ prædictam in dicta Eccleſia inſtituimus, ponimus, erigimus, & deputamus. Et reliqua vſq; in finẽ. Datũ Romę apud S. Petrum anno Incar. Dom. 1446. 8. Kal. Ianuarij Pont. noſtri anno 16.

B. Roquerella.

Annotatio Epilogalis.

SVBIVNGIT de Reformatione,& confirmatione Ordinis eiusdem, de quibus & nos dicebamus in secundo libro nostro: cum Canonicos huiusmodi regulares plures in formas distinguit, verbis istis. Quia verò diuina misericordia sub regularium Canonicorum proposito, deuotas Deo plures familias, cætus, consortia, Congregationes,& ordines habet Christiana Religio: quales profectò nos in secundo libro nostro assignauimus, Bhenanos, Portuenses, Nicosianos, Venetos, & cætera: præcipuè verò ad Congregationem Canonicorum regularium S. Saluatoris, de quibus nos in hoc tertio libro per totum, innuens dicere videtur. Et sanctam conuersationem clementia Saluatoris nostris temporibus multiplicare dignata est. Fuerat enimuerò idem Eugenius vnus ex tribus primis Protectoribus eius, vt dictum est, Nepos eius sanctissimi Pontificis Gregorij scilicet 12. qui nimia eam charitate instituerat: pro cuius amore nihilo etiam minus laborās ipse met Eugenius, iam sex illi Monasteria, siue Ecclesias contulerat, atq; donauerat, videlicet Monasterium S. Mariæ Angelorum sub Senarum mænibus; Hospitale S. Trinitatis Diœcesis eiusdem; Abbatiam, & Monasterium S. Laurentij à Ciuitella in Ardingesca Grossetanæ Diœcesis: tum Ecclesiam, siue Monasterium S. Saluatoris in Vrbe Venetiarum; vbiq; semper, sed præcipuè in litteris Venetis, non ad vllius præces, sed sua met sponte, certo consilio, ac ratione (quod motu proprio, & ex certa animi scientia Curiales vocant) multis etiam, ac magnis laudibus Canonicos Saluatores, totamq; illorum Congregationē prosecutus est, ac singularibus priuilegijs, prærogatiuis,

tiuis,& dignitatibus ornauit; & ea præsertim,vt Monaste rij Prior Mitra, Baculo,& Annulo Pastoralibus ex pristino instituto vteretur. Quod mox etiam omnibus Prælatis eiusdem Congregationis concessit. Postremò Ecclesiam parrochialem S. Albani à Quinciano, Canonicam vulgò dictam Senensis Diecæsis elargitus est. Quid mirum igitur, si præfatis quoq; in litteris, vt pręmissum est, de ipsa met Congregatione Canonicorum regularium S.Saluato ris est præcipuè gratulatus? Neque verò illud quicquam rationi huic nostræ efficere,aut repugnare videtur, quod non sub regula D.Augustini,sed sub regularium Canonicorum proposito plures dixerit esse familias, & Congregationes: propterea quod idem propemodum hæc sint sensu,licet verbis non item. Siquidem Pontifex pius,atq; disertus,Canonicum hunc D.Augustini Ordinem(quemadmodum in his ipsis collationis Lateranensis litteris passim intueri licet) multis, ac varijs nominibus effert, atq; distinguit: modò enim primorum Clericorum normam,& traditionem; modò sacrum Ordinem; aliquando sanctum propositum; aliquando sacram planctationem; tum sanctam, & Deo placentem institutionem; tum piū, ac salutare institutum; non nunquam sanctam primitiuæ Ecclesiæ conuersationem; interdum sacrum religiosorū Clericorum Conuentum; deniq; apertius,atq; significantius Ordinem Canonicum,secundum Deum, & B. Augustini Regulam institutum appellat: & diuersis verbis vnā, eamdemq; rem, idest ipsam Canonicorum regularium sub D. Augustini Regula,institutionem, ac professionem explicat: quemadmodum nos vel à principio eosdem Clericos multipliciter, ac diuersis nominibus; tandem Canonicos regulares compellatos declarauimus. Post hos autem S. Saluatoris Canonicos,aliam eiusdem Ordinis Congregationem Eugenius connumerat: Nouellam scilicet in vinea Domini Plantationem, Religiosam fami

liam

liam Dei Congregationem de Frigionaria nuncupatam: quam auctoritate Apostolica, scientia, & potestate in prædicta Lateranensi Ecclesia instituit, promouet, erigit, & deputat: Nouellam vtiq; familiam, & Congregationem, at nouellum minimè Ordinem appellat (est enim Canonicum institutum, vt diximus, antiquissimum) familiæ quidem nouissimè in dies factæ sunt: ita & Gregorius 12. nouellam plantulam affectu paterno suos Canonicos, à se institutos, nuncupabat, idest nouam à se in Ordine illo antiquissimo Congregationem institutam. Nouellam igitur familiam Eugenius ipse nuncupat Frisonariam; quia nouissimè Martinus V. prædecessor suus anno 4. sui Pōt. fundauerat eam, cui dedit Capitulum generale, & Rectorem pariter generalem. Ab eo inquam Martino V. qui anno sui Pont. primo Canonicam familiam S. Saluatoris Ambrosianam apud Eugubinos, vniuit, & incorporauit Canonicis Rhenanis antiquissimis in Bononiensi Monasterio S. Saluatoris: de habitu, & obseruantia inter se postea coaptatis, auctoritate Bononiensis tunc Episcopi, ad hoc scilicet Commissarij Apostolici. De qua vnione, ac reformatione: De habitus dispositione, essentialitate in Tunica linea, & cohonestatione in scapulari, & Cappa: & de cæteris ad præfata nostræ Congregationis initia spectantibus: nos in hoc tertio libro nostro, quàm accuratius fieri potuit, pertractauimus. Notandnm verò maximè illud est: Tum primum, nullas alias extitisse Canonicorũ huiusmodi regularium Congregationes, præter has duas: Alteram D. Saluatoris à Gregorio 12. 1408. institutam: Alteram Frigionariam à Martino V. anno 1420. quam hic speciatim nominatam Eugenius 4. in Lateranensis Ecclesiæ possessionem inducit. Et si enim multa Canonicorum huiusmodi Monasteria legamus in Historijs: nō tamen plura in formam Congregationis propriè adinuenimus connexa: vt omnia pariter ab vno, & eodem priore

generali, sub præcipuis prioribus ab illo singulis eorum gubernationi destinatis; & ad eius liberum arbitriũ amobilibus gubernarentur: sed vnum quodq; Monasterium sibi proprium priorem eligebat, cui soli, & in perpetuum obediebat. Immò Canonicæ, vt plurimum, Cathedrales erant. Primarij ergo qui hunc Ordinem Canonicum in formales Congregationes, vti nunc sunt, redegerint, atq; reformarint, fuere quidem Gregorius 12. & Martinus ipse 5. Et quo ad nostram præcipuè Congregationem, illud sanè Pauli de se potest Gregorius 12. exultando inter cælestes choros dicere: Ego plantaui; alter quidem Appollo rigauit idest Martinus V. successor meus: Deus autem incrementum dedit. Cui omnis laus, & gloria in sæcula sæculorum Amen.

De Prælatis, & viris Illustribus Congregationis S. Saluatoris. Cap. XIII.

ANNO 1508. R. Pater frat. Antonius Aloysij Contareni Congregationi, & patriç adeò gratus extitit, vt dum priorem in Diui Saluatoris Venetiarum ageret; semel, & iterũ Visitatoris munere perfunctus, ab vniuerso Veneto Senatu in Pastorem, & Patriarcam summa Ciuiũ concordia delectus fuit sub annum Congregationis centesimum. Vixit in Patriarcatu annos 16. multas Venetijs Ecclesias reformauit: Ecclesiam, & Palatium Patriarcale paramentis, fabrica, vasisq; argenteis illustrauit. Canonicos patriarcatus auxit simul, & prouentus. Vir fuit doctrina, & bonitate insignis, miraq; dexteritate in rebus gerendis: à Iulio 2. maximè commendatus. Quare mortuus lugetur, & à Senatu, & à populis cunctis, honestissimèq; sepellitur Venetijs anno 1524.

Reue-

Reuerendus D. Augustinus Steucus Eugubinus, vir de Hæbraicis, Caldaicis, Græcis, & Latinis litteris mirabiliter meritus, vt eius egregia litterarum monumenta, posteritati tradita, clarè testantur, Immò eum supra omnem ingenij aleam positum fuisse, nulli addubitarint. Cum esset prior S. Petri ad Vincula in Vrbe, factus est à Paulo 3. Episcopus Kisami, & Bibliotecarius Vaticani.

Reuerendus D. Pater Ludouicus Vanninus Foroliuiensis, vir in philosophicis, & sacris litteris præstantissimus, cum esset prior S. Petri ad Vincula in Vrbe à Paulo 3. factus fuit Episcopus Scalensis; postea Britinoriensis anno 1540.

Reuerendus D. Pater Ioannes Petrus Delphinus Venetus; vir omni bonitate, & doctrina celebris, cum esset prior S. Antonij Venetiarum anno 1560. à Pio 4. factus fuit Episcopus Zacinti, & Zefaloniæ secundus: mortuus est à Concilio Tridentino statim reuersus.

Reuerendus D. Pater Franciscus Passirotus Bononiensis, cum esset prior S. Petri ad Vincula in Vrbe, vir in rebus agendis. Excellentissimus, prçter Egregiam morum, & animi præstantiam, à Paulo 3. factus fuit Prothonotarius, & præceptor S. Spiritus in Saxia Vrbis. Hic restaurauit Hospitale ædificatum ab Innocentio 3. Eiusdem Congregationis Canonico. Ecclesiam verò quasi à fundamentis extruxit; cuius rei memoria extat adhuc particularis. Domum Hospitalis, & fratrum habitationes ædificauit.

Reuerendus D. Pater Theseus Aldrouandus Bononiensis, prçlatione multis in locis, & munere Visitatoris, & officio Procuratoris generalis egregiè exercitatis: cũ esset prior S. Mariæ de Cappellis extra Neapolim à Gregorio 13. factus fuit Prothonotarius, & præceptor S. Spiritus in Saxia Vrbis anno 1575. qua in administratione, & fructibus maximè adauctis; & fabricis sumptuosissimis

 intus,

intus, forisq; completis, diem extremum obijt, quasi recusans Cardinalatus dignitatem, quam idem Papa eius Cognatus fuerat illi sua sponte pollicitus.

R. D. Pater Bartholomæus Ioannis de Foro Sempronij ad Episcopatum suæ ciuitatis vocatus, vltrò, sibimet solus intentus, renuit.

Reuerendus D. Pater Ludouicus Orlandinus Foroliuiensis, qui ob suam vitæ integritatem, doctrinam, & religionem, decimum Generalatum egit in Congregatione: vocatus ad suæ Ciuitatis Episcopatum, omninò recusauit: vt de ambobus testatur Augustinus Gandinus Mantuanus in 4. parte Annalium suorum.

De Beatis, & viris sanctitate vitæ, in hac Congregatione conspicuis. Cap. XIV.

MAgis probatur huiusce Congregationis dignitas ex pluribus quidem Beatis, quos Saluator ipse certis quibusdam signis manifestare voluit.

B. Franciscus Nanni Senensis, qui obijt Fabriani anno 1413. cuius corpus translatum fuit apud Ambrosianos Eugubij, & sub Altare maiori perpetuæ sepulturę traditum fuit anno 1420.

B. Stephanus Ioannis Cioni de Senis 1444. obijt Bononiæ, ibiq; in D. Saluatoris tumulatus fuit.

B. Archangelus de Cannetulis Illustris Bononiensis; cuius corpus adhuc integrum videtur, & palpatur in D. Ambrosij apud Eugubium. Hic Principibus Vrbini, & Magnifico Iuliano Medices carissimus recusauit Archiepiscopatum Florentinum instantissimè sibi oblatum. Habuit spiritum prophetiæ: & multas, magnasq; gratias cōtinuò facit altissimus ad eius sepulchrũ: obijt anno 1513.

B. Ioan-

B. Ioannes Antonius à Belinzona, vt creditur, Commissus Ferrariæ, & viuens, & mortuus multa signa dedit. Obijt anno 1527. Eius corpus integrum de sub maiore Altari translatum fuit in Capellam, quę dicitur *Della Camerina anno.*

De Titulo Saluatoris. Cap. XV.

DIVINA quidem ex ordinatione patet his Canonicis traditum fuisse huiusmodi titulum S. SALVATORIS: & sicuti Pontifex excitatus mentis suæ nescio quo arcano, repetito sępius ab eo in ipsis Congregationis primordijs, intendebat in his religiosis reformationem Canonici Ordinis, passim per ea tempora collapsi: cuius viuens fundamenta iecit: vel potius, vt quondam Apostolus, ea plantauit: ita & hunc titulum S. Saluatoris diuino afflatus spiritu præfatæ Congregationi assignauit; minimè id patribus efflagitantibus, sed neq: cogitantibus. Forsassè quia titulus iste conuenit primæ Congregationi Canonicorum, quia debemus à primo exordiri semper: & primus ordo debet denominari ab ordinatore primo. Præterea quia in D. Saluatoris Oratorio fundamenta intentæ reformationis iecit: ideo S. Saluatoris titulum autumauit. Tertio ratione Ciuitatis Lucensis, in qua habitũ Canonicorum primi receperunt: ibi enim imago præcipua colitur Saluatoris. Sed magis mouet, vt diuinitus propè datum existimemus huiusmodi titulum: quod in secunda reformatione, quàm non multò post; immò in ipsis ferè initijs, sub Martino V. habuerunt cum Bononiensibus Rhenanis, Canonicis Regularibus antiquis, hunc eũdem titulum confirmari videmus, etenim eorum principalis Ecclesia Bononię dicta semper fuit S. Saluatoris.

Inde post modicum etiam temporis renouata celebriter eiusdem tituli memoria fuit in solemni vnione Monasterij Veneti cum eodem Bononiensi, cuius Ecclesiæ Venetijs titulus è cælo reuelatus Diuo Magno Altini Episcopo fuit S. Saluatoris.

Annot. in erro. & pro declar.

NON S. Saluatoris, sed seruatoris dicendum putarunt nonnulli, nimium latinitatis certe studiosi. At Gregorius 12. & Martinus V. in vtraq; huius Congregationis erectione, & reformatione, quam singuli singillatim fecere, Saluatoris illi titulum indiderunt, non seruatoris. Nec refert si hoc magis latinè dicatur: in proprijs enim nominibus, sua vnicuiq; seruanda sunt, siue latina, siue græca, siue prorsus barbara, quę primis Auctoribus placuerunt: nam ridiculum est, inquit D. Thomas, dicere nomina, quę sunt imposita ad res significandas, esse prohibita, cum res ipsæ nō sint interdictæ: & allegat B. Augustinum de vita Christi: docentem nomina ostendere singulas res; & neminem sine causa sortiri nomē: commodius enim dicitur, singulas res singulis nominibus distingui. Insti. quomodo test. infir. §. sed quia distinctio nominum differentiam rerum declarat 21. dist. c. cleros 12. q. 1. c. clericus 16. q. 1. c. si cupis 24. q. 1. c. pudendę glo. c. olim. dist. 95. vbi, vt in superioribus allegatur etiam C. de Cod. Nec codicillos. Diuersitas autem nominum è contra est suspecta; quasi in fraudem machinata, & capit inconstantiam. Vt in l. in causæ ff. de minoribus. Arguitq; diuersitatem rerum, cum sit præsertim sine causa, & absq; auctoritate superioris. Ar. l. si ijdem Codicilli C. de Codicillis. Quis enim reprehenderit, si quis duos natos baptizauerit, vnū

pro

pro Saluatore,& alterum pro seruatore? Vel si bina templa, binasq; Cógregationes erexerit sub nominibus ijsdē? Num & illos,& hæc sub vnico tantum nomine seruatoris compellabimus, quoniam hoc recens magis placeat nostratibus fortasse Grammaticis? Sed quod nomen Saluatoris apud latinos, vel ab ipsa vsq; primitiua Ecclesia receptum fuerit: faciunt in primis Pauline Epistolæ: vel qui prius eas latinas cum cæteris Canonicis reddidere: auctoritasq; simul quorumcumq; Doctorum Latinorum in omni Instrumento nouo, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, Leonis, Gregorij,& sequentium, apud quos pro latino vsurpatur. Vnde Augustinus de Trin. lib. 13. cap. 10. Iesus hebraicè, grecè dicitur Soter, nostra verò locutione Saluator: quod verbum latina lingua antea non habebat, sed habere poterat: sicut potuit, quando voluit. hec Aug. Potuit ergo, & voluit, & ex consequenti recepit. Idem de Ciui. Dei lib. 17. cap. 18. Clamat, inquit,& Psaltes 67. Deus noster Deus saluos faciendi. Dominus est Iesus, quod interpretatur Saluator. Vel dic melius; Deus noster Deus saluos faciendi,& Domini, Domini exitus mortis. Quid apertius diceretur? Deus enim saluos faciendi est Dominus Iesus, quod interprætatur Saluator, siue salutaris. Nam ratio nominis huius hec reddita est, quando priusquàm ex Virgine nasceretur, dictum est; Paries filium,& vocabis nomen eius Iesum, Matt. cap. 1. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. In quorum peccatorum remissionem sanguis eius effusus est. Non vtiq; oportuit eum de hac vita exitus alios habere, quam mortis; ideo cum dictum esset Deus noster Deus saluos faciendi, continuò subiunctum est; & Domini Domini exitus mortis; vt ostenderetur moriendo saluos esse facturus: sed mirando dictum est; & Domini; tāquam diceretur; talis est vita mortalium, vt nec ipse Dominus aliter ab illa exiret, nisi per mortem. Et alibi in

eodem Codice super illud Apost. ad Tim. prima cap. 2. Coram Saluatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri: hinc Saluator, ait, dictus est.

Isidorus libro Ethymologiarum lib. 7. Saluator, inquit, pro eo quod cunctis gentibus salutifer venit. Ethimologiam enim nominis huius etiam Euangelista significauit, dicens; Vocabitur nomen eius Iesus idest Saluator, quia ipse saluum faciet populum suum. Sicut enim Christus significat Regem; ita Iesus significat Saluatorem. Non itaq; nos saluos facit quicumq; Rex; sed Rex Saluator. Non est autem Saluatoris proprium nomē Christus; sed communis nuncupatio potestatis. Dum enim dicitur Christus, commune nomen dignitatis est: dum Iesus Christus, proprium est vocabulum Saluatoris: Christi enim nomen nusquàm alibi omninò, nec in aliqua gente fuit; nisi tantum in illo regno, vbi Christus prophetabatur, & vnde venturus erat. Mirandum quidem est, inquit Illustriss. Baronius in Martyrologio in Dedicatione Basilicæ Saluatoris; Non solum Hæreticos, qui dedita opera ab Ecclesiæ Catholicæ consuetudine dissentiunt, sed ex nostris etiam nonnullos Latinæ eloquentiæ studiosos, à Saluatoris voce tantoperè abhorrere: cuius loco seruatorem dicunt: tāquam hoc sit Ciceronianum verbum, alterum non sit. At qui par esset in negocio fidei, dictionum nostrarum proprietate, Augustino magis, ac cæteris patribus doctissimis, & sanctissimis, quam Ciceroni auscultare. Quamquam num quidem Tullio saltem ipsi latinitatis Magistro cedendum esset, qui dissertis verbis negat Græcam vocem Sother vno latino verbo exprimi posse. Ipsum audiamus; cuius hęc sunt verba in C. Verrem lib. 2. Itaq; cum non solum patronum istius insulæ; sed etiam Soterra, in scriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum, vt latino vno verbo exprimi non possit. Vt nimirum Sother est, qui salutem dedit. hæc ille. Quę, vt vides,

vox

vox vna illa, seruator, non est visa satis efficax, quæ græcã vocem latinè æquè redderet: Vnde noua potius fuit excogitanda. Quod non tantum in his, quæ Religionis sunt, sed & in his, quę spectant ad scientias, artesq; optimo iure fieri posse, ac debere, idem Cicero docet. lib. 3. de finibus, cuius & in eodem libro est illa grauis, & tanto Oratore digna sententia, qua ait; Huiusmodi res (ad Phylosophiam spectantes videlicet) dicere ornatè velle, puerile est; planè autem, & præcipuè expedire posse docti, & intelligentis est viri; hæc ipse. Ego quidem eloquentiæ, & latinè loquendi studium non repræhendo: ita tamen, vt religioni seruiat, non imperet: in qua sententia excellenti doctrina, & iudicio viros, fidei nostræ columnas, esse nouimus Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, & alios complures, quos recitare perfacilè possem: sed nolo, ne longius ab instituti nostri ratione discedam; citabo tamen breuiter aliquot loca. Id etenim Augustinus de Doct. Christ. cap. 13. Et contra Hæreseon: lib. 2. cap. 1. Ambrosius Commen. in Lucam cap. 2. Hieronymus in Commen. in Ezechielem cap. 40. Arnobius lib. 1. aduersus gentes. Nicephorus Hist. lib. 8. cap. 42. & alij profitentur. Nouissimè verò Molanus, vir quidem eruditus, de eadem voce agens, repræhendit eos, qui seruatorem pro Saluatore ineptè dicere consueuerunt in annot. ad Vsuard. ad quintum Kal. Martij in prima edit. Saluatoris sacræ ædes nominatim in earum dedicatione nuncupãtur: sicut & homines pleriq; in suo baptismo: est enim eorum hoc, vti & illorum proprium nomen: & ab illis fortasse, vt dicebam, Congregationis titulum absolutum pro eodẽ nomine proprio inditum legimus. In agnomine enim Saluatoris Christi Iesu excusabilius forsan seruatorem diceremus. Verum non agnomen hic, sed nomen est, vt dicimus: nec respicit simpliciter Christi personam, sed titulum earum huiusmodi ędium, & Congregationis;

quod

quod ideo nusquam ex iuribus vulgatis, vti præmisimus, immutari debet. Qui si vim vocabulorum dispiciamus, vtiq; non tam diuersitatem, quam significati pro eorum sensu cognoscemus. Seruantur enim parta ne pereant: seruantur Ciues, ne captiui fiant: Saluantur & asseruantur, dum ex captiuitate redimuntur. Nam Saluator, Assertor, & Redemptor magis hæc conuertibilia sunt, perindè, vt seruator, & custos in priore sensu. Cum essem cum eis, ait Dominus Iesus, ego seruabam eos: & quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis perijt Io. 17. Quod autem perierat, venit filius quærere, & saluum facere. Luc. cap. 19. Et patria seruata dicitur à Cicerone, dum insidiaretur à Catilina. Neq; idem sonat seruari captiuos, & saluari: immo prorsus contrarium: illud accipitur pro simpliciter custodiri: vnde custodiæ appellantur, qui sic detinentur: saluantur verò, cum asseruantur de manibus eorum, qui seruant, vtcumq; erepti, liberantur. Sic enim Christus prius pro hac sententia Saluator noster extitit: quatenus posteà seruator futurus esset. Seruat nam quem iamdiù saluatos, & præciosissimo suo sanguine asser tos, & partos: & ex captiuitate Diaboli, ne iterum illius insidijs pereamus. Ita quoq; Osææ 13. se se Saluatorem Israel dicit; qui eum eductum de Aegyptiaca seruitute asseruauit, & saluauit. Nam assertor hic etiam magis quadrat, vt vides, quam seruator. Non inficior tamen, Saluatorem pro seruatore persæpè reperiri: Hic contendo de ratione reddita eius nominis pro superiori sententia Augustini: quando scilicet latinum factum est: & quòd propterea non debet cuicumq; homini, seu rei impositum, immutari. Titulum Saluatoris habuerunt etiam Canonici Lateranenses Frisonarij, vt patet ex Constitutione Eugenij 4. in illis verbis: Statuimus, ac decernimus, vt propria deinceps Religio à dicta Ecclesia, & originali eius Ordine institutio habeatur; vt deinceps omnes dictæ

Con-

Congregationis Conuentus,& loca ab huius Sanctæ Basilicæ titulo,& toto Congregationis capite nomẽ accipiat: & Congregatio Saluatoris appelletur. Quem tamen ipsi postea respuerunt, volentes solummodò vocari Lateranenses, quod eis per priuilegium concessum fuit. Nobis itaq; solis remansit titulus ipse Domini Saluatoris, quem libenter colimus; atq; tuemur, iuges ipsi Deo gratias agentes.

De Progressu propriæ Congregationis. Cap. XVI.

IPSIVS verò nostræ Congregationis progressus, continuatusq; ad hunc vsq; diem 1604. successus,& incrementum intelligi facile potest ex litteris Apostolicis vnionum tũ Monasteriorum,quæ ad quadraginta,& duo simul religionis iure in vnum corpus, vnamq; Congregationem coniugata sunt: tum Beneficiorum,quæ perplura Monasteriorum ipsorum mensis accesserunt. Ex actis Comitiorum generalium: ex priuilegijs tum summorũ Pontificum,tum Imperatorum; & aliorum Principum; & ex alijs vel publicis, vel priuatis Congregationis documentis sexcentis,quæ omnia extant & Bononiæ, & Romæ, & Venetijs. Placet autem sumatim ad perpetuam Summorum Pont. & aliorum benefactorum nostrorum memoriam,& grati animi causa,per tabellam infrascriptã,quot Monasteria, & à quibus tradita sint, omnibus, & singulis declarare. Et nota,quòd amplius non fit mentio de Rhenanis, ac præcipuè de Congregatione S. Saluatoris post vnionem,& reformationem cum ipsis. Facta igitur vnione Monasterij Ambrosiani, & Eugubini cum Monasterijs Bononiensibus S. Mariæ de Rheno, & S. Saluatoris; & aliam

aliam S. Donati de Scopeto Florentinæ Ciuitatis, factas à Martino V. vt declaratum est in superioribus. Eugenius 4. proximus Martini successor donauit Monasteriũ S. Mariæ Angelorum extra muros Senarum anno 1434. die prima Octobris. Donauit & Canonicam S. Saluatoris Venetiarum 1442. die 21. Iunij. Dederat Abbatiam Gaiffæ Diœcesis Vrbinatensis; at dolo, & tarditate executionis ammissa fuit. Monasterium quoddam Sanctæ Mustiolę Clusinensis Diœcesis 1442. quod postea in regimẽ propositi secularis, vt prius erat (antequam vniretur Cõgregationi) Nicolaus Papa V. transtulit anno Domini 1447. illud eximendo à Congregationis regimine Calixtus 3. dedit Monasterium S. Secundi de Eugubio extra muros anno 1455. die 3. Nouembris.

Pius Papa 2. vniuit Congregationi Monasterium S. Ruphini extra muros Mantuæ anno 1459. die 3. Iunij: quod cum postea dirutum fuisset, Canonici reduxerunt se intra Ciuitatem 1527. in Ecclesia S. Sebastiani; in qua translatus fuit etiam titulus Abbatiæ. Anno Sal. 1458. Congregationis 50. reperio Vicarium Monasterij S. Priscæ de Roma fratrem Petrum Laurentij Florentini, & de ea Ecclesia hic semel tantum legitur. Idem Pontifex dedit Ecclesia S. Ioannis Euangelistæ de Rauẽna anno 1459. die 2. Augusti. Idem Ecclesiam S. Daniellis in Monte extra Patauium anno 1461. die 2. Februarij. Dedit Ecclesiam S. Mariæ ad Cereos de Insulis extra Vicentiam anno 1462. die 18. Martij. Dedit Ecclesiam S. Mariæ maioris de Taruisio anno 1462. die 8. Septembris. Dedit Abbatiam S. Michaelis de Candiana Patauinæ Diœcesis anno 1463. die 28. Martij.

Paulus 2. dedit Monasterium S. Mariæ Angelorũ extra muros Perusij anno 1468. die 13. Decembris. Item Monasteriũ S. Ioannis Nouelli Rauennę. Hoc erat vnum Palatium, vbi etiã nunc est, & donatum sub conditione, vt

ibi Prior Conuentualis singulo quoq; anno crearetur.

Sixtus 4. dedit Monasterium S. Antonij Venetiarum anno 1475. die 29. Augusti: cuius Ecclesia antea vnita fuerat Canonicæ D. Saluatoris anno 1471. die 19. Octobris. Dedit Monasterium S. Mariæ Gratiarum de Fornouio Bretinoriensis Diœcesis 1477. die 6. Aprilis. Dedit Canonicam S. Mariæ à Vado Ferrariæ anno 1477. die prima Augusti. Dedit Canonicam S. Ioannis Baptistæ apud S. Archangelum Ariminensis Diœcesis anno 1478. die 3. Decemb. Dedit Ecclesiam Transfigurationis Domini Saluatoris, aliàs S. Marci de Regio anno 1478. die 2. Octobris. Dedit Monasterium S. Agatæ de Vrbino anno 1481. die 6. Aprilis. Dedit Monasterium S. Paterniani de Fano 1482. die prima Aprilis. Dedit Monasterium S. Petri de Callio extra muros anno 1483. die prima Febbruarij 1484. Monasterium Vicentinum S. Crucis vnitus. Quod postea dimissum est, ita decernente Senatu Veneto, obijciente non ritè fuisse impetratum.

Innocentius 8. dedit Monasterium S. Mariæ Colonnatę extra Genuam anno 1486. die Dedit Monasterium S. Io: Euangelistæ de Brixia anno 1486. die vltima Februarij. Dedit Ecclesiam S. Mariæ Gratiarum extra Cortonam anno 1488. die 2. Octobris. Dedit Monasterium S. Petri ad Vincula in Vrbe anno 1489. die 9. Augusti. Dedit Ecclesiam S. Euphemiæ de Placentia anno 1491. die 10. Martij.

Allexander 6. dedit Monasterium S. Ioannis Euangeliste Vrbeuetani anno 1498. die 22. Martij. Dedit Ecclesiam S. Hieronymi de Mutina anno 1501. die.

Iulius 2. dedit Canonicam S. Augustini de Nicosia Pisanæ Diœcesis anno 1503. die 29. Ianuarij; Dedit Canonicam S. Michaelis in Monte Brancoli extra Lucã anno 1507. die 24. Aprilis. Dedit Monasterium S. Ioannis in Gualdo Beneuentanæ Diœcesis anno 1507. die 26. Aprilis.

lis. Dedit Ecclesiam S. Mariæ Magdalenę de Mirandula Regiensis Diœcesis anno 1510. die 16. Aprilis. Dedit Ecclesiam S. Laurentij extra muros Vrbis anno 1511. die 9. Nouembris. Dedit Canonicam S. Mariæ Filiportę de Luca anno 1512. die 27. Aprilis.

Leo X. dedit Monasterium S. Anelli de Neapoli anno 1517. die 24 Martij.

Paulus 3. dedit Monasterium S. Celsi de Mediolano anno 1548. die 3. Martij. Dedit Monasterium S. Mariæ de Cappellis extra Neapolim anno 1549. die 9. Aprilis.

Paulus 4. dedit Ecclesiam S. Cæcilię de Crouaria extra Bononiam anno 1555. die 24. Iulij.

Pius Papa 4. dedit Monasterium S. Antonij de Vienna Patauij anno die.

Sixtus V. Monasterium nouum Rhenanum extra Bononiam fecit prioratum, & Canonicam iuxta morem antiquum anno.

Clemens 8. dedit Monasterium S. Sophię de Beneuento anno erexit quoq; in Abbatiam Monasteriũ S. Agnetis extra Portam Piam de Vrbe anno 1602. die 29. Iulij.

Paulus V. concessit Monasterium Sancti Spiritus in Cento, & Abbatię titulo donauit anno 1609. die.

Complura his Monasterijs, & eorum Mensis adiecta sunt Beneficia, potioraq; sacerdotia, de quibus pertractare non est pręsentis nostris operis: librum enim per se faciunt non par uum.

✣

De

De Illustrissimis Protectoribus nostræ Congregationis. Cap. XVII.

SVb Gregorio 12. sub Martino V. & sub Eugenio 4. nostra Congregatio habuit protectorem Illustriss. Antonium Corarium Venetum Cardinalem tituli S. Grisogni; obijt Pataulij 1445.

Sub Pio 2. Paulo 2. Sixto 4. Innocentio 8. & Allexãdro 6. Illustriss. Franciscum Piçolomineum Senensem Card. tit. S. Eustachij, qui postea fuit Pius Papa 3. obijt Romæ anno 1503.

Sub Pio 3. habuit protectorem Illustriss. Iulianum de Ruuere Sauonensem, Card. tit. S. Petri ad Vincula; qui postea fuit Iulius Papa II. Obijt Romæ 1513.

Sub Iulio 2. Leone X. Hadriano 6. Et Clemente 7. Illustriss. Franciscum Soderinum Florentinum Card. Hostiensem, & Decanum obijt Romę 1524.

Sub Clemente eodem 7. & Paulo 3. Illustriss. Allexandrum Cæsarinum Romanum Car. Albanum: Obijt Romę 1542.

Sub Paulo 3. Illustriss. Augustinum Triuultium Mediolanensem Card. tit. S. Hadriani: Obijt Romæ 1548.

Sub eodem Paulo 3. Et Iulio 3. Illustriss. Marcellum Crescentium Romanum Card. tit. S. Marcelli. Obijt rediens ex Legatione Concilij anno 1552.

Sub Iulio 3. & Paulo 4. Illustriss. Ioannem Aluarium de Toleto Hispanum Card. tit. S. Clementis: Obijt Romæ 1557.

Sub

Sub Paulo 4. & Pio 4. Illustriss. Alphonsum Carrafsam Neapolitanum Card. tit. S. Nicolai: Obijt Archiep. Neapoli 1565.

Sub Pio 4. Illustriss. Franciscum Gonzagam Mantuanum Card. tit. S. Laurentij in Lucinâ: Obijt Romę 1565.

Sub Pio V. & Gregorio 13. Illustriss. Flauium Vrsinum Romanum Card. tit. SS. Petri, & Marcellini: Obijt Neapoli 1581.

Sub Gregorio 13. Sixto V. Vrbano 6. Gregorio 14. Innocentio 9. & Clemente 8. Illustriss. Alphonsum Gesualdnm Neapolitanum Decanum, & Archiepiscopum Neap. Obijt Neapoli 1603.

Sub Paulo V. Illustrissimum, & Reuerendissimum Cinthium Aldobrandinum Card. tit. S. Georgij ad velum aureum. Nobilem Senogaliensem.

Sum-

Summorum Pontificum confirmatio nostræ Congregationis. Cap. XVIII.

ANNO 1136. Innocentius Papa 2. reformauit, confirmauitq; Ordinē Canonicū apud Rhenum, ac multis priuilegijs decorauit.

Anno 1144. Lucius Papa 2. confirmauit, ac multis bonis Canonicam suam Rhenanā dotauit, & priuilegijs decorauit.

Anno 1150. Eugenius Papa 3. confirmauit, decorauit, ampliauitq; Canonicam Rhenanam.

Anno 1154. Hadrianus Papa 4. inhęrendo prædecessorū Pontificum vestigijs, confirmauit, ampliauitq;.

Eodem anno Anastasius Papa 4. confirmauit, & priuilegijs, & bonis dotauit.

Anno 1169. Alexander Papa 3. confirmauit, decorauit, ampliauitq;.

Anno 1182. Lucius Papa 3. pari modo Ecclesiam S. Mariæ de Rheno decorauit, ampliauitq;.

Anno 1185. Vrbanus Papa 3. confirmauit, & multis priuilegijs ditauit.

Anno 1187. Clemens Papa 3. decorauit priuilegijs, & confirmauit.

Anno 1204. Innocentius Papa 3. confirmauit, & bonis auxit.

Anno 1212. Honorius Papa 3. confirmauit, &c.

Anno 1227. Gregorius Papa 9. confirmauit, &c.

Anno 1257. Innocentius Papa 4. confirmauit, &c.

Anno 1408. Gregorius Papa 12. innumeris priuilegijs decorauit, confirmauitq;, immò Congregationem propriè instituit.

Anno 1418. Martinus Papa V. confirmauit, re-

formauit, docorauit, ampliauit, atq; auxit.

Anno 1419. Eugenius Papa 4. confirmauit, decorauit, & auxit.

Anno 1456. Calixtus Papa 3. confirmauit, declarauit, ampliauit, atq; decorauit.

Anno 1458. Pius Papa 2. confirmauit, & multis bonis dotauit.

Anno 1470. Paulus Papa 2. confirmauit, &c.

Anno 1473. Sixtus Papa 4. priuilegijs confirmauit, decorauit, ampliauit, & multis bonis auxit.

Anno 1485. Innocentius Papa 8. cõfirmauit, & ditauit.

Anno 1493. Alexander Papa 6. cõfirmauit, & dotauit.

Anno 1512. Iulius Papa 2. confirmauit, dotauit, decorauit, atq; ampliauit.

Anno 1517. Leo Papa X. confirmauit, dotauitq;.

Anno 1532. Clemens Papa 7. confirmauit, &c.

Anno 1548. Paulus Papa 3. confirmauit, &c.

Anno 1553. Iulius Papa 3. confirmauit, & decorauit.

Anno 1562. Pius Papa 4. priuilegio suo cõfirmauit, &c.

Anno 1563. Pius Papa V. confirmauit, &c.

Anno 1586. Sixtus Papa V. vltimo priuilegio suo priuilegia omnia prædecessorum Pontificum confirmauit.

Anno tandem   Clemens Papa 8. confirmauit, & dotauit.

Imperatores, & Principes Congregationis Protectores.

ANNO 1168. Imperator Federicus primus patronus S. Mariæ de Rheno contulit eidem Ecclesiæ prædium, & alia bona, vt in suo priuilegio.

Anno 1182. Imperator Henricus 6. filius

lius Federici primi patronus S. Mariæ de Rheno ipsam priuilegio suo decorauit,& bonis auxit.

Anno 1533. Imp. Carolus V. priuilegio suo confirmauit priuilegia prædecessorum,& ampliauit, &c.

Illustriss.& Excellentiss. Guido Antonius Comes Vrbini protector,& Benefactor præcipuus.

Magnificus Iulianus Medices Florentinus protector, & benefactor magnus.

Iulius Papa secundus mirabili amoris effectu Congregationem est prosequutus.

Leo Vndecimus Papa cum esset Alexander Medices Cardinalis multa erga Congregationem dedit suæ beneuolentiæ signa maximè in restauratione,& magnificatione templi Sanctæ Agnetis, extra portam Piam: quod si Papa factus aliquo tempore superuixisset honoribus, & dignitatibus multis exaltasset.

Auctoris Peroratio ad suos fratres Concanonicos.

HAbetis, Fratres dilectissimi, initia nostra, seu antiquissima quæratis sub illis Canonicis antiquissimis Rhenanis Bononiensibus: seu recentiora sub titulo nouæ Congregationis Saluatoris: in vtrisq; scilicet maximum incrementum, & summum splendorem estis consecuti. Sit igitur in vtrisq; vobis religiosorum Clericorum sacer Conuentus, qui angelicam in terris agentes vitam, in diuinis laudibus diebus, & noctibus perseuerent, nil aliud cogitantes, nisi quod ad ipsius Domini pertinet seruitutem: & in lege Domini indefessa meditatione versentur. Illud autem vobis maximè curandum esset, optimi patres; vt ex nouo decreto vestro cætera Annalia nostræ

Congregationis, res nostras perpetuò cælebratura, publicarētur. Quæ autem sequūtur, securius quisq; transigere poterit, vt ille, qui ex profundioribus fluctibus proxima iam Vada tenens, arenam ipsam, quam pedibus calcat, & quicquid in ea delituerit, oculis ac manibus perscrutari potest. Nec enim decentius profectò quicquam, & rebus nostris magis necessarium existimari potest, atq; ordinari. Et si herclè quo ad nos magis ridere possemus, quàm aliquatenus commoueri maximas ob vanitates, & insanias quorumdam voluntariè, aut etiam fortassis ignarè in earum descriptione delinquentium. Dubitandum tamen est, ne ignorantia huiusmodi, vel malitia, quandoq; infirmiorum scandalo malè cedat, quorum non minus quā sui ab Apostolo ratio semper habita est. Vt rāq; iam dissimulare nequimus, nisi magno famæ nostræ dispendio, cuius neglector Apostoli sententia crudelis habetur. Vnde idem Apostolus dicebat: Expedit mihi magis mori, quam vt quis gloriam meam euacuet 1. q. 3. cap. sacerdos. Negligere cum possis perturbare peruersos, nil aliud est, quàm fouere. Valete.

✠

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

INDEX

INDEX COPIOSVS RERVM NOTABILIVM.

A

ABBA, quid significet. pag. 31
Abbates canonicorum Regularium centum millia, & vltra. 152
Absoluendi auctoritas à censuris. 337
Acquæ benedictæ insero ad benedictionem origo. 459
Acquæ ductus Rheni iuxta canonicam quando factus. 471
Administratio Monasteriorum S. Mariæ de Rheno, & S. Saluatoris de Bononia cui cõcessa in vita. 376
Alexandrina Ecclesia quis fundauerit. 133. & 172.
Albus habitus quid notet. 83
Almutia quid nominis. 77
Almutia est habitus capitis. 77. 78
Almutiæ nomen à Gallis inuentum. 78
Almutiæ quid notent. 78
Almutias magnas albas laneas portabant Canonici Rhenani. 82
Ambrosiani Monasterij situs, auctor, & origo. 352
B. Aniani Miraculum. 174

Anima bene ordinata qua. 7
Antiqui quod nomen optabant. 104
Antiquitas ordinis canonici. 150
Antistitis significatio. 133
Apostatorum pœna. 217
Apostoli fuerunt Clerici. 28
Apostoli dicebantur fratres. 87
Apostolorum habitus. 58
Apostolorum regula ad professionem faciendam. 28
Apostolica vita. 28
Apostolorum vota essentialia. 24. 28. 129. & 130
Apum similitudo cum canonicis Regularibus. 82
Archidiaconi qui. 131
Archiepiscopi instituti post Christi ascensionem. 11
Archiepiscopatus fuere regulares. 134
Archiepiscopus quis fuerit primus. 134
Archiepiscopi ordinis Regularium quot fuere. 152
Archiepiscopi Rhenani. 243
Archipresbiteri qui. 137
Auctoritas reformandi constitutiones. 449
D. Augustinus quando baptizatus. 176
Augustinus fuit primus reformator canonicorum Regularium. 181
Augustinus vixit in clericatu, & Episcopatu per 40. Annos. 25

BEATI congregationis S. Saluatoris. 516
S. Blasij Ecclesia de Sala est Iuspatronatus Ecclesiæ Rheni. 219
Birretum quid notet. 81
Birrus quid, & à quo inuentus. 80
Birrus ex quibus constat. 81
Bona Sanctæ Mariæ de Rheno perturbantes, vel auferentes pœna. 217
Bonorum stabilium canonicis Rhenanis confirmatio. 210. 216

C

CALIENSE Monasterium quis construxerit. 400
Canon quid significet. 31
Canonica, & canonia quæ dicebatur. 47
Canonicarum siue canonissarum institutio. 135. 149
Canonicus unde. 30. 35
Canonicus nomen quid importet. 100
Canonicus est nomen officij, & operis. 102
Canonici nomen est nomen honoris. 35
Canonicus est fraternus clericus. 20
Canonicatuum Ecclesiæ S. Blasij de Sala collatio. 219
Canonici Bethlemitici, & Nazaretenses vtebantur Rocheto. 135
Canonici Nicosienses quomodo vocabantur. 260
Canonici Nicosienses quando receperunt habitum. 260
Canonicorum ordo quando incæpit. 12

Canonicorum ordo duo dicit. 16
Canonicorum ordo est admirabilis. 18
Canonicorum ordo est laboriosior prae caeteris. 18
Canonicorum ortus. 59
Canonicorũ ordo debet praecedere alios regulares. 115.150
Canonicorum status pertinet ad libertatem. 16
Canonici cathedralium tempore Quadragesimae induebantur habitu, & cappa more canonicorum reg. 54
Canonici regulares qui dicantur. 34.177
Canonici regulares antiquitus ordinabant chorum, & officia Ecclesiarum chatedralium. 54
Canonici regulares fuerunt tempore apostolorum. 27
Canonici regulares sunt clerici. 13
Canonici regulares habebant dignitatem in choro Ecclesiarum chatedralium. 54
Canonici regulares nõ dicũtur Domini, sed Domni, & cur. 111.112
Canonici regulares quid facere debeant. 183
Canonicorum regularium habitatio diuersa vocabatur. 47
Canonici regulares de Frigionaria scapulare nigrum gestabant. 71
Canonici regulares eiusdem congregationis fratres vocabantur. 114
Canonicorum regularium habitus. 57
Canonicorum regularium habitus vnde sumptus. 58
Canonici regulares tenent locum leuitarum. 13

Canonicorum regularium Frigionariæ origo. 497
Canonici regulares supradicti habuerũt possessũ lateranensis Ecclesiæ in Vrbe. 498
Canonici regulares congregationis eiusdem Frigionariæ, vnde habuerunt habitum. 497
Canonicorum regulerium nomen in regula D. Augustini legitur. 177
Canonicorum regularium officium erat ordinare Chorum officia, & obseruãtias canonicorũ seculariũ. 166
Canonici regulares quales debent esse. 36
Canonici regulares habuerunt Pontifices num. 54. 126.
Canonici regulares dicũtur Præsbiteri. 161.
Canonici regulares S. Saluatoris dicũtur, & Rhenani. 200
Canonici regulares eiusdem congregationis sunt veri Canonici. 116.122.286
Canonici regulares supradicti quare dicũtur Constantes. 287.369
Canonici antedicti quando ingressi sunt ad Sãctum Ambrosium de Eugubio. 356
Canonicorũ regularium S. Saluatoris institutio. 284
Canonici regulares, & chatedrales sunt vnius ordinis. 52
Canonici regulares chatedralium, & Monasteriorum sunt eiusdem ordinis. 53
Canonici regulares cedunt secularibus in præcedencia quare.

quare. 164
Canonici seculares cur dicātur canonici. 166. 168. 177
Canonicorum secularium origo. 159
Canonis significatio. 166
Cappa vnde dicitur. 80
Cappa nigri coloris vtebantur canonici Rhenani. 82
Cappa quid notet. 85
Cappa nigredo quid significat. 85
Cappis antiqui canonici more Cartusiensium Conuersorum vtebantur. 82
Cappum quid sit, et vnde venit. 80
Capputeū, siue capitium quid notet. 72
Caracter quid. 17
Castitas, & paupertas connectantur. 25
Catholicus quis. 26
Cardinales Bononienses creati ab Honorio secūdo. 233. 239.
Cardinales ordinis canonicorum Regularium quot fuere. 152
Cardinales Rhenani. 240
Cardinales non poterant eligi ex titulo S. Mariæ de Rheno, nisi esset vnus ex canonicis regularibus eiusdem Monasterij. 55
Capitulum generale annuale. 450
Capitulum primum vbi fuerit celebratum. 431
Cæli ordo in Religione inuenitur. 15
Cænobia canonicorum regularium. 152
Cano-

Cænobium quid. 47. 49
Cibus monacorum. 48
Christiani nomen quid. 35
Circulus in capite clericorum. 134
Christiani vocati sunt discipuli. 88
Christiani dicuntur fratres. 87. 90
Christianorum status in primitiua Ecclesia. 9
Claustralium duo tantorum erant genera. 70
Clericalis ordo dicit militia. 14
Clericatus est de essentia status canonicorũ regulariũ. 99
Clerici primi fuerunt Apostoli. 11
Clerici dicuntur canonici. 27
Clerici dicuntur catholici. 26
Clerici canonici qui. 29
Clerici aliud volunt esse, aliud videri. 19
Clericorum genus triplex. 163
Clerici quid habere debeant. 9
Clericorum nomen quis inuenerit. 9
Clericorum nomina varia. 20
Clericorum officium. 37
Clericorum professi, & non professi. 23
Clerici habent easdem qualitates vt leuitæ. 13
Clerici dicuntur regulares canonici. 30
Clerici primitiuæ Ecclesiæ fuerunt regulares. 129
Clerici dicuntur de sorte domini. 1. 9
Clericorum vita. 174
Clerici dicuntur omnes viuentes religiose. 11

Clericus qui. 8
Clericus duobus modis accipitur. 8
Clericus vnde. 30
Clericus duas res profitetur. 24.25
Clerici seculares antiquitus fuerunt regulares. 100
Clerum quis composuit, & ordinauit. 12
Cognitio à paruis, & minimis procedit. 4
Collatio canonicatuum Ecclesiæ S. Blasij de Sala pertinet ad Priorem S. Mariæ de Rheno. 219
Collegium quid. 47
Collobium quid. 59.61
Commißarij ad reformandam congregationem. 295
Cõmunicatio priuilegiorum aliarum congregationũ 289
Compositio inter canonicos S. Mariæ de Rheno, & cõmune Bonon. super nouo canalis alueo faciendo. 485
Commißorum congregationis origo. 451
Confugientis ad Ecclesiã Rhenanam immunitas. 216
Confessarij electio per Prælatos. 329
Congregatio S. Saluatoris absolutè denominata est congregatio canonicorum regulariũ S. Saluatoris. 417
Congregationis S. Saluatoris initium. 293
Congregationes S. Saluatoris institutio. 284
Congregatio regularium dicitur conuentus. 95
Conscientia bona ordinata quæ. 7
Constitutionum confirmatio. 124
Constitutiones per tribus capitulis factæ habentur pro confirmatis. 126

Consti-

Constitutiones primeuæ à quibus conditæ. 269
Constitutiones factæ per commissarios. 304
Constitutionum alteratio in melius potest fieri. 455
Consecratio Ecclesiæ de Rheno. 200
Consecratio Ecclesiæ S. Saluatoris. 202
Conseruatores congregationis. 369
Constantes cur vocantur canonici regulares. S. Saluatoris, & origo istius nominis. 375
Conuentus quid. 47
Conuersorum prouisio. 451
Corona quid significat. 39
Corona capitis quid notet. 153
Corona capitis institutor. 154
Corona est præmium Victoriæ. 155
Corrarij nominis interpretatio. 276
Cuculla quæ. 80

D

DECANI qui. 136
Decimarum concessio. 217
Decimarum exemptio. 231.232.& 234
Decretum ne statutum aliquod in constitutionibus ponatur nisi fuerit obtentum in duobus capitulis Generalibus. 453
Deum sine ordine non cognoscitur. 4
Diferentia inter cappas, & rotondellos. 80
Diferentia inter collegium, & conuentus. 47
Diferentia inter floccum & cucullam.

Dife-

Diferentia inter monacum, & clericum. 38
Diferentia inter ordinē clericalem, & statū clericalē. 17
Diferētia inter viuere regulariter, & viuere canonice. 32
Discipuli 72. fuerunt clerici. 11
Dissolutio Canonicorum regularium. 157
Diuersorium quod est. 50
Doctores S. Mariæ de Rheno qui fuerunt. 244
Dominus qui dicitur. 110. 111
Domini nomen antiquitus erat odiosum. 104
Dominus competit Deo. 104
Domni nomen antiquitas. 102. 117
Domni nomen vnde. 103. & quando. 104
Domnus per scincopen competit hominibus. 104
Domus bene ordinata quæ. 7

E

Ecclesia Acquiliensis à beato Hermagora habuit initium. 173
Ecclesia Alexandrina à beato Marco habuit originem. 172
Ecclesiæ ab Eugenio 4. datæ congregationi. 511. & 512
Ecclesiæ omnes Indiæ fuere regulares. 135
Ecclesiæ Illiceti descriptio. 278
Ecclesiæ Iurispatronatus S. Mariæ de Rheno. 14. 74
Ecclesia omnis regularis dicitur Monasterium conuentus aut Cænobium. 48
Ecclesia Sanctæ Potentianæ de Vrbe fuit vnita Sanctæ Mariæ de Rheno. 228. 231

Ecclesia Lucensis priuilegium. 280.281
Ecclesia Militans nouem habet ordines. 6
Ecclesiæ Patriarchales canonicorum regularium quot fuere. 133
Ecclesiæ regularium insignes. 141
Ecclesiæ S. Saluatoris Venetiarum consecratio. 248
Ecclesiæ subiectæ S. Mariæ de Rheno. 210.211.223
Ecclesia Triumphans nouem habet ordines. 6
Electio Generalis quomodo. 425
Encomium canonicorum S. Saluatoris. 71
Electio Prioris S. Mariæ de Rheno, & Sancti Saluatoris ad quos spectabat post mortem F. Francisci de Ghisilerijs. 397
Episcopi post Christi ascensionem fuerunt instituti. 11
Episcopi ordinis regularium quot fuere. 152
Episcopi Rhenani. 243
Episcopatus fuere regulares. 135
Euangelica lex est lex charitatis, & pietatis. 36
Exemplum de Agricolis. 19
Exemplum de Apibus 14
Exemplum de Gruibus 14
Exemplum de Militia. 14
Exemplum de Militibus. 18
Exemplum de Mulieribus ornatu. 18
Exemplum de Negociatoribus. 19
Exemptio ab Archiepiscopo Rauenaten. 228.231
Exemptio Caroli V. in sui dominio. 105

Exemptio Decimarum, & aliorum bonorum. 197
Exemptio locorum, & bonorum S. Mariæ de Rheno. 224
Exemptio à datiis ciuitatis Bon. & vini. 457
Exemptio Monasterij S. Sal. cũ suis iuribus. 301. 457

F

FESTVM *Iconæ quando celebrari debet.* 202
Fideles Christi dicebantur Discipuli Christiani, sancti Dei, filij, & fratres. 90
Fideles Christi dicuntur filij Dei. 89
Floccus est vestis cum manicis. 80
Forma professionis canonicorum regularium antiquior præ cæteris ex regula Damiana. 25
Formæ diuersæ ad professionem faciendam. 26
Fratris nominis antiquitas. 87
Fratres qui dicantur. 89
Fratris nominis excellentia 93
Fratris nomen multa denotat. 101
Fratris nominis origo. 101. 132
Fratris permutatio in Domnum. 69
Fratres Sancti Saluatoris sunt veri canonici. 425
Fraticelli societas. 264
Fratris nominis similitudo. 94
Fraternitatis vnitas quid operatur. 91
Frisonariæ congregationis origo. 495

GENE-

G

GENERALIS primus congregationis S. Saluatoris quis 432
Gradus honoris duo habet. 6
Gregorij 12. acta approbata. 378
Gregorius 12. quando creatus. 262
Gregorij nominis ethimologia. 270
Gregorius 12. instituit cõgregationẽ S. Saluatoris. 376
Gregorij 12. laus. 381
Gregorij 12. prouisiones. 274
Gregorius 12. refformator Religiosorum. 262
Gregorij 12. vita. 272
S. Guarinus Bonon. Cardinalis. 237

H

HABITATIO canonicorum regularium diuersimode vocabatur. 47
Habitus albus quid significet. 83
Habitus canonicorum regularium est Angelicus. 66
Habitus Apostolorum. 58
Habitus antiquus canonicorũ regulariũ lateranẽsiũ. 71
Habitus quando datus canonicis S. Saluatoris. 297
Habitus diuersi canonicorum regularium. 82
Habitus canonicorũ Nicosiensiũ quãdo, & à quo. 260
Habitus canonicorum regularium in processionib. cum clericis secularib. 165
Habitus canonicorum regularium S. Mariæ de Rheno. 82. 402

Habitus canonicorum regularium vniuersalis qualis. 57
Habitus canonicorum regularium significatio. 58. 62
Habitus canonicorum secularium tempore Quadragesimæ. 169
Habitus canonicorum regularium vnde sumptus. 58
Habitus canonicorum est tunica linea. 13
Hermagoras institutor Ecclesiæ Acquiliensi. 173
Homo dupliciter consideratur. 7
Homines de Sala iurant fidelitatem monasterio S. Mariæ de Rheno. 468
Honorij secundi Pontificis creatio, & historia. 233
Hospitale S. Iob. Bonon. à quo erectum. 237
Hospitale S. Spiritus prope Lauinum erat subiectum S. Mariæ de Rheno. 468
Hospitale S. Spiritus de Roma quando factum. 239

I

ILDEBRANDVS *de Grassis Cardinalis canonicus regularis.* 237
Illiceti monasterij descriptio. 277
Illicetum monasterium factum est in prioratum canonicorum regularium sub titulo S. Saluatoris. 268
Illicetum monasterium vbi, & cur ita. 265
Indulgentiæ conceßæ pro festo Visitationis Beatæ Mariæ. 76
Indulgentia plenaria in articulo mortis, & professionem emittentibus. 339
Innocentia discipulorum Christi. 89

Inter-

Interdicti tempore priuilegium. 226. & 227
Iudices congregationis S. Saluatoris. 369

L

LAicalis ordo ante alios ordines conditus. 8
Laici dicuntur, quia de vniuersitate. 1
Laici quando cæperunt esse distincti ab alijs. 9
Laicus duobus modis accipitur. 8
Laicus vnde dicitur. 8
Lanea vestis quid significat. 64
S. Laurentius cur Martir. 175
Leuitæ erant dedicati ad cultum diuinum. 12
Leuitarum habitus. 12. 58
Leuitarum institutio. 10
Leuitarum officium. 12
Leuitarum origo. 20
Leuitæ nihil proprij habebant. 12
Leuitæ erant segregati à cæteris tribus. 12
Lex Euangelica est lex charitatis, & perfectionis. 36
Licentia de quærendo locum, & erigẽdo in prioratũ. 322
Linea tunica est habitus canonicorum regularium. 13
Linum ad quid aptum. 63
Loca congregationi nostræ data, & à quibus. 523
Lucæ ciuitatis descriptio. 279
Lucij Papæ secundi de Caccianemicis vita. 236

MAII mensis descriptio. 430
Maphorte, vel Mauorte quid. 78
S. Marcus pracidit sibi digitum ne officio sacerdotis fungeretur. 172
S. Mariæ de Monte Guardiæ Ecclesia est de iurisdictione S. Mariæ de Rheno. 223
S. Mariæ in Monte Palense donatio. 234
Martini V. Pontificis prudentia. 384
Militia habet ordines, & gradus. 7
Miraculum Beati Aniani. 174
Miraculum de cibo. 456
Miraculum de obedientia. 453
Miraculum de sanguine Saluatoris. 201
Monaci improprie dicuntur canonici regulares. 161
Monacorum cibus. 41
Monaci vocati ad clericalem ordinem. 43
Monaci quomodo cognoscebantur. 41
Monaci vocati ad curam animarum. 43
Monacorum dispensatio ad clericatum ordinem. 43
Monaci figurati vnde. 39
Monacorum habitatio cum clericis. 41
Monaci à clericis instituti. 41
Monacorum labor continuus. 41
Monacorum nomina varia. 42
Monaci ad ordinem clericalem vocati. 43
Monaci vocati ad prædicationis officium. 43
Monaci qui veri. 41

Monacorum vestitus. 41
Monacorum vita. 37
Monacus unde. 30. & 38
Monasticus ordo unde ortus. 36
Monasterium S. Ambrosij de Eugubio datum congregationi nostræ. 346
Monasterium S. Ambrosij quando fabricatum. 457
Monasteria congregationis, & à quibus data. 523
Monasterium S. Donati de Scopeto 3. loco vnitũ. 439
Monasterij nomen quando incæpit. 84
Monasterium quod propriè dicitur. 51
Monasteria omnia habent priuilegia communia pag. 427
Monasterium Rhenanum vbi. 199
Monasterium quod dicitur. 47. 49
Monasterij S. Saluatoris constructio. 200. 202
Monasterium dicitur ab vnitate. 49. 161
Monasteria 700. canonicorũ regulariũ in Italia. 146
Moniales Sanctæ Mariæ montis Guardiæ erant sub obedientia Prioris, & canonicorum S. Mariæ de Rheno, & S. Saluatoris de Bononia. 472

N

NATIVITATIS B. Mariæ festum vnde. 75
Nauigium Rheni quando factum. 471
Nicolai Episcopi Bon. de Albergatis virtutes. 391
Nicosianum monasterium à quo constructum, & dotatum. 254

Ni-

Nicosianum monasterium cur ita nominatur. 254
Nicosiani monasterij Ruina. 256
Nicosianum monasterium vbi. 250
Nobilitas ordinis canonici. 151
Nonos quid significat. 103. 106. & 107

O

OFFICIVM canonicorum regularium in Ecclesijs canonicorum secularium. 166
Obedientiæ miraculum. 452
Octobris descriptio. 493
Ordo canonicus est admirabilis. 18
Ordo antecessionis. 5
Ordo canonicus duo dicit. 16
Ordo clericalis, & canonicorum regulariũ est clarus meritis, & virtutib. præ cæteris. 63
Ordo clericalis dicitur militia. 14
Ordo clericalis qui. 17
Ordines Christianorũ sũt duo s. clericorũ, & laicorũ. 17
Ordo accipitur pro spirituali quodam consilio. 2
Ordo distinguitur à confusione. 3
Ordo semper continuabit. 16
Ordo accipitur pro cuneo religionis. 13
Ordo accipitur pro debita rerum dispositione, vel ordinatione. 3
Ordines quis distinxerit. 12
Ordo accipitur pro harmonia. 2
Ordo canonicus quando incæpit. 12
Ordo

Ordo accipitur pro instinctu naturæ. 1
Ordo canonicus præ cæteris est laboriosior. 18
Ordo clericalis dicitur militia. 14
Ordo accipitur pro modo viuendi. 7
Ordo monasticus vnde incæpit. 36. 40
Ordo est naturalis in omnibus rebus. 14
Ordo naturæ duplex. 4
Ordo naturæ qualis. 4
Ordo accipitur pro actu obedientiæ. 7
Ordo in omni re requiritur. 4. 6. 7.
Ordo accipitur pro debita ordinatione. 3
Ordo accipitur pro plebe siue populo Christiano. 8
Ordo accipitur secundum potentiam. 5
Ordo canonicus alios ordines præcedit. 115
Ordo canonicus inter alios ordines primatum tenet. 150
Ordo quid sit. 3
Ordo rationis qualis. 4
Ordo accipitur pro qualibet religione. 13. 14
Ordo accipitur pro respectu ad res gerendas. 2
Ordo accipitur pro sacramento, & quid sit. 7
Ordo accipitur pro situ. 6
Ordo temporis qualis. 4
Ordo accipitur pro vniuersis fidelib. congregatis. 8
Origo canonicorum regularium de frisonaria. 495
Origo canonicorũ regulariũ S. Spiritus Venetiarũ. 499

P

PARTICIPATIO priuilegiorũ aliorũ monasteriorũ. 126

Patri-

Patriarchales Ecclesiæ quattuor. 133
Patriarchas post Christi ascensionem instituti. 11
S. Patritius Hiberniæ præsul sanctitate, & doctrina insignis. 184
Paupertas olim monasterij S. Saluatoris. 457
Paupertas, & castitas connectuntur sub obedientia. 25
Pæna contra perturbantes bona, & oblata retinentes monasterij S. Mariæ de Rheno. 217
Petrus Damiani quis fuerit. 192
D. Petrus fuit primus clericus. 9
Planetæ sunt ordinati in cælo. 15
Politia habet ordines, & gradus. 7
S. Potentianæ cum medietate bonorum fuit concessa canonicis Rhenanis. 213
Pontifices quattuor ex monasterio S. Mariæ de Rheno. 232
Pontifices antiqui sumebant camisiam Romanam in signum canonicæ professionis. 131
Pontis Rheni S. Mariæ de Rheno constructio. 221
S. Praxedis Ecclesia concessa canonicis Rhenanis. 216 218. 219.
Præcedentia canonicorum regularium. 164
Prælatio quando cessabit. 16
Prælatio omnis cuiuscumq; dignitatis quando consecratur efficitur Prælatus tunc canonicus regularis. 152
Præpositi quare instituti. 140
Præpositus est secunda dignitas post Prioratus. 140
Præsbi-

Praesbiteri Episcopi nominentur. 477
Primas quis fuerit primus. 137
Primates, & Patriarchae sunt idem. 133
Prioris nomen quando habuit originem. 132
Prioratus est secunda dignitas post Abbatem. 139
Prior Generalis erat etiā Prior vnius monasterij. 450
Priores Rhenani. 467
Prioratus manuales qui. 465
Prioratus S. Saluatoris de Bononia, & Sanctae Mariae de Rheno est caput congregationis, & ordinis. 404
Priuilegium de admittendis mendicantibus inter canonicos nostros, & alterius cōgregationis professis. 359
Priuilegiū Caroli V. Imperatoris canonicis nostris concessum. 204
Priuilegia aliorum Imperatorum.
Priuilegium aliorum summorum Pontificum. 210
Priuilegium Gregorij XII. 284
Priuilegiū Martini V. quod dicitur mare magnū. 417
Priuilegiorum confirmatio. 121. & 122
Priuilegia interpraetāda sunt ad fauorē cōgregationis. 121
Priuilegium de mitra, & baculo, & anulo. 514
Priuilegia largissimè sunt interpraetanda. 121
Professio quae. 24
Professio regularis constituit hominē in statu perfecto. 27
Protectores congregationis. 527

R

REFORMATIO *quid.* 414

Reformatio canonicorum regularium. 158. & 172.
Reformatio monasterij Illicetani. 278. & 375
Reformatio monasterij Nicosiæ. 259
Reformatio canonicorum Rheni. 375
Reformatio monasterij S. Saluatoris de Bon. 375
Reformator canonicorum regularium fuit D. Augustinus. 181. 184
Reformatores canonicorum regularium qui. 514
Regula Apostolorum ad professionem. 28
Regula D. Augustini est Apostolica, sed ipse decorator pag. 178
Regulæ D. Augustini, & D. Basilij sunt fundatæ super stabilia. 182
Regula Damiana est antiquior præ cæteris quo ad formam professionis canonicorum regularium. 25
Regula Damiani pro canonicis Rhenanis. 198
Regula data per cõmissarios congregationi. 304
Regulæ Ethimologia. 34
Regularis Ecclesia prima quæ fuerit. 133
Rhenorum canonicorum origo. 375
Religiosorum initium. 9
Regularium canonicorum initium. 180
Regularis nomẽ nõ erat in vsu in primitiua Ecclesia.
Regularis quis, & quid. 30
Regulares quando facti sunt seculares. 157
Religiosi in suis monasterijs debent esse ordinati. 15
Religiosorum virtutes debent esse ordinatæ. 15
Reli-

Religiosorum viuendi modus. 100
Religiosus quis. 22
Republica Ciuilis habet gradus, & ordines. 6
Res Ecclesiæ sunt pauperum. 30
Renunciatio Pontificatus Gregorij XII. 377
Rocchetto vtebantur canonici Betlemitici, & Nazeretani. 59. 62
Rocchetus propriè est habitus canonicorũ regulariũ. 59
Rochettus varia habet nomina. 59. 62

S

SACERDOTES maiores in nouo testamento fuerunt Apostoli. 72
Sacerdotes maiores à minorib. diuisi. 10
Sacerdotes maiores, & minores in nouo testamento sumpserunt Exordium. 11
Sacerdotes minores instituti in nouo testamento fuerunt 72. discipuli. 11
Sapientia Dei ordine comprahenditur. 4
Saluator, & non seruator debet dici. 519
Sancti ordinis canonicorum regularium quot fuere. 153
Scapularis antiquitas. 68. 69. 70
Scapulare est alienum ab habitu canonico. 74
Scapulare est habitus congregationis proprius, non canonici ordinis. 77
Scapulare varia habet nomina. 68
Scapulare est habitus Cartusiensium. 70
Scapulare potest esse sine hasta. 73

Scapulare quid notet. 68. 69. 85
Scapularis origo. 69
Scapularis permutatio. 68
Scapulare quid. 68
Scapulare est signum claustralium. 79
Scapulare non est ad substantiam habitus canonicorum regularium. 73
Seculare nomen quid notet. 167
Schismatis duratio. 383
Schisma magnum in Ecclesia Dei. 269. 270
Schisma monasterij Rhenani. 473
Semmon qui dicitur. 51
Seruus qui dicitur. 110
Similitudo Apum cum canonicis regularibus. 52
Similitudo habitus canonicorum regularium ad spiritualem statum. 62
Similitudo lini ad canonicos regulares. 63
Similitudo piscis ad monacos. 38
Status Christianorum in primitiua Ecclesia. 9
Status canonicorum pertinet ad libertatem vel seruitutem. 16
Status clericalis qui. 17
Status perfectus in quo consistat. 23
Status vnde dicitur. 17
Supprioris nominis origo. 459
F. Stephanus creatus canonicus cũ fratribus suis. 268
Stephani comendatio. 267
Ste-

Stephani descriptio. 267
Stephani Laus. 277
Stephani mors. 489
Stephanus fuit nepos S. Bernardini de Senis. 489

T

TITVLVS congregationis. 286. 366
Titulus Lateranensis concessus canonicis regularibus de Frisonaria. 498
Titulus S. Potentianæ, & S. Praxedis S. Crucis in Gierusalem, & S. Mariæ Nouæ de Vrbe non posse dare Cardinalibus nisi sint canonici Rhenani. 240
Titulus Sancti Saluatoris. 517
Tonsio monacorum qualis. 42
Tonsura Crinium quid notet. 154
Tonsura non est ordo. 8
Transitus de vno monasterio ad aliud. 423
Tunica linea est habitus canonicorum regularium. 13

V

VESTIS alba quid significet. 65
Vestis canonicorum regularium plura habet nomina. 60
Vestis canonicorum regularium de Rheno. 76. 82. 397
Vestis lanea quid notet. 64
Vestis linea quid notet. 63
Vestitus monacorum. 41
Vestimenta Sacerdotis antiqui erant de lino. 64
Vestimenta Sacerdotis antiqui quid notet. 64

Vicarij nominis origo. 459
Viros Illustres congregationis. 515
Virtutes religiosorum debent esse ordinatæ. 15
Vita Apostolorum quæ. 28
Vita canonicorum regularium quæ. 34
Vita canonicorum regularium ad instar Apum. 52
Vita clericorum qualis. 174
Vita cõmunis clericorum. 172
Vita monacorum. 37
Vita bene ordinata quæ. 7
Vita regularis, & canonica differunt. 32
Viuendi modus religiosorum. 100
Visitare solus generalis non potest, nec visitatores soli. 126
Visitatoratus officium quando. 438
Visitationis Beatæ Mariæ festum cur. 75
Vnio S. Ambrosij de Eugubio cum monasterio S. Saluatoris de Bononia. 375. 386. 396
Vnio S. Bartholomei de Petrorio. 459
Vnio S. Donati de Scopeto. 448
Vnio S. Donati de Polpiano. 459
Vnio duorum sacellorum monasterij S. Saluatoris. 456
Vnio S. Saluatoris Venetiarum cum monasterio S. Saluatoris de Bononia. 249
Vota apostolorum essentialia. 24
Votum Ecclesiæ. 75. & 76
Votum Gregorij XII. 76

Index

Index Auctorum.

ADAM premonstratensis.
Albericus.
Albertus Crantius.
Albertus Flacus.
Alexandrinus.
Ambrosius Calepinus.
D. Ambrosius.
Anglicanæ historiæ.
Annal. Fort.
Archidiacon? Verdoné.
Archidiaconus.
D. Anselmus.
D. Antoninus.
Aristoteles.
D. Augustinus.
Augustinus de Ancon.
Augustinus Ticinésis de Ancona.

B

BAIZIVS.
Bartolus.
Basilius Cesareæ Episcopus.
Beda de historia Anglicana.
D. Bernardus.
Bibiliotheca Vaticana.
Blondus.
D. Bonauentura.
Bonifatius Papa.
Brulefer.
Bullæ multorum Ponticum.

C

CANONES sacri.
Carolus Sigonius.
Cassianus.
Cassiadorus variarum lectionum.
Cælius.
D. Ciprianus.
Conciliorum liber.
Constitutiones Benedicti Papæ.
Constitutiones Frigionariæ.
Constitutiones sinodales

les Eccleſię Aſten.
Cronicæ cameracenſes.
Cronicæ Lodienſium.

D

DIONISIVS Areopagita.
Dioniſius Cartuſianus.
Durandus.

E

EGESIPPVS.
Eugenius Papa primus.
Euſebius Conradus.
Euſebius Cæſarienſis.

F

FRANCISCVS Vandinus.
Feſtus Pompeius.
Flauius Vopiſcus.

G

GABRIEL Biel.
Ganaliel.
Gelaſius Papa.
Gobellinus.
Gennadius.
Geobaldus Epiſcopus Traiectenſis.
Gopporius.
Gratianus.
D. Gregorius.
Gualterus Epiſcopus Magolenſis.
Guillielmus Pariſienſis.
Gulielmus Peraldinus.
Guglielmus Tirius.

H

D. HIERONYMVS.
Hiſtoria Eccleſiaſtica.
Hiſtoria Tripartita.
Hoſtienſis.
Hucbaldus.

I

IACOBVS Lebetius.
Iacobus de Vitriaco,
Innocentius Papa.
Ioannes Andreas.
Ioannes Caſsianus
D. Ioannes Chriſoſtomus.
Ioannes de Deo.
Ioannes Langhecrutius
Ioannes Molanus.
Ioannes de Nigra Valle.

Ioan-

Joannes Nider.
Isidorus.
B. Iuo Carnoten. Episcopus.

L

LACTANTIVS Firmianus.
Leo Augustus.
Liber Pontificalis.
Libraria fratrum Minorum apud sepulcrum Domini.
Lutius Io. Trullus.
Ludferus.
Ludouicus Viues.

M

MAGISTER sententiarum.
Marcellinus.
Marcus Antonius Columna.
Martinus Arpicicuelta Nauarrus.
Molanus.

N

NICOLAVS de Cusa
Nicolaus primus Pontifex.

P

PANDECTARVM liber.
Panormitanus.
Papias.
Petrus Damianus.
Petrus de Palude.
Petrus Rebuffus.
Philo Hebreus.
Platina.
Plato.
Possidius siue Possidonius.
Pontificalis liber.
Prosper de Temporibus.
Priuilegia multorũ Pontificum, Imperatorũ, & aliorum.

R

RAPHAEL Volateranus.
B. Rhenanus.
Rosetus.

S

SACRA scriptura.
Sal-

Saluianus Masilien. Episcopus.
Scotus.
Speculator.
Strabo.
Suetonius.
Surrius.

T

D. THOMAS.
Tertulianus.
Tortellius.
Tritemius Abbas.

V

VEGETIVS.
Vgonis Pisani regula.
Vgo de Sancto Victore.
Vincentius in speculo historiali.
Virgilius.
Volateranus.
Vuerneherius Cartusianus.

Z

ZABARELLA.

Errata

pag.	lin.	Errata.	Correcta.
2	24	Iudiciũ	Iudicũ
4	18	emanere	emanare
4	20	ſapiẽtiũ	ſapiẽtũ
4	29	gratiã	gradatim
5	13	perſudit	profudit
6	20	ah hoc	ab hoc
8	34	agere	egere
8	4	cemunio	comu-
		nem	nem
9	9	hęc rego	hęc Vgo
9	18	nõ bone	nõ bene
11	22	veſtro	veſtrum
12	34	cũctoræ	cũctorũ
13	12	regibus	regularibꝰ
13	34	Antoni-	Antoni-
		um	num
15	21	deinpe	deinde
15	25	roſis	toris
15	30	noſtri	noſti
16	18	ſicut ex	exempli
		li.	gratia
16	33	habent	habet
18	29	ſancti	cũ ſanctis
18	32	nobilis	nobilẽ
		apparatus	apparatũ
21	19	i.	cap.
23	32	huſq;	numquã
25	13	reſtorat	refferat
25	19	nõnullis	nõnulli
26	22	viuẽdũ	iocundũ
28	20	inforre	inferre
28	22	Apollo-	Apollo-
		lius	licis
28	26	diffinire	diffiniere
30	6	Clerici	Clericis
30	7	ſcilicet	ſcilicet res
		Eccleſia	Eccleſiæ
30	16	viribus	iuribus
31	34	ormam	formam
32	1	locatio-	locutio-
		nem	nem
34	7	nomen	nomen
		laturę	claturæ
37	15	Paulo	Paulo
		poteſt	poſt
38	16	æthimo-	ætimo-
		logicorũ	logiarũ
38	27	reperitur	repetiť
42	3	ſõdũtur	tõdũtur
43	2	auerſiti	accerſiti

pag.	lin.	Errata.	Correcta.
46	34	regulari-	regula-
		us	tium
49	3	cæno-	cęnobita-
		bitacũ	rum
51	9	eccleſia	eccleſtica
53	14	viris	iuris
55	23	pręſtiter	pręſbiter
57	6	de iudi-	de iudi-
		cis	cijs
57	12	vnius	vnius ſunt
58	16	marſi	marci vl-
		vltimo	timo
58	19	actuũ	actuũ primo
58	27	dominos	dominus
60	23	refferret	reſtet
63	14	varietatẽ	varietate
65	2	poteſt	poſt
67	22	quidem	quidam
69	10	ſcilicet	licet
69	33	tum	ſuperfluũ
77	34	capitũ	capitium
78	27	perpetũ	perpetuũ
78	34	capita	capite
80	8	capum	capam
84	14	cãdidiora	cãdidiore
85	34	capio	cupio
86	22	pnomi-	prænomi-
		natione	ne
93	16	indutũ	inditum
93	18	tẽpore	tempora
95	20	ſui	ſuis
97	25	1443	943
100	3	ceteris	ceteri
106	32	ad per-	ad perfe-
		fectũ	ctam
113	21	loro	loco
114	13	homini	huiuſmodi
114	21	põtificiũ	pontificũ
116	34	Apoſto-	Apoſtoli-
		lis	cis
120	9	proſſu-	poſſu-
		mus	mus
121	11	bonũ	bonam
122	30	ferunt	feruet
123	29	irritatẽ	irritatum
124	9	innotio-	innoua-
		nes	tiones
125	27	ea certa	ex certa
126	11	hæc nõ	nec non
132	4	clauis	clauſis

pag.	lin.	Errata.	Correcta.
134	24	erant	erat
135	24	hoſpitũ	hoſpitiũ
136	23	tiple-	tipherna-
		narte	tę
138	8	dignari	dignori
139	7	ex	extra
134	4	tollieto	ſollieto
146	20	lzẽpis	kempis
148	15	Maue-	Marcelli-
		lini	ni
149	8	canoni-	canoniſ-
		cus	ſas
154	11	regum	regnum
155	8	hac	Flac.
157	2	cauſa	cauſas
157	6	coromb.	coronis
161	27	monachi	monacali
163	23	nomẽt	nomen
166	12	quod	quo
167	31	ideſt	i. cor
175	6	vigiſſe	viguiſſe
176	24	propo-	propoſi-
		ſituere	turæ
180	33	col.	ſol.
182	28	hoc	hæc
183	8	cauit	canit
187	32	ideſt	gelaſio. I.
186	12	poſsi-	poſsido-
		dorio	nio
187	27	inſtituti	inſtituit
187	29	ideſt	Eugeniũ p.
190	32	his	hic
193	6	ipſa	ipſe
194	16	gelaſios	gelaſius
198	18	ſi quia	ſi qua
198	33	frater	fratris
199	32	quoſq;	quouſq;
203	28	cõſtrin-	conſtrin-
		ges	gens
205	23	ſede-	ſederi-
		riolus	cus
207	23	viribus	iuribus
207	27	ferris	terris
210	2	reu.	ren.
216	7	ponti-	pontifi-
		ficiũ	cum
218	27	quoſ-	quaſ-
		dam	dam
219	21	mon.	non. maij
221	17	pe	de

pag.	lin.	Errata.	Correcta.
221	18	ceperit	cæperint
226	24	legat	legatorum
233	14	decebat	dicebat
234	33	varij	varijs
235	2	vtq;	vsque
237	1	cano-nici	concano-nici
241	15		canonicũ
246	6		secularib.
248	1	illus	illius
253	7	nouem	nauem
257	19		canonicos
269	14	dare	clare
280	19	deffe-cisset	deffecis-sent
281	10		luca
284	21	mensis	mentis
285	2		fratrum
286	15	hoc	hos
294	22	Anto-nius	Antoni-nus
295	17	cano-nicis	canoni-cos
308	16	ferent	fierent
309	4	delibati	delibuti
316	11	facilimus	facilius
317	18	lucess-sentib.	lacessen-tib.
336	3	vis	ius suum
336	8	cõuiuẽ-tib.	cõnni-uẽtib.
342	30	delibe-rauerit	delibera-uerint
353	4	debite-scunt	delite-scunt
353	5	difficile	difficiles
354	2	claui	clam
354	8	facer-docẽt	facerdo-tes

pag.	lin.	Errata.	Correcta.
361	5	furiore	superiore
362	1	indeptus	adeptus
362	7	rebig.	relig.
372	7	exercito	exercitio
374	10	gratis	gratijs
379	5	Alexã-drum	Alexan-dro
379	12	neatris	neutrius
380	7	pripũ	primum
381	8	persi-ſletes	persistens
384	17	atterca-tiones	altercatio-nes
390	11	nouis	nonis
391	32	habito	habitu
395	32	cõsouere	cõfouere
397	4	post	prout
405	7	posit	posaint
415	3	vti	in
418	15	vnditio-ne	conditio-ne
420	25	p̃dictis	predictus
422	8	dixit	duxit
425	34	desistut	desistat
428	13	apno	anno
429	1	edictis	ęditis
429	5	priuile-gio	priuile-gia
433	7	suas	secus
434	22	nomi-niter	nomine-tur
442	12	teneris	tenetis
443	28	cõtrarie	cõtraiere
444	14	scusare	scatere
446	7	de onitijs	initijs
446	10	vene-rabilis	venerabi-li
446	32	apud quos	apud quas

pag	lin.	Errata.	Correcta.
448	3	delina	deliria
448	24	execu-tore	excute-re
448	30	ordinis	ordini
452	20	estare	æstate
453	3	curas	vuas
453	14	celebrẽ	celebre
456	28	cõgre-gationis	congre-gationi
457	24	& ex	& ex hoc
459	29	ambro-sianos	ambrosia-no
463	10	docto-rom	decreto-rum
469	8	annuũ	annum
469	22	factis	tactis
475	7	pui	qui
575	24	ex coer-ceret	coerce-ret
477	25	pręsbi-terũ	pręsbite-rium
478	19	furrianũ in ele-mẽti	turrianũ in ele-ment.
478	33	idest	prima
479	11	vtrisq;	vtrisq;aliud
483	34	Gregorij	Georgij
485	7	M P.	M.D.
485	33	tantẽ	tandem
488	7	Bartho-lomeis	Barthologmei
492	7	pascẽs	parcens
495	32	monaste-riorũ	monaste-rium
514	3	amobi-libus	amonibi-lib.
518	30	capit	sapit
524	34	vbi	vti
526	30	nostris	nostri

Digitized by Google

Digitized by Google

Vasi n° 1
Veli — 2
Conclusioni — 6
Quatri — 7
Quatri tonni — 6